





GAUDEO.

Rich p. 328.


RPJCB


BROWN.



Hi jam terga fugae, jam pugnae pectora praebent.

Ex Ovidio

F. Aſsner ſc.

HISTORIA
DE
ABIPONIBUS
EQUESTRI, BELLICOSAQUE
PARAQUARIÆ
NATIONE

LOCUPLETATA
COPIOSIS BARBARARUM GENTIUM, URBIUM, FLUMINUM, FERARUM, AMPHIBIORUM, INSECTORUM, SERPENTIUM PRÆCIPUORUM, PISCIUM, AVIUM, ARBORUM, PLANTARUM, ALIARUMQUE EIUSDEM PROVINCIÆ, PROPRIETATUM OBSERVATIONIBUS,

AUTHORE
MARTINO DOBRIZHOFFER
PRESBYTERO, ET PER ANNOS DUO DE VIGINTI PARAQUARIÆ MISSIONARIO.



VIENNÆ,
TYPIS JOSEPHI NOB. DE KURZBEK
CÆS. REG. AUL. TIPOG. ET BIBLIOP.
ANNO 1784.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti
decem;
Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane
ſciunt.


Plautus in truculento 2 6.

"The Abipones have been in one thing fortunate above all other savages, for the history of their manners and fortunes by Martin Dobrizhoffer, who devoted the prime of his years to converting them, and whose history is of all books relating to savage life the most curious, and in every respect the most interesting." — Southey.



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

In America de rebus Europæis: In Austriam post annos duos, & viginti redux de Americanis interrogabar identidem. Alios sciscitandi, me respondendi onere ut levarem, ad hos commentariolos lucubrandos animum, manumque adjeci, virorum etiam principum hortatu. Rem & ancipitis aleæ, & fastidii plenissimam sum aggressus, hac scilicet ætate, Aristarchorum feracissima, qui partus non nisi suos, vel suorum dilaudare, alienos fœtus, ceu abortivos aspernari consueverunt.



De Paraquaria, quis nescit? scripsere multi multa: Pauci, quos æquus amavit Jupiter, ingenue: Nemo omnia. Eandem a me crambem recoqui, cave, existimes; Historiæ equidem meæ argumentum sunt Abipones Barbari, bellicosique equites, quorum ne nomen quidem, postquam libros Americanos ad unum omnes excusseris, vix aliquando, ac ne vix quidem uspiam deprehendas, Paraquariensibus etsi provinciis, si quod aliud, magnopere formidandum; Ea enim natio avitæ libertatis usque tenax, non bellatorum numero, sed nocendi artibus eximia præ cæteris Barbaris arma, terroremque late circumferebat. Hispanus miles, Americam ingressus, quantum magnitudine animi, armorumque felicitate ante alias Europæ gentes fuit, tantum per omnes antipodum fines victoris timendi nomine inclaruit passim. Vix jam, qui vim vi repellerent, Indi erant super, Hispanica virtute Americanam multitu, dinem opprimente. Si qui tamen imprudente-ausi vomentibus ignem tubis clavas, hastas, sargittas, fundas, lignum scilicet, lapidem, arundinem ferro, ærique opponere, perspexerunt denique satis esse, ut se quis victum fateretur si cum celtiberis advenis dimicasset. Hi parva sæpe manu ingentes Barbarorum exercitus deleverunt alias, alias ne tentato quidem certamine Hispanus triumphum, Indus receptui canebat. Peruviano, Mexicanoque imperio, chili, Quito, Paraquaria, Tucumania, alias ut taceam vastissimas provincias, insulasque, sub jugum missis, nationes pleræque omnes etsi Hispano dudum parerent dominatui, Abipones tamen jam astu ad fugam, jam armis ad victoriam usi liberta-



tem ad noſtra uſque tempora ſartam, tectamque ſervarunt ſuam; Quin per annos ſat multos Hiſpanorum colonias perpetuis incurſionibus, cladibuſque cruentis toties eheu! funeſtarunt. Anno demum 1747 per noſtros homines ad colonias ſenſim adducti ſunt, ubi humanitatem juxta, ac Deum docerentur, inciperentque, quod dudum oportuit, Monarchæ Catholico, Paraquariæ univerſæ dominatori, obtemperare.

Septennium ipſum in quatuor Abiponum coloniis verſatus illorum mores, ritus, ſuperſtitiones, militarem diſciplinam, acceptas, illataſque clades, politicas, œconomicaſque rationes, coloniarum recentium viciſſitudines cominus inſpexi, ac nunc fide, quam elegantia majori conſcripſi, venia certe dignus; Ecquis enim Livii, Salluſtii, Cæſaris, ſtradæ, vel Maffei amænitates a me expectet, cui tot annos nullum cnm Muſis commercium, cum latio nullum interceſſit. Quamvis, de Barbaris dum ſcribo, ne barbara quoque oratio prodiret, aut proletaria, religioſe curavi. Omne tuliſſe punctum mihi videbor certe, ingenuitatem ſi perſpexeris meam. Candor equidem hiſtorici luculentiſſimus ſemper fuit hiſtoriæ ornatus. Vera, & quoad eius fieri potuit, certiſſima ſcribere, id maxime mihi cordi erat. Non ut me legas, me admireris, me laudes, ſed ut fidem mihi habeas, id jure abs te peto. Incredibilia videbuntur non pauca, vel exaggerata illis, qui, quantum America ab Europa abeſt, tantum Americanos Barbaros a cultioribus Europæis differre, ignorant.



Rerum Abiponensium narrationi antiquitatis jam exempla, jam sententias, ut sale cibos condire solemus, frequenter inspersi, non philologi famam, quod ridiculum, aucupaturus, sed ut Abiponum seu ritus, seu opiniones apud alios Europæ, Asiæque populos dudum viguisse, intento veluti digito commonstrarem. Multus, fateor, sed neutiquam nimius in Abiponum bellis describendis fui, in quibus plus clamoris fere, quam sanguinis profusum. Id enimvero Titi livii exemplo faciendum duxi, qui non solum cruenta ad cannas, ad Trasymenum lacum, ad Trebiam, ad Thermopylas prælia, sed & tumultuarias Romæ nascentis velitationes cum Albanis, sabinis, Fidenatibus, Vejentibus, aliisque vicinioribus populis susceptas prolixa narratione est prosecutus. Quamvis Abipones populabundi magis in Hispanorum fines excurrerent, quam justi belli more, repetitis tamen identidem assultibus per annos plurimos tantam hominum contrucidarunt multitudinem, ut fidem, ac prope dixerim, numerum excedat. Tempora, quibus res quæque gestæ sunt, rarius adnotavi, partim hallucinandi periculo absterritus, partim brevitatis studio compulsus; Malo equidem nonnulla, in quibus parum momenti, te ignorare, quam decipi. Præcipua hæc mihi scribenti cura, & legis instar semper fuit, ne quid dubium, neu minus mihi exploratum pro certo affirmarem. Si quæ mihi haud usquequaque comperta ex idoneis authoribus refero, ii tales erant, quibus perinde, ac oculis meis fidem a me deberi existimabam. De rebus a me seu gestis, seu toleratis frequens, ut res ferebat, mentio recurrit, ne man-



manca eſſet hiſtoria. Ecquis id mihi vitio dederit, niſi & (ſi parva cum magnis conferre liceat) Julio Cæſari, & Paulo Apoſtolo ſuccenſeat, quod tum facinora ſua, tum ærumnas ipſi literis conſignarint. Hactenus ſcriptionis meæ argumentum, cauſas, inſtitutumque expoſui. Jam, ne hiſtoriæ meæ lectio tibi offenſiunculæ, mihi fraudi eſſet, monitis pauculis mihi videbaris præmuniendus.

Ab aliis Americæ hiſtoricis negari quædam, quæ affirmo, affirmari, quæ nego, ſi quando intellexeris, cave, quæſo, præcipiti judicio ſeu me, ſeu alios, qui repugnare videntur, erroris, falſitatisve inſimules extemplo. Quid ſi utrique veriſſima referant? aliis ſcilicet de Mexico, de Peruvio, de California loquentibus, me Paraquariæ res duntaxat enarrante; Quod enim de Americæ regione altera certiſſimum, de altera haud item affirmari poteſt. Provinciæ illæ ut immenſis a ſe terrarum ſpatiis ſejunguntur, ſic Cœlo, ſolo, rebus, rerumque proprietatibus differunt magnopere. Quot, quantaque, ſuperi boni, diſcrimina regionum, gentium, linguarum, morum, fructuum, ipſius obſervavi! Non omnis fert omnia tellus. Peruvium, Mexicum, chili, Quito &c. auro, argento, gemmis, unionibus abundant; Paraquaria his omnino deſtituitur, ſed omni pecorum genere ad invidiam opulentiſſima. Abipones, Mocobii, Tobæ, Quaykurus, Aucàs belicoſiſſimi non niſi ad pugnas aſpirant; E contrario Vilelæ, lules, chunipies, Quayakies &c. otium, pacemque impenſe colunt. Quid quod



& varii eiusdem provinciæ tractus incredibiliter a se discrepent. Quam dissimilis sui ubique Paraquaria! Hinc in immensam camporum planitiem ad ducentas leucas quaquaversus excurrit, quin vel arborem usquam deprehendas, rarissime, nisi Cœlo pluvio, aquam. Illinc in arduos montes assurgit, sylvisque perpetuis cingitur, quin Campum detegas vel palmarem. Istinc Abiponum in territoriis per longissima terrarum spatia nec in superficie, neque in visceribus telluris lapillum unicum inveneris; Alibi longe, lateque vias saxis asperas, rupes altissimas quaquaversus suspicies. Sæpe diebus pluribus iter faciens stillam aquæ, quæ aviculæ sufficeret, nequidquam desideres; sæpe alias cum fluviis, amnibus, lacubus, paludibusque timendis quotidie luctandum tibi erit. Si igitur Paraquariam planam, Campestrem, palustrem, aquosam scripserit alter, alter aridam, montuosam, sylvestrem, saxosamque affirmarit, utrique tuto credes, cum hic de isto, ille de alio territorio egisse videatur. Hac usus circumspectione historicos multos mendacii suspicione absolves, vix tamen poteris omnes.

Enim vero risum mihi sæpe, sæpe bilem civere libelli, qui absurdissimas de America fabulas pro historiis, ficta pro factis, opiniones, conjecturas, imo & somnia pro veritate lectori venditant, multo tamen ære coemuntur, multorum manibus, nec sine assensu teruntur passim. operæ pretium facturus mihi videor, si errorum, qui in Americanas irrepsere historias, fontes detexero. Multis, dum vix a litore A-

meri-



mericam ſalutarunt, jam ad ſcribendum pruriunt manus. Ad paſcendam Europæorum aviditatem mira, ac inaudita potius, quam vera nunciare curant. Ex ore obvii Hiſpani, Indi, æthiopis pendent, & quidquid rumuſculorum de Indiarum proprietatibus, de Indorum ritibus collegere, literis mandant. Decipiuntur ipſi, decipiunt alios; Nam linguæ ſeu Hiſpanicæ, ſeu Americanæ ignari, vel eius ſcientia leviter tincti nec interrogare indigenas rite norunt, neque perperam reſpondentes intelligere; quippe quibuscum nutibus, ſigniſque potius, quam vocibus loquuntur. Nautarum rudium, Militum, mercatorum, aliorumque, qui litoralia Americæ loca turbinis inſtar pervolarunt potius quam perluſtrarunt, narrationes profecto infauſti illi canales ſunt, per quos tot fabulæ, erroresque hiſtoricis, geographicisque lexicis affluxerunt. Vix ullum Americanæ provinciæ, urbis, nationis, fluvii nomen in illis videas, quod literarum jam adjectione, jam ſubtractione miſerrime mutilatum, mancumque aliqua ſui parte non eſſet. Ex tot imperitorum hominum, ut vulgo inſcribuntur, itinerariis Europæi lexicorum, encyclopædiarumque textores rerum mirabilium promiſcuam farraginem corradunt, miſcent quadrata rotundis, falſa veris ſubſtituunt, verbo, centonem, ni chaos mavis dicere, conficiunt, omnium, qui Americam diutius, penitiusque inſpexerant, riſu decumano explodendum.

Næ illud ſcriptorum genus multo peſtilentius, qui jam partium ſtudio, jam invidia, odioque afflati putidiſſimis mendaciis, atrocibus



calumniis paginas omnes impudenter referciunt. Laudandos vituperant, vituperandos laudant. Quis demum enumeret iſtiusmodi de Paraquaria libellos, quos cordatior quisque non publica typi luce dignos, ſed infami rogo mulctandos judicavit. Res chriſtiana in nulla Americæ parte luculentiores fecit progreſſus, quam in Paraquaria apud Quaranios, duorum ſupra triginta oppidorum, quæ ſibi condiderant, habitatores. Nuſquam certe florentior pietas, magnificentior cultus divini, templorumque ſtatus, ordo, concinnitasque; Nusquam ſtabiliores rei domeſticæ opportunitates, & artium utiliſſimarum exercitatio major. Nulla, niſi vehementiſſime fallor, Americæ natio Regiis in caſtris ſeu frequentiorem, ſeu utiliorem operam in alterum jam ſeculum navavit. Hæc omnibus, qui de Paraquaria norunt aliquid, prorſus indubitata. Sacerdotes tamen impigri, quorum ſudore, ac ſanguine a gente olim ferociſſima id impetratum eſt, calumniatores, inſectatoresque plures, quam Penelope procos, ſemper numerarunt. Ad conflandam illis invidiam nullum fecere finem alia, atque alia confingendi. At enim laudes ampliſſimæ, quibus ſtrenuos Quaranicarum coloniarum cultores tot Hiſpani Monarchæ, tot Epiſcopi, tot gubernatores, Præfectique Regii liberaliter proſecuti ſunt, apud prudentiores, ſanæque mentis Europæos plus utique ponderis, quam malevolorum frivolæ criminationes, habuerunt.

Liber



Liber de Quaranicis oppidis lingua gallica ſcriptus dudum in manus forte incidit meas. Tribus paginis vix dum perlectis ſex, & viginti enormia, quæ excuſari neutiquam poſſint, mendacia detexi, calamoque annotavi; Verum numerando alia, atque alia demum feſſus librum tot calumniis fartum indignabundus abjeci denique · Paraquariam ſe vidiſſe (in mappa fors geographica) affirmat mendax blatero, ſed id ut crederem, induci haud poſſum; Nam hyemem iſtic inchoari menſe Auguſto ſcribit, qui tamen menſis hyemis exitus, veris principium eſt, quo & refloreſcunt arbores, & aves nidos architectantur ſuos. Id Paraquarienſium nemo ignorat. Hic tamen commentarius, etſi mendaciorum colluvies, ac calumniarum ſit, in vaſto, celebrique hiſtoriarum peregrinarum volumine nobilem obtinuit locum, & Sol Paraquariæ perperam creditur, quamvis ad cæcandas Europæorum mentes unice natus. Alium de Paraquaria, in quo pariter ſancta veritas crudeliſſime vapulat, libellum gallica quoque lingua vulgatum multis abhinc annis pervolvi. Mirabar hiſtorici mendacis, & acerrime dudum refutati, impudentiam ſimul, ſimul incredibilem multorum aſſenſum, eorum maxime, qui ſtyli amænitate capiuntur, corticemque pluris, quam nucleum faciunt. Anglus quidam, homo feſtivus, de hoc authore nuperrime ſcripſit: *Ampliſſima ſtolidæ audaciæ, & impudentiæ ſupellectili eſt dotatus. Multum peregrinatus fuit, ſed & multum mentitus* &c. Multis oſculis veneror Britannicum penicillum, quod vivis adeo, ſinceriſque coloribus authoris iſtius, Europæ aliis nominibus notiſſimi, imaginem depinxit.

Plu-



antequam typo, ac luci publicæ daretur, de eo elimando dein', poliendoque cogitarem. Verum ætate mea in ſextum, & ſexageſimum annum declinante parturire diutius mihi haud licuit, ne partus poſthumus evaderet, jure metuenti. Hæc habui, quæ præloquerer. Vale, quisquis es, lector chariſſime, erroribusque typi da veniam, quin & meis. Nihil enim humanum a me alienum puto.



IN-



INDEX.

Primæ Partis.



De






De arboribus præcipuis vg. de ligno ſancto, Quayacan, Cedro, Cupay &c.

De plantis medicinalibus vg. de virga aurea, Ruibarbo, Vaynilla, Cortice Peruviano, ſaſſafras. &c. &c.

De frugibus Americanis, Canna ſacchari, goſſipio, oryza, Mandioca &c.

De Thermis.



Cum



Cum in toto volumine vocabula Hiſpanica, Quaranica, Abiponica paſſim recurrant, de eorum recta enuntiatione præmonendus mihi videbaris, lector benevole!

Ch. ab Hiſpanis enunciatur, ut tſch a Germanis. ſic: Mucho, Chili, profertur Mutſcho, Tſchili.

X & J veluti H cum aſpiratione gutturali pronunciandum. ſic: Mujèr, mulier, muhèr. jamàs Hamàs. Ximènez Himènez Sonat.

ç æquivalet Z. ſic: çevallos profer ùt Zeballos.

LL. Ñ veluti I interjiciendo ſuſpenſa non nihil lingua profertur. ſic: Eſpaña dic veluti Eſpannia. Colmillo dens Colmilio.

Z. ſuavius, quam Germani ſolent, & veluti S enunciandum. ſic: Rodríguez Rodrígues ſonat. Adverte, u literæ G poſt poſitum haud pronunciari; Hinc Rodriges dicitur.

Qu. Græco Kapa æquivalet. ſic: Quemo' uro, pronunciatur Kemo.

Jn Quaranica lingua y ut tſch effertur leniter. ſic yù flavus tſchu. Ayúca macto. Atſchùca dicendum.

Signum mediæ lunæ cornibus ſurſum erectis denotat, literam illam cum gutturis impetu eſſe pronunciandam. ſic ỹ aqua, veluti Jh profertur.

Cornibns deorſum flexis litera per naſum enunciatur. ſic: Petî tabaca.



Si circumflexo inſigniatur litera, per guttur ſimul ſimul per naſum profertur. ſic: Gỹ piper. Idem vocabulum aliter, aliterque pronunciatum aliud, atque aliud Quaraniis ſignificat. Sic verbum Tupã per naſum ſi pronuncietur, Deum ſignificat. Tupa ſimpliciter ſellam, lectum.

In lingua Abiponica, vel Mocobica litera R̃ ſic ſcripta ſonum ex R. & G mixtum habet. ſic Naetar̃at filius eo fere modo enunciatur, ut quidam naturæ vitio balbutientes literam R pronuntiant Sed hæc pronuntiatio viva voce duntaxat exprimi poteſt.

Multa literarum ſigna, & accentus à typotheta partim perperam locati, partim omiſſi fuere. Hæc ad tuam inſtitutioneu, ad meam excuſationem mihi viſum eſt memorare, ne alienus error à linguarum gnaris ignorantiæ meæ tribuatur.





LIBER PRODROMUS
DE
PARAQUARIÆ HABITU.

De Abiponibus, equeſtri Paraquariæ populo, ſcripturus, ipſo in limine rudem provinciæ totius imaginem propono. Hæc lucis plurimum adferet hiſtoriæ; Equidem regionis cognitio ad perſpiciendam incolarum habitudinem magnopere valet, & quæ aut vero minus ſimilia, aut obſcuriora, facis inſtar illuſtrabit. Ingens illa Americæ, qua Auſtrum ſpectat, portio Paraquaria immenſis terrarum ſpatiis quaquaverſum protenditur. A Braſilia ad Peruvianum, Chilenſeque regnum ſeptingentas leucas Hiſpanicas illi vulgo tribuunt. Ab oſtio fluminis argentei, quod

Auſtrum reſpicit, ad Amazonum regionem Borealem centum ſupra mille. Anglus anonymus in libello de Paraquariæ rebus (Hamburgi a typographica ſocietate 1768 vulgato) ab ortu in occaſum leucas Anglicanas ultra mille: ab Auſtro in Boream mille quingentis plures Paraquariæ aſſerit. Plures alii, alii pauciores numerant leucas, dum hi Germanica, illi Gallica, vel Hiſpanica milliaria computarunt. Certam hac de re ſententiam ne expectaveris, neque judicem. Ampliſſimi terrarum tractus, qui a Coloniis longiſſime recedunt, necdum rite explorati; quid ſi nunquam porro explorandi?

Rara avis iſthic Geometra. Et ſi cui ea ſcientia tincto metiendi terras animus fuit, animi defuere illas adeundi, vel barbarorum metu, vel viarum difficultate iter retardantibus. Tabulas chorographicas Paraquariæ ex noſtrorum hominum obſervationibus potiſſimum deſcriptas, nemo ignorat; Qui, ut barbaros Deo, Regique catholico conquirerent, ſylvarum receſſus, alpium culmina, fluminumque remotiſſimorum ripas ſcrutati omnem late provinciam, quantum licuit, ſuis obiere pedibus, nunquam ſine capitis periculo, ſæpe cum ejus jactura. Quatuor ſupra viginti equidem Jeſuitas, Apoſtolicis per Paraquariam expeditionibus immortuos, barbarorum telis occubuiſſe, conſtat. Illorum nomina, mortis genus, tempusque alio loco adnotabo. Nulla in opulento Peruvio, Mexicoque latebra, quam auri odore tracti Europæi non excuſſiſſent; Quo illicio cum careret metalli omnis expers Paraquaria, magnam partem ignoratur etiamnum. Quidquid compertum eſt, id Miſſionariorum pedibus fere, oculisque deberi quis neget? Quos pedibus emenſi ſunt campos, flumina quæ transmiſere, locorum intervalla fide quidem maxima, arte,

arte, accurationeque non ſemper pari adnotarunt. Illorum ex documentis aliæ, atque aliæ Paraquarienſis ſoli icones jam Romæ, jam Matriti æri inciſæ ſunt, ſed mendis ſcatent ad unam omnes. Numeris omnibus abſolutam nusquam ſane deprehendi. Quæ noſtro P. Ioſepho Quiroga authore ante annos non multos Matriti in lucem prodiit, præ reliquis fidelior eſt ſecundum illa loca, quæ ipſe, matheſeos gnarus, obſervavit. Ibat, qua poterat. Mappa Geographi regii Domini d'Anville magnopere mihi probatur vel eo etiam nomine, quod Colonias ſeu Hiſpanorum, ſeu Indorum jam everſas diligenter, ut pleraque alia, expreſſerit. Neque omni tamen caret nævo. Mihi ad Abipones feſtinanti haud vacat mapparum errores indicare. Operæ pretium facturus mihi videor, ſi, quæ ad Paraquariæ cognitionem faciunt, perſtrinxero.

Paraquaria omnis uni paret Hiſpaniarum Regi, ejusque nomine a tribus Gubernatoribus, Epiſcopis totidem procuratur. Singulis ſingulæ ſubſunt provinciæ. Prima eſt fluminis argentei, ad cujus ripam Boni aeris urbs, reliquarum facile princeps, Gubernatoris regii, & Epiſcopi ſedes. Academia, monaſteriis utriusque ſexus, portu, caſtroque ad architectonices recentioris leges mediocriter munito gaudet, quod adverſus barbarorum, civiumque aſſultus valet equidem, adverſus machinas bellicas Europæorum minime, a legionario etſi milite defendatur. Flumen, cujus litori incumbit, murorum ſupplet infirmitatem. Naves enim bellicæ per ſyrtes ab acceſſu arcentur, ut adeo tormentorum ictibus non pateant. Muro cæterum, foſſa, portis, atque adeo ſepibus quibuscunque hæc caret civitas, ut reliquæ per provinciam univerſam urbes, quas, quemadmodum

 ſol

ſol aſtra minora, ædium numero, ſplendore, commercio, opibus, incolarum frequentia antecellit; Horum ad quadraginta millia cenſentur. Domus circiter ter mille, cocto plerumque ex latere, ac imbricibus tectæ, ſed, ſi complures duarum contignationum excipias, humiles. Templa vel Europæorum judicio venuſta. Bina, quorum Primoli, Romanus, laicus noſter, architectus jam Romæ clarus, citra controverſiam eminent. Fontes publicos, coloſſos, Divorum ſimulacra nusquam in foro videas. Carpenta Viennæ Auſtriæ plura una in calle unam per horam numerabis, quam hic tota in urbe per annum. Equites per momenta ſingula ſpectabis plurimos; Neque mirum, omnes vel mediocris fortunæ homines Cavalleros lingua Hiſpanica compellari. Marchiones, Comites, Barones hic loci ne quæſieris. Militari præfectura, urbis magiſtratu, dignitate quacunque, vel opibus conſpicui pro nobiliſſimis habentur. Civium divitiæ pecoribus potius, quam pecuniis definiuntur. Circumfuſa urbi tellus, qua ſeu Magallanicum ſolum, ſeu Tucumaniam reſpicit, ad ducentas prope leucas in planitiem excurrit arboribus paſſim, & ni pluat liberaliter, ſæpe aquis deſtitutam; Tritici tamen feraciſſimam, & lætam paſcuis, ubi armentorum, equorum, mulorumque infinitas oberrat. Quoquo te vertas, equorum ſylveſtrium occurrent agmina, qui primi, ut ajunt, capientis. Præter ſalices, queis fluminis abundant inſulæ, ad alendum focum pomi perſicæ quotidiano ſunt uſui; Hæ manu conſitæ celerrime adoleſcunt.

Hanc Boni aeris civitatem clariora inter Americæ emporia connumerandam utique, exiſtimo, mercibus vel ex Hiſpania advectis, vel Luſitanorum ex vicinitate clanculum illatis. Opulentiores ex mulorum,

her-

herbæque Paraquaricæ, quam ad Peruvium, Chilensemque devehunt provinciam, mercatu luculentiores proventus habere consueverunt. Cœli temperies humida, procellis, turbinibus, fulminibusque formidabilis; Tempestates equidem nullo mensium discrimine quavis anni parte atrociter sæviunt, continuato sæpius diebus, ac noctibus tonitru; quod toti, qua patet, Paraquariæ commune. Nubes jam ignibus, jam aquis foetæ non solum terrent, sed necant crebro hominesque, pecudesque vel fulmine, vel grandine incredibilis magnitudinis, cui parem vix viderit unquam Europa. Boni aeris nomen urbs casu sortita est. Dum classis, Petro Mendoza archithalasso, flumen argenteum subierat, ejus affinis Sancius del Campo inter primos ad novum litus scapha eluctatus est. Qui cum, nescio, quibus favoniis afflaretur: *Que buenos ayres son estos!* quam bona est hæc aura? exclamasse, scribitur. Dictum subitum experientia posteritatis confirmavit. Urbs sita est in gradu 34. 36 m. latitudinis australis, & 321. 3. m. longitudinis.

In adverso fluminis argentei litore, quod orientem solem spectat, Boni aeris urbi opponitur Colonia SS. Sacramenti, quam Hispani, suo scilicet in solo a Lusitanis conditam olim, munitamque, expugnarunt toties, totiesque, dum pax in Europa coalesceret, pactorum vi reddidere, palam plaudentibus Boni aeris inquilinis, in quos ex clandestino cum Lusitanis commercio plurimæ redundabant utilitates. Ast privatorum hominum lucra catholici Regis ærario fraudi erant maximopere ob debitorum vectigalium imminutiones. Urbecula hæc, tot discordiarum pomum, editiori fluminis ripæ incubat. E domibus & paucis, & humilibus componitur, pago, quam urbi

 simi-

ſimilior. Neque ſpernenda tamen; Miſeris enim ſub tectis opulenti mercatores, omne mercium genus, aurum, argentum, adamantes deliteſcunt. Muro ſimplici ac pertenui clauditur, militari præſidio, machinis bellicis, armorum ſupellectili, annona ad ſubitos belli caſus affatim inſtructa. Nihil cæterum aut elegantiæ, aut roboris oſtentat. Oculos teſtor meos. Nam anno 1749 navi luſitanica ex Europa hic appulſi per tranſennam circumſpectavimus omnia. Territorium, quod luſitanici erat juris, tam exigui eſt ambitus, intra ſemi horam a pedite vel languidiſſimo perambulari ut poſſit. Naves luſitanicæ Anglorum, Batavorumque mercibus, &, quæ ingenti cum fœnore in America veneunt, mancipiis Africanis onuſtæ certatim ad hunc confluxere portum, e quo deluſis, vel ære corruptis Hiſpanis excubitoribus in Paraquariam, Peruvium, Chilenſeque regnum res venales clanculum deportabantur. Fidem ſuperat, quot milliones ex vetito hoc mercatu Luſitanis accreverint, quot periverint Hiſpanis. Prona hinc eſt conjectura, cur hanc coloniam quantovis demum ſumptu conſervandam Luſitani, quam primum evertendam Hiſpani ſibi ſemper putaverint.

Me iſthic per biduum commorante, ea erat loci facies, ut a centuria legionariorum uno impetu illum capi poſſe, exiſtimarem. Verum ingruente dein belli metu veteri muro novas munitiones tumultuario labore fuiſſe adjectas, nil dubito, cum illius obſidio labore, temporeque tanto conſtiterit Petro Zevallos Hiſpanorum Duci bellica arte, victoriisque clariſſimo, qui, dum aperto muri hiatu aſſultum parabat, urbem numeroſo præſidio, bellicisque machinis ſecuram oblatis demum conditionibus cepit 31. Octobris anni 1762. Murorum ruinis nondum res

fectis aderat classis e duodecim, si rite memini, Anglorum, Lusitanorumque navibus bellicis conflata, Hispanos urbis jam Dominos exturbatura. Strepitu maximo, pessimo successu rem egere suam hostes. Tria admodum globorum millia navalibus e tormentis urbem versus ictu rarius prospero vibrata sunt. Hispani par pari reddiderunt. Dimicationem, quæ horas aliquot tenuit, casus fortuitus diremit. Prætoria Anglorum navi flammis consumpta, cæteræ fugam in Brasiliæ portus accelerarunt, Anglis Lusitanorum ignaviam, Lusitanis projectam Anglorum audaciam accusantibus; Hi enim, ut destinato ictu hostem læderent, cominus: Illi, ne quovis ictu ab hoste læderentur, eminus pugnavere. Hoc alter alteri exprobabat. Petrus Zevallos expugnatæ, propugnatæque Coloniæ gloriam propitiis Superis tribuit; victoriæ tamen fructus minime diuturnus pro Paraquaria fuit. Nam pace Europæos inter Principes composita Hispani, ut Havanam iu Cuba insula, Manilamque in Asia Philippinarum metropolim ab Anglis ereptas recuperarent, Coloniam Lusitanis ultro reddidere. Eandem recrudescenre aliquot post annis bello idem Petrus Zevallos, subacta S. Catharinæ insula, denuo expugnavit. Ultima demum pace, quæ Matritensem, Ulyssiponensemque inter aulam sancita est, Colonia penes Hispanos permansit. Acerba hæc quidem, tolerabilis tamen Lusitanis jactura, quibus canalis, per quem immensæ illis opes affluxerant, unus obstructus, plures alii aperti sunt, nova limitum, fluminumque cessione; Cuyaba auriferace, Matogrosso, Rosæ munitiuncula (la Estacada dicitur) aliisque Coloniis, quas condidere, illorum ditioni adjudicatis. Sunt, quibus tanta propinguitas Peruvio periculosa, Hispanis noxia, opportuna Lusitanis videatur; Hi equidem, in finibus regni proferendis nunquam somniculosi, armis perin-

 de

de, ac viarum aſperitatibus a puero aſſveti bello gliſcente quidni pedes, manusque extendent Potoſium in montem, qui quidem argento, haud item ferro, ferreisque ad vim propulſandam viris abundat? Præteritorum memoria metum futurorum injecit. Annis ſuperioribus, me in Paraquaria agente, manipulus Luſitanorum S. Roſæ munitiunculam (la Eſtacada) adverſus numeroſum Hiſpanorum, Indorumque aſſilientium agmen, Potoſii conſcriptum, ſtrenue defendit, aggreſſoribus turpiſſime repulſis. Sub idem prope tempus Luſitani perpauci eadem ex munitiuncula profecti Peruviano in ſolo S. Michaelis oppidum ab Indis chriſtianis, quos Moxos vocant, habitatum per inſidias noctu oppreſſere, binis ſacerdotibus noſtris, oppidi curatoribus e lecto in captivitatem abductis, quorum alter ætate provectior viæ immortuus, publicum in carcerem dein conjecto altero. Indi, qui fuga non evaſerant, abacti, diſſipative. Direpta omnia. Sed apage tragicas relationes! Haud enim juvat recentium vulnerum, quorum vix dum obducta cicatrix, refricare memoriam, triſtiaque præſagire in poſterum. Quin utriusque florentiſſimæ nationis felicitati, ſecuritatique poſtremo pacis fœdere ut optime conſulatur, id boni omnes optamus, ominamurque. Cum in publicis belli, pacisque hiſtoriis Coloniæ Luſitanicæ mentio identidem recurrat, ut amplitudine Lutetiæ Pariſiorum, munitionum firmitate Luxenburgo par videri poſſet rudibus, ad errorem eliminandum mea longius narratio excurrit.

Eodem in litore quinquaginta admodum a Colonia leucas Auſtrum verſus recedit Montevidéo, exilis civitas, anno 1726 a D. Brunone Mauritio Zavala Boni aeris Gubernatore condita; ſubinde ad coercendos Luſitanos, Quaraniorum opera, muris, caſtro,

variis

variis hinc atque hinc tormentorum ſuggeſtibus probe munita. Præter legionarios milites, Hiſpanosque incolas habet Canariis ex inſulis huc translatos. Quaquaverſum ager tritici feraciſſimus, ampla prædia, armentorum, equorumque incredibilis multitudo urbem circumſiſtunt In promptu eſt Colonis prædiorum fructus, quotidiana prope rem frumentariam, pecora, boum pelles vendendi opportunitas; Naves enim, quæ hoc ex portu ſolvunt frequenter, commeatu indigent, multis qui menſibus ſufficiat. Vix una abit navis, quæ vicena, tricenave bubularum pellium millia non devehat in Europam. Dolendum ſane, tantas opimi campi amœnitates barbarorum equitum inſidiis labefactari; Hi ſuis e latebris turmatim proſilientes cædibus, latrociniisque, ut occaſio tulerit, ſtragem inferunt ſæpe, ſæpius terrorem. Nullis in hanc diem artibus domari poterant, nullis officiis ad religionem, Hiſpanorumque amicitiam traduci. In alterum jam ſeculum & militum, & ſacerdotum operam luſere, belluis ferociores. Sita eſt urbs in gradu 34. 48. m. latitudinis. 322 grad. 20 m. longitudinis. De illius portu inferius plura.

Ab hoc 30 circiter leucas abeſt ſinus Maldonati, qui ſtationem offert navibus etiam grandioribus opportunam. Præter aliquot excubitores nil, niſi tuguria paucula, in quibus miſeria habitat, hic deprehendas. Quamvis ſæpe, diuque optatum, hunc ut portum, natura egregium, ars quibuscunque impenſis communiret. Vicina eſt inſula a lupis marinis duntaxat habitata. Hæc vivæ cum rupi inſiſtat, medi-umque fere fluminis argentei occupet, ſi duplici tormentorum ſuggeſtu inſtrueretur, næ! ad arcendos a Paraquaria hoſtes plurimum conferret. Neque enim ad eludendos machinarum bellicarum ictus occiden-

tem verſus recedere licebit navibus, ni Anglicanas inter ſyrtes (Banco ynglés) fluctibus ſepeliri, arenisque malint.

Ad Boni aeris præfecturam pertinent urbes ſanctæ fidei, & Corrientes: Hæc orientali, illa occidentali Paranæ litori imminet. Prima elegantior, locupletiorque. Ex commercio vario, pecorumque omnis generis, quæ dinumerare vix queas, cultura opes non mediocres colligit. Per barbaros Abipones, Mocobies, Tobas, & Charruas prope ad incitas, atque adeo in ſolitudinem redacta fuit annis ſuperioribus. Meliora, remotioraque prædia everſa. Medio in foro vel ſub ipſum meridiem patratæ cædes. Ne quis civium, niſi catapulta armatus templum adeat, lege publica cavebatur. Coloniis S. Xaverii, S Hieronymi, Conceptionis, ſanctorum Petri & Pauli, ubi barbari ad humanitatem, religionisque diſciplinam erudiebantur, per nos conditis reſpirare demum cepit urbs diu calamitoſiſſima, ac refloreſcens ſecuritatem nobis in acceptis retulit ſuam. A fronte, a tergo, a lateribus fluviis ſtipatur, qui, quoties redundant, exitium minantur incolis, quamvis extra alluvionum tempora utiliſſimi. Sita eſt in 31 gr. 46 m. latitudinis. Ab urbe Boni aeris centum diſtare leucas, dicitur, a me viſa, habitataque ſæpius.

Civitas altera, quam de las Siete Corrientes dicunt Hiſpani, nomen accepit a ſeptem ripæ angulis in Paranam flumen prominentibus, quibus cum impetu impacta aqua refringitur curſuque rapido naves adverſo flumini obluctantes repellit, ni velis vento turgidis promoveantur. Scapha, quæ remis impellitur, in fluminis trajectu multas per ambages circumducenda diu, ad declinandam aquarum rapiditatem,

tem, ut ipfe toties fum expertus, dum in S. Ferdinandi oppido Abipones yaucanigas inter verfabar. Neque id mirandum; nam eodem, quo civitas confiftit, loco magnus fluvius Paraquay in majorem Paranam irruit ea tamen ratione, ut hic curfum, ille nomen mutet fuum. Siquidem Parana ab oriente femper ad occidentem properans Paraquayo conjunctus cum illo Auftrum verfus devolvitur. Paraquayus Paranæ affociatus jam Parana apud omnes audit. Incredibile, quam vafto aquarum gurgite hi fluviorum principes unum in alveum coeuntes fuperbiant. Pelagus diceres, illorum ni margines videres. Hic locus, fi ædes e limo potiffimum compactas, palmisque tectas confideres, folo nomine urbs, urbis nomine vix dignus. Incolæ oris venuftate, ut plurimum, excellunt, qua fafcinati Europæorum plurimi nuptiis irretiuntur, per omnem vitam pœnitendis. Fœminæ improbo labore fe pene conficiunt, texendis, acuque fcitiffime pingendis veftibus, quas Ponchos vocant, occupatæ. Viri natura agiles, feftivæ indolis, equites dexterrimi; fed quia inertes fæpe, otiique amantiores, egeftate premuntur, omnibus abundaturi, fi modo glebæ fertilis, fluminisque, quas fitus offert loci, opportunitatibus uti noffent. Pacatis tandem Abiponibus, qui annos plurimos omnem late viciniam cædibus, rapinisque exhauferant, ut de urbe deferenda jamjam ageretur, collocatisque in S. Ferdinandi nova colonia, revixere cives; Redditus camporum, fylvarumque trans flumen ufus. Hæ eximiis arboribus præditæ plauftris, navibusque fabricandis nobilem fuppeditant materiam. Illi pecoribus omnis generis educandis infigniter conducunt. Ex utroque quæftus non mediocris in Colonos derivatur, cujus occafionem barbarorum quotidie infidiantium metus, S. Ferdinandi oppido non-

nondum condito, illis diutiſſime interclusit. Urbis ſitus eſt 27 gr. 43 m. latit. 318 gr. 57 m. longit.

Gubernatoris Boni aeris juribus obnoxia item ſunt triginta Quaraniorum oppida, quæ Paranæ, Uruquayi, Paraquayi fluviorum ripis propinquiora. Hæc uno nomine Doctrinas, vel terram Miſſionum Geographi: Regnum Jeſuitarum: Rebellem Catholico Regi Rempublicam vel rudes, vel malevoli impudentiſſime ſuis in libris appellant, coloribusque, quos ſeu invidia, ſeu calumniandi libertas porrexerat, nigerrimis expingunt. Quam expeditus mihi foret calamus ad refellendas iſtorum criminationes, ſi apologias, ſi ſatyras hiſtoriæ inſpergere in animum induxiſſem meum. Paucula tamen, ut calumniatorum mendacia eluceant, hoc de argumento obiter perſtringenda, duxi. Jeſuitas miſſionarios ad has colonias ſeu condendas, ſeu conſervandas Regis Hiſpani ſumptibus ex Europa veniſſe: Annuo Ejusdem ſtipendio ali ſolitos, quis ignorat? Quaranios Regi annuum tributum pendere: ſine ſtipendio ullo, quoties, & quotquot demum illorum millia a regio Gubernatore ad caſtra regia evocabantur, in alterum jam ſeculum militaſſe: Magiſtratus oppidorum ab eodem Gubernatore quot annis confirmari, Jeſuitasque regia authoritate parochos conſtitui: Illorum parochias, quoties collibitum, ab Epiſcopis viſitari: Eos honorificentiſſime accipi, lautiſſimeque haberi multis ſæpe hebdomadibus: Caſtrum utrumque, quo Boni aeris, & Montevideo urbes gloriantur, Hiſpanorum ductu quidem, ſed Quaraniorum manibus exædificatum: Exercitum regium ex Quaraniis noſtris potiſſimum fuiſſe conflatum, qui, ut corpus ab anima, a paucis Hiſpanis regebantur, quotiescunque ſeu contra bellicoſos barbaros, ſeu con-

tra

tra Lusitanos, eorumque coloniam toties oppugnatam, expugnatamque, seu contra seditiosos urbis Assumptionis res erat: Perspecta hæc omnia, explorata, ac sole meridiano clariora. Quod si ita, sententiam ferat sanior Europa, num assensum mereantur illi, qui has Quaraniorum colonias rebellem Regi provinciam, Jesuitarum regnum appellare audent Si mentiendi tanta est cupido, vero saltem similia confingerent! Regebantur a Jesuitis Quaranii, non ut servi a dominis, sed ut filii a patribus, quibus catholicis a Regibus datum negotium, illorum curam ut gererent. Et vero ad legum Regiarum amussim gubernata hæc oppida, utilitate Hispanicam in monarchiam redundante.

Duorum prope seculorum laboribus Quaranii olim vagi, & anthropophagi, Hispanorum pertinacissimi hostes ad humanitatem, ad religionem, Regisque catholici obsequium sunt traducti. Quanto sudore, quot Jesuitarum sanguine hoc negotium constiterit, quantum tricena hæc oppida incolarum numero, christiana morum disciplina, templorum splendore, officiosa in Hispanos Monarchas voluntate, artium, mechanicæque peritia, militari promptitudine præ reliquis Americæ populis eminuerint, disces, si lubet, ex Regum, regiorum Gubernatorum, Episcoporum Hispanorum, quæ typis excusæ passim prostant, literis; Ex libris item Doctoris D Francisci Xarque Decani de Albarrazin testis oculati; Doctissimi Abbatis Antonii Muratori, & Angli anonymi ex Anglico in Germanicum traducti Hamburgi 1768. Hic, licet hallucinetur in quibusdam, a me cum voluptate, & sæpius non sine risu perlectus est, præsertim, dum ait: Desipimus nos Europæi, dum Jesuitas Paraquarios vituperamus. Cogitandum nobis potius

potius esset, qua demum ratione id in Europa consequamur, quod illi sine vi, sine pecuniis apud Indos Quaranios præstitere. Illorum in oppidis singuli laborant pro omnibus, omnes pro singulis. Quin aut emere, aut vendere cogantur quidpiam; unicuique in promptu sunt omnia ad vitam commode tolerandam necessaria: Victus, vestitus, habitatio, medicina, institutio. Pecunia deficiente deficere sibi omnia ajunt Europæi, Quaranii contra auri licet, argentique omnino expertes, omnis monetæ inscii quotidie experiuntur verissimum illud Veterum: *Dii laboribus omnia vendunt.* Pro ætatis, sexus, ac virium ratione occupantur semper, nunquam labore opprimuntur. Nesciunt lautitias. Superfluis non abundant, opulentissimis tamen quibusque beatiores, quia paucis contenti. Felix equidem ille, non cui multum est, sed cui parum sufficit. Jesuitæ sacerdotes, qui Quaraniorum animos procurabant, illorum quoque corporibus consuluere. Cum solius Catholici Regis, regiorumque Gubernatorum imperiis obnoxii, non privatorum Hispanorum timendæ servituti, Indorum aliorum more, mancipati essent, nobis curantibus nova identidem oppidorum accessione, oppida incolarum numero quotannis, mirum quantum, augebantur. Anno seculi labentis secundo supra tricesimum in triginta Quaraniorum coloniis centum quadraginta unum millia ducenti quinquaginta duo incolæ censebantur. Verum lethifera variolarum contagio, quæ paulo post irrepserat, ad triginta capitum millia absumpsit. Annorum aliquot intervallo rediens mitior fuit, nam undecim duntaxat millibus lethalis. Morbilli, perinde ut Variolæ, Americanis pestilentes iterum iterumque incredibilem edidere stragem. Utrumque expertus id scribo; Nam & Variolas, & Morbillos patientibus diu, noctuque ope-

operam navavi ſacerdos, menſium plurimorum ſpatio. Fames præterea ex diuturna cœli ſiccitate, &, quæ inde conſequebatur, agri ſterilitate orta tumulos Quaraniis opplevit. His adde bello conſumptos regiis in caſtris, inquibus quina, ſena interdum millia Quaraniorum annis pluribus detinebantur. Matres Quaranicæ iterando in partu licet neutiquam aut ſegnes, aut parcæ ſupplere numerum eorum haud valebant, quos aliæ, atque aliæ, quæ ſibi ſucceſſerant, calamitates extinxerunt. Anno 1767, quo Americæ valediximus, centum circiter Quaraniorum millia his in oppidis numerata. Novi Hiſpanos complures honeſto loco natos, qui, Quaraniorum ut contubernio per omnem vitam ſibi frui liceret, efflictim optavere. Nec abs re Muratorius Quaranicis de oppidis rite inſtructus ſuo in libro illorum incolas chriſtianos felices vocat, probatque.

Hunc clariſſimi authoris commentarium: *Il Chriſtianismo felice*, aliaque, quorum ſupra memini, literarum monumenta qui inſpexerit, ambabus profecto manibus tanget mendacia, quæ ab aliis vel opinatoribus, vel obtrectatoribus de Paraquaria impudenter effutiuntur. Riſi toties, & cachinno quidem decumano, dum variorum lexica, geographicos, hiſtoricosque codices forte percurri. Videbantur mihi hæc, quoties de Quaraniorum oppidis mentio incidit, vel a ſomniantibus, vel a ſponte delirantibus conſcripta. Adeo toto cœlo a veritate aberrant. Alio, atque alio modo me afficit ejusmodi librorum lectio. Jam me miſeret ſcriptorum ignorantiæ. Interdum bilem mihi ciet illorum impudentia, quod partium ſtudio, odio, invidia cæcati commentitias, rancidasque fabellas pro hiſtoria Europæ obtrudunt. Sæpe alias tantam quorundam admiror credulitatem, qui, quam in-

ingenue scribentibus negant, calumniantibus, fabulantibusve adhibent fidem. Omnium manibus teruntur Hybneri lexica, in quibus tamen, dum de Quaranicis Paraquariæ oppidis agunt, præter errores, calumniasque nobis intolerabiles invenio nihil. Ut illi artifici nulla dies sine linea; sic hoc in opere nulla linea sine mendacio. De Paraquariæ rebus id dictum velim; De cæterarum veritate conjecturam peritioribus relinquo. Idem lexicon secundis filii authoris curis in lucem editum legeram non sine stomacho Ulyssipone anno 1748. Nam quascunque de Paraquaria fabulas credulus congesserat olim genitor, ejusdem filius typis vulgaverat denuo, sub finem tamen hæc adjecit verba: *Verum hodie alias de his Missionibus notitias habemus.* Eccur, amabo, quæ falsa id temporis agnoscebantur, non expuncta, correctaque sunt illico? Num posteriores editiones absurdis erroribus expurgatæ prodierint, nescio.

Domini Ludovici Antonii de Bougainville liber: *Voyage autour du monde*, typis datus in Neuchatel 1772 caute legendus, quia callidissime scriptus. Eximiis equidem laudibus ornat, oneratque Jesuitas, sed mox trecenta commemorat, quæ, ut veritati planissime contraria, sic nobis, Quaranicisque coloniis minime honorifica. Tacitus in vita Agricolæ *pessimum inimicorum genus, laudantes vocat.* Hi laudes illius præmittunt, quem depressum cupiunt, ut assensum extorqueant denique, dum eundem criminantur, quem laudaverant. Vix tamen inducor, ut credam ad hanc versipellium classem referri unquam posse authorem multis nominibus celebrem, de Marte, de Neptuno, de Musis omnibus, ni fallor, optime meritum. Scripsit perperam de nobis, de nostris Quaraniis, non iniquo alienis laudibus animo, sed alienis narrationibus

nibus

nibus infeliciter deceptus. Quaranica oppida ne eminus quidem vidit, ſed, utinam vidiſſet! Melioribus, nil dubito, coloribus ad exprimendam Indorum, Miſſionariorumque imaginem fuerat uſurus. In urbe Boni aeris, Paraquariæ portu, ac limine, tantum hæſit tantiſper. Iſtic ex peſſimis fontibus peſſimas hauſit notitias, quas Europæ pro veritatibus ſubinde vendidit. Ea eheu! erant tunc tempora, ut qui optime de nobis ſenſerant, optime de nobis loqui ſine periculo non poſſent. Sol oriens, non occidens a plerisque laudatur. Idem nobis tunc fatum. Nec plura de hoc. Hiſpanus non ſpernendæ authoritatis mentem ſuam his aperuit verbis: ſi cætera omnia, quae de aliis ſcripſit provinciis Dominus de Bougainville perinde falſa ſunt, ut illa, quae de Paraquaria adnotavit, illius hiſtoria ad aromatopolium pro involvendo pipere, quin ad viliorem officinam erit releganda. Excandui profecto, dum hunc libellum, tot, tantisque erroribus refertiſſimum apud viros illuſtres & aſſenſum. & plauſum tuliſſe, intellexi. Amicorum rogatu ante annos complures compluribus foliis errores abſurdiores refutavi. Refutationem huic loco insererem, ni brevitati conſultum vellem.

Regnum Jeſuiticum Paraquariæ abortus, & ſomnium eſt Bernardi Ybañez Hiſpani, bis ex noſtra tunc ſocietate ejecti. Ab homine huius furfuris, vindictæ avido, quis veritatem petat, vel Ieſuitarum laudes expectet? Miſſionarii munere nunquam functus eſt apud Quaranios, de quibus ſcribit. Quantum riſi, dum iſtum a ſcriptore, cætera probo, ut authorem veracem, ſapientemque in Hiſpania celebrari, legeram. Hiſpani ſanæ mentis omnes illius & nomen & delirium execrantur. Librum: *Il paſſagero Americano*, obiter inſpexi aliquando, & mox ab-

 jeci.

jeci. Tantum mihi, quod in descriptione coloniarum Quaranicarum futilis, & ridiculus sit, primo aspectu displicuit. Authoris nomen ignoro etiamnum. Infinitus sim, si memorem cæteros, qui oppida, Missionariosque Quaraniorum libellis mordacibus criminantur. His refellendis ego opponerem historias P. Nicolai del Techo. P. Antonii Ruiz de Montoya *la conquista espiritual*. P. Petri de Lozano. P. Antonii Sepp familiares ad fratrem suum epistolas. P. Francisci Xaverii Charlevoix lingua gallica; Nam in Germanicum traductus miserrime mutilatus est, variisque in locis corruptus. Annuas provinciæ Paraquariæ typis datas Romæ. Verum istos authores, Cicerones pro domo sua loquentes, atque adeo de veritate suspectos dices, amice lector? Quasivero Julio Cæsari de bellis, victoriisque suis scribenti nulla fides deberetur? fallere potuit, non inficior; sed nemo melius, pleniusque illo, quid actum sit, nosse potuit. Si tamen nostris difiidere relationibus pergas, age, attentis oculis inspice regias literas Philippi quinti, binas ejusdem epistolas ad Paraquariæ missionarios nostros anno 1743 die 28 Decembris ex arce Buen retiro datas. His insertam epistolam perlege illustrissimi Boni aeris Episcopi Josephi de Peralta ex clarissimo divi Dominici cœtu, qua eundem Regem Philippum de florentissimo coloniarum Quaranicarum statu testis oculatus edocet. Hæc maximi momenti documenta in latinum traducta typisque data 1745 passim prostant. Quaranios Regi catholico non morigeros duntaxat, verum & ad propulsandos hostes perquam promptos; utilesque semper præ aliis Indis Americæ exstitisse, ex hac lectione disces.

Verum objiciet aliquis seditionem, quæ anno 1753 apud Quaranios Uruquayi fluminis accolas exarsit,

arſit, exaſperatos ſcilicet Regio decreto, quo ſeptem oppida ſua omnium, quotquot Paraquaria habet, præſtantiſſima Luſitanis tradere, triginta incolarum millia emigrare in ſolitudinem, vel in aliis Paranæ coloniis precario habitare jubebantur. Huic decreto pedibus, manibusque diu repugnarunt Indi, non Regis, qui exilium imperabat, odio, ſed patriæ, qua exulare jubebantur, amore. Quidni idem facturos Hiſpanos, Germanos, Gallos exiſtimabimus, ſi ad patriam ſuam hoſtibus relinquendam Regum ſuorum adigerentur imperio? Dulce enim ſolum patriæ quibuscunque; Americanis dulciſſimum. Hinc Indorum Uruquayenſium repugnantiam eſi probet nemo, excuſandam tamen aliqua ex parte, condonandamque quis non putet? Intellectu magis, quam voluntate ab illis peccatum eſt. Animo in Regem catholicum ſemper erant propenſiſſimo, integerrimoque. Nulla miſſionariorum eloquentia induci poterant, ut crederent eam eſſe optimi Regis voluntatem, patrio ſolo extorres hoſtium Luſitanorum in gratiam æternum ut exularent, miſerrimeque. Nihil ſane (ſuis in literis ad Gubernatorem regium Ioſephum Andonaegui datis, ajebant) adverſus Regem a nobis, Majoribusque noſtris peccatum eſt unquam. Nil injuriæ illatum Hiſpanorum coloniis. Eccur innocuos nos Regis optimi ſententia exilio multandos, credamus? Avi, atavi, atque adeo fratres noſtri omnes Regiis ſub ſignis adverſus Luſitanos militarunt ſæpe, ſæpe contra barbarorum phalanges. Noſtrorum, qui hoſtium manibus cæſi vel in acie, vel in toties repetita coloniæ Luſitanicæ expugnatione occubuerant, quis numerum ineat? Superſtites etiamnum noſtræ in Regem fidelitatis, ſtrenuitatisque monumenta cicatrices circumferimus. Hiſpanici imperii fines proferre, tuerique contra quoscunque nobis usque cor-

di fuit. Nunquam vitæ, nunquam ſanguini pepercimus noſtro. Hæc noſtra de Hiſpanis merita acerbiſſimo ſupplicio, patriæ, templorum inſignium, ædium, agrorum, prædiorumque ampliſſimorum jactura, triſti exilio penſanda velit Monarcha catholicus? Id enimvero fidem excedit omnem. Quodſi tamen hoc verum, quid demum incredibile porro putabimus? Regiis Philippi quinti literis (quæ eodem jubente e publicis templorum pulpitis nobis lectæ olim) monebamur identidem; Luſitanos noſtris propinquare finibus ne unquam pateremur; illos & ſuos, & noſtros eſſe hoſtes acerrimos. Nunc, ut nobiliſſimam, ampliſſimamque terrarum portionem, quam natura, quam Deus, quam Hiſpaniæ Monarchæ nobis conceſſerant, quam uno, & quod excurrit, ſeculo ſudore tanto excoluimus, Luſitanis cedamus, Regem velle, diu, noctuque nobis clamitant. Ecquis ſibi perſuadeat, Ferdinandum optimæ frugis filium id nobis mandare, quod Philippus optimus illius genitor toties nobis interdixerat? Quod ſi tamen, ut frequens eſt temporum, animorumque viciſſitudo, converſis forte in amicitiam ſimultatibus gratificari Hiſpanus Luſitano cupiat, campos vaſtiſſimos, qui incolis, coloniisque vacui paſſim ſuppetunt, illi tribuat, per nos licet. Quid? oppida noſtra Luſitanis dedamus, a quorum majoribus tot centena noſtratium millia partim trucidata, partim in ſævam Braſiliæ ſervitutem abrepta fuerunt? Hoc ſane ut intolerabile nobis, ſic omnino incredibile. Dum Chriſti ſacra amplexi Deo, Regique Hiſpano ſacramentum diximus, Regiam amicitiam, tutelamque perennem & ſacerdotes, & Gubernatores regii uno nobis ore ſpoponderunt. Nunc, quod acerbiſſimum nobis, ac penitus exitiale, criminis nullius rei, optime de Hiſpana gente meriti ſolum vertere

antho-

authoritate Regia cogamur? Tam desultoriam, fluxamque amicitiam, tam versatilem in promissis exolvendis Hispanorum fidem quis bonæ mentis arbitretur? — — — In hanc sententiam scripsere Indorum primates Gubernatori regio, qui, ut erat optimo in Regem, Indosque animo, visis literis ægre lacrymas tenuit; Verum commiseratione per militarem obedientiam suppressa haud destitit decreti Regii executionem pro viribus urgere, minitarique tergiversantibus extrema omnia.

Fuere, quis credat? Hispanorum de vulgo homines profligatæ conscientiæ, qui Indorum in aures insusurraverant: Regem oppidorum deditionem neutiquam præcepisse, sed hæc illorum oppida Iesuitas vendidisse Lusitanis. Tam explorata Quaraniis erat Patrum suorum erga se benevolentia, ut pestilens hoc commentum assensu quidem caruerit; suspicionis tamen aliquid imbecilliorum mentibus injecit. Multi profecto missionariorum, qui migrationem ex oppidis ardentius, &, ut paucis dicam, imprudentius urgebant, capitis periculum apud Indos dolore patriæ amentes incurrerunt identidem. Illorum nomina, rerum gestarum seriem exponerem, ni hæc per transennam duntaxat memorata vellem. P. Bernardus Nusdorfer Quaranicorum oppidorum, ut dicitur, Superior, gestis apud nos magistratibus, provecta ætate, linguæ Indicæ egregia scientia, authoritate, gratiaque apud omnes conspicuus septem illa oppida percursavit, atque, Regi catholico morem ut gererent, omni argumentorum genere usus oppidorum incolas iterum, iterumque hortabatur. Et vero visus est illis, quod optaverat, persuasisse. Ast, ut varius semper, ac mutabilis Indorum animus, dum de executione agebatur, promissorum, propositorumque immemo-

res, ne mentionem quidem migrationis ferebant. Patrem Ludovicum Altamiranum Jeſuitam, qui Regis nomine ex Hiſpania in Paraquariam miſſus, ut oppidorum deditionem acceleraret, Indi & Jeſuitam, & Hiſpanum eſſe negarunt, quod illum in veſtibus, victusque ratione a nobis differre aliquantulum viderant. Quid, quod & auſi ſunt illum Luſitanum mercatorem Ieſuitarum veſte tectum pleno ore dictitare. Hic fuga, ne quid periculi ſubiret, intempeſta nocte ſibi conſuluit in ſ. Thomæ oppido, rumore de Indis ſibi propinquantibus perculſus. Periculo defunctum in ſanctæ fidei urbe ad Abiponum colonias properans illum deprehendi, riſique. Profecto, ſi qua contentione ſocii dubitantium, tergiverſantiumqu Indorum animis obedientiam inculcaverant, eadem alacritate monitis obtemperatum fuiſſet, negotium citra omnem ſtrepitum velociter, feliciterque compoſitum vidiſſemus. Verum ſurdis plerumque canebatur fabula. Publicæ per forum ſupplicationes ad flectendos animos ſuſceptæ, ſub quibus ſacerdos noſter, corona ſpinea caput redimitus, circumſtantes lamentabili voce, minis, gemitibus ad migrationem accelerandam e pulpito hortatus eſt eo fructu, ut morem geſturos ſeſe plerique ſponderent. Nec intra verba res ſtetit Poſtridie miſſiionariis ducibus iter caeptum ad ſtationes novis oppidis deſignandas, ſed paulo poſt recurrente animis oppidi natalis memoria abruptum. Rurſus, ut Ovidius l 1. eleg. 4. ingemuit, *amor patriæ ratione valentior omni* ad remetiendam viam pertraxit omnes. Senſerunt Patres, quam arduum ſit invitis arare bobus, & adverſo flumine navigare. Artis prodigium putatur, ſi quantacunque demum eloquentia de naturali inſtinctu triumphet.

Inte-

Interea ut primum percrebuit rumor, Gubernatorem fluminis f. Januarii in Brafilia Gomez Freyre de Andrade, totius tragœdiae authorem, fuis cum copiis Uruquayenfe in territorium irrepfiffe, ad arma conclamatum eft, alios aliis eodem impetu, ceu praecipitis amnis alveo, non tam trahentibus, quam rapientibus. Hannibalem novum ad portas ftare crediddiffes. Dumque vim vi repellunt Quaranii pro aris, & focis pugnantes, rebelles declarantur; Re tamen ipfa miferatione, quam fupplicio digniores. Nam Lufitanorum nativo odio, patriæque defiderio furentes fuæ ferebantur, quo cœcos impetus rapiebat. Hifpanorum jugum excutere, vicinis Hifpanorum coloniis, ut poterant, damnum inferre, nulli eorum in mentem venit. Ardebat femper illorum in pectore antiquus adverfus Monarcham fuum amor, tantus tamen is haud fuit, innatus amor patriæ illo extingui ut poffet. Certiffimum illud Nafonis: *Nefcio, quo natale folum dulcedine cunctos ducit, & immemores non finit effe fui.* Ulyffes quantum fapientia enituit, tantum fcribitur patriæ amore infaniiffe. Ultro, citroque peregrinatus optabat fumum de patriis poffe videre focis. Et qualis demum illius patria Ithaca? *Hanc maris Ionii exilem infulam in afperrimis faxulis, tanquam nidulum, affixam*, Cicero dixit 1. de orat. Cui mirum porro videatur, Indos, tantillæ mentis, nullum non moviffe lapidem, patrio ne exturbentur folo, quod fitu amœnum, aere faluberrimum, longe, lateque patens, templis, ædibusque ad Hifpanarum urbium invidiam, ornatum, fylvis, campis uberrimis, fluviis, omnibus demum, quae ad vitae ufus pertinent, opportunitatibus liberaliter inftructum non poterant non amare. Ioachimus de la Viana urbis Montevideo gubernator cum equitum turma ad explorandas locorum opportunitates Hifpani-

cis e caſtris præmiſſus editiore in colle ex equo deſiliens ſ. Michaelis oppidum a ſeptem Indorum millibus habitatum, templo magnifico, concinna ædium ſerie ſplendidum tubo optico ſpeculatur. Viſa loci amplitudine attonitus: Heus vos, ad circumſtantes equites exclamat, Matritenſes noſtri delirare mihi videntur, hoc qui oppidum nulli Paraquariæ ſecundum tradi Luſitanis velint. Hæc ille, quamvis ceterum Luſitanarum partium ſtudioſiſſimus, ut apud Hiſpaniæ Reginam Barbaram gratiam iniret. Sex alia quoque ſanctorum Angelorum, ſ. Ioannis Baptiſtæ, ſ. Aloyſii, ſ. Nicolai, ſ. Borgiæ, ſ. Laurentii oppida ut numeroſo incola, ſic templis elegantibus, aliisque rei domeſticæ prærogativis gloriabantur. Nullum tamen horum muro, foſſa, ſudibusve munitum, vel porta clauſum. Omni ex parte omnibus patebant ſemper.

Ad horum defenſionem ab Uruquayi accolis magni undique fiebant concurſus. Sed tumultuarium hoc agmen rudis erat, indigeſtaque moles, accipiendis, quam inferendis cladibus opportunior, quod Duce artis bellicæ vel mediocriter gnaro deſtitueretur, armisque imparibus in aciem prodiret, Europæo bellatori ridendum magis, quam formidandum. Arboris folium ore bajulantes formicas videbar mihi videre, dum Indos ſagittis, haſtisque ligneis onuſtos conſpicabar, ajebat mihi militum Luſitanorum aliquis. Novimus tamen, Quaraniorum equitatum Luſitanis ſæpe formidabilem fuiſſe, ac periculoſum. Nec aut tempus, aut locus ullus vacuus a metu, ac ſolicitudine illis erat, quoties haſtati Indorum equites turmatim aſſiliere, omnia auſuri, ſi ducem idoneum nacti fuiſſent. Iſtud ephemerides luſitanicis in caſtris Gomez Freyre ſcriptæ, & ad Luſitanos limitum deſignatores

tores datæ, a me in Correntina urbe perlectæ iterum, iterumque ſignificarunt. Minutiſſima ſæpe animalcula, quia numeroſa, vel leonibus ſunt metuenda. Longis utriusque factionis itineribus, velitationibus varia fortuna habitis bellum præſens definiebatur, finiebaturque. Plus certe ſtrepitus excitatum utrinque quam ſanguinis fuſum. Quod Livius l 7 de bello Macedonico dixerat, hic quoque locum habet: *Erant, qui fama id majus bellum, quam difficultate rei fuiſſe, interpretantur.* Illud tamen ex omnium ſententia certiſſimum: Europæos per tot ſylvarum, rupiumque fauces, ubi multi a pauculis repelli poterant, ad ſeptem illa oppida penetraturos fuiſſe nunquam, ſi triginta, quæ Quaranii numerant, coloniarum incolæ omnes Uruquayenſibus ſuppetias veniſſent. Sed illi, qui ad Paranæ ripas habitant, licet ad ferendam fratribus ſuis opem prurientes, in officio retenti Patrum opera, & ne armorum ſocietatem cum tumultuantibus inirent, feliciter cohibit fuerunt. Ex hoc conjice, quid ſentiendum de illis, qui nos rebellionis authores, rebellantium duces audacter, impudenterque ſcripſere. Illorum libelli ut copioſi, ſic periculoſiſſimi, quia licet præter obtrectationes, & commenta adferant nihil, argumentorum ficta evidentia, teſtium authoritate convincere lectores volunt, & aſſenſum extorquere, explodendi certe ab univerſa Europa, ſi omnibus perinde, ut nobis, conſtaret, quales illi fuerint, quorum teſtimonia allegantur. Lippis notum eſt, ac tonſoribus, multos multa adverſus nos, adverſus veritatem ſcripſiſſe, garriviſſeque vel alterutrius aulæ metu, vel dignitatum aulicarum ſpe vel placendi illis, quorum gratiam prenſabant, ſtudio. Poſſem hoc loco iſtorum nomina, conditionem, fallacias, & mille nocendi artes recenſere. Sed tutius fuerit, tempori, quod detegit omnia, hoc relinquere.

Interea dicam tibi aliquid ad aurem, amice lector! si Quaranii turbulenti Jesuitas hortatores, adjutoresque habuissent, næ! Regiis copiis multo plus negotii potuissent facessere. Patrum consilio, præsentiaque destituti rem suam stupide, ut assolent, infeliciterque gesserunt luculenta Hispanorum, Lusitanorumque utilitate. Istorum victoria illorum stupiditas fuit. Sub initium turbarum sibi ducem contra Lusitanos Josephum (cognomen ignoro) oppidi S. Michaelis prætorem, qui Corregidor, vel Capitan ab Hispanis dicitur, delegêre Hic ut manu promptus, animique intrepidi partes boni militis implevit semper, Ducis nunquam, quia Strategiam tantum calluit, quantum ego necromantiam. Isti in fortuita velitatione trucidato subrogatus ab Indis est Nicolaus Neenguirù oppidi Conceptionis per annos complures prætor, musices, quam militiæ scientior. Hoc bellum non dexterrime gubernante spes Uruquayensium, resque omnes paulatim cecidere. Septem illa oppida Regiis copiis tradita fuerunt Sed heus tu, quis quis es, qui hæc legis! Nicolai Neenguiru nomen dum pronuncias, age, caput aperi tuum, in genua procumbe; quin potius, si sapis, in risum totus effundere! Hic equidem ille est celeberrimus Nicolaus, quem inscia omni Paraquaria Paraquariæ Regem dixere Europæi, atque adeo timuere. Non sine solutissimis cachinis in Paraquaria legimus illorum folia, qui per Europam suis ephemeridibus eventus recentiores nunciant, vel comminiscuntur. Eodem prorsus tempore quo conficta Paraquarii Regis majestas omnium ora, typographea omnia fatigabat, hunc Nicolaum Neenguiru in Conceptionis oppido nudis pedibus, Indorum ceterorum more vestitum, jam equitantem, boumque catervam pro oppidi laniena præ se agentem, jam publico in foro ligna secantem vidi,

di, confideravi, rifi. Manum, ut Indi factitant, meam ofculo veneraturus acceffit; Notas muficas, fymphonias pro fidium, quas callebat, ufu a fe defcribendas enixe a me flagitavit. O factum bene! quod mifellus hic Americanus fe Regis nomine a transmarinis populis honorari ne per fomnium quidem noverit, talem fi fefe putaffet, nunquam fane tam abjectæ fuiffet indolis, fervili ut operi operam daret, manibusque ofculum impertiretur meis, fuam mihi probabilius dexteram ofculandam porrecturus.

Liceat mihi, quod res eft, ingenue dicere. Nicolaus Rex illius tantum in cerebro fuit natus, qui tota nos Paraquaria exturbatos dudum peroptavit, ut nobis Hifpanicæ dominationis illa in provincia acerrimis defenforibus amotis uruquayenfem, quanta quanta eft, regionem Brafiliæ adjiciat finitimæ. Et vero, dum paucos ante annos Hifpanis ad fluminis grandis ripas fubita aggreffione oppreffis bellum moverunt Lufitani ftragibus per viam editis ad urbis Montevideo fines progreffi funt, obftante nemine, quod quidem nobis Quaranicas colonias olim procurantibus nec cogitare aufi, nec facere permiffi unquam fuerunt. Noftra abfentia audaces reddidit Lufitanos, dum denique a Petro Zevallos cum copiis Hifpanicis advolante repulfi, victique. En Nicolai Regis genefim! Ad tegendam fraudem, conciliandamque impio commento veritatis fpeciem ingentibus præmiis Quitenfi in regno conductus quispiam, qui cudi monetam, & Nicolai Regis nomine fignari curaret. Nummi adulteri (fateor tamen, me nullum vidiffe) per orbis utriusque provincias circumferebantur, illosque in Paraquaria excufos effe a confico Rege, nemo fuit, qui dubitaret, ubi tamen, deficiente omni metallo, ne catholicis quidem Regibus ulla unquam fuerat monetaria

offi-

officina. Verum patuit fraus denique. Ipſe harum monetarum cuſor I. C. 1700 anno 20 Martii literas ad Regem dedit, quibus fatetur: *occultis mordacis conſcientiæ ſtimulis compelli ſe ad detegendum flagitium &c. Me veo forzado* (verba ſunt Hiſpani) *por unos ſecretos remordimientos de Conçiençia a deſcubrir eſtà iniguidad &c.* Hoc ſcripto detegitur venalis fidei, & profligatæ conſcientiæ vir, a quo ad cudendos Nicolai Regis nummos fuerat inſtigatus. Nomen hujus, & cognomen, tota licet Hiſpania pervulgatum, P. F. M. M, reticendum putavi, ne illi hominum claſſi, ad quam pertinet, maculam adſpergerem. Gaditana in urbe verſabatur anno 1768, dum ego cum ſociis in vicino Gadibus portu ſ. Mariæ ex America redux aliquamdiu agebam.

Regis Nicolai fama, ſparſaque ejus nomine moneta aulam jure terruit Matritenſem; ſed terrorem hunc Panicum fuiſſe miſſus ad vindicandam Paraquariam cum copiis Petrus Zevallos ſuis vidit oculis, datisque ad Regem literis declaravit identidem. Quod ſiquid dubitationis de mea hæc ſcribentis veracitate animo inſederit tuo, age, ephemerides (Gazetas de Madrid) Matritenſes anno 1768 menſe (ni vehementiſſime fallor) Octobri editas, inſpice. Leges hæc verba: *Quidquid de Nicolao Rege ſparſum, conſtat jam commentum, fabulamque fuiſſe.* Quid brevius? quid clarius? quid ad refellendum mendacium validius dici poteſt? Hæc folia, a cenſoribus aulicis Matriti viſa, probataque, ipſus ego hiſce oculis perlegi. Si convinci porro argumentis validioribus optas, auſculta. Sedatis in Uruquaria tumultibus, traditisque, quæ petebantur, oppidis ipſe Nicolaus Neenquirù ultro Hiſpanorum caſtra adiit, ſua ſponte Regio tum Gubernatori Ioſepho Andonaegui coram ſe ſtitit, omnium,

nium, quæ gesserat, rationem reddidit. Placide auditus, impune dimmissus, & veteri prætoris officio, quo dudum in Conceptionis oppido fungebatur, fungi porro permissus est; compedibus onerandus, tetro claudendus carcere, suppliciis atrocissimis excruciandus utique, & in trecenta frusta discerpendus forsitan, si de Paraquariæ regno, de Regis titulo affectato vel suspectus haberetur. Nemo sane in historia rerum Americanarum tam peregrinus fuerit, ac hospes, ut nesciat, quanto rigore inperduellionis reos animadvertere consueverint Hispani. Memineris certe, Atahualpam, vel ut alii, Atabalibam Jngam Peruvii; Montezumam Mexici Monarcham de fidelitate suspectos Hispanorum sententia olim trucidatos, alios aliis suppliciorum generibus interemptos. Num parcendum fuisse existimabis misero Indo Nicolao Neenquiru, si de regiæ dignitatis ambitu, de cusis suo nomine monetis, de periculosis Catholicum in Regem consiliis levis suspicio in illum cecidisset? Hebetiore sit, oportet ingenio, qui his intellectis ad ridendam Nicolai Regis fabulam non moveatur. Sed accipe jam fabulæ primam originem.

Tritum hispano sermone adagium est: *la mentira es hija de algo.* Mendacium rei alicujus est filia. Rumores falsissimi, qui urbem sæpe, sæpe orbem omnem pestiferæ luis instar pervagantur, ex nullius momenti recula originem traxerunt suam. Tale omnino fuit Nicolai Regis commentum, quod ex ignorantia linguæ Quaranicæ enatum primo, mox malignorum, ut dixi, hominum linguis quaquaversus sparsum est. Ordine rem exponam. Vox: *Tubichà* Quaraniis *magnum* significat. *Mburubicha* Rex, Caziquius, Capitaneus, quiscunque præses dicitur. Indorum manipulis, qui ad arandos campos, ad ligna

cæden-

cædenda, vel convehenda, ad remigandum in flumine ex oppidis mittuntur, præfici solet aliquis, qui, quid singulis faciendum, imperet, cujus nutibus obtemperandum; Tali: *Ñanderubicha* noster præfectus, vel Capitaneus, dicunt Indi Hispanorum more, a quibus, qui Gallinarum in navibus bellicis curam gerit, *Capitan de las Gallinas*, Capitaneus Gallinarum dicitur. Qui pueris, quorum est navis pavimentum verrere, invigilat: *Capitan de las escobas*, Capitaneus scoparum vocatur. Hac ratione Uruquayenses Indi ductorem suum Nicolaum Neenguirù: *Ñanderubicha* Capitaneum suum appellarunt. Quod cum audirent Hispani ex Assumptionis, & Corrientes urbibus oriundi, qui lingua utuntur ex Hispanica, & Quaranica pro cuiusque arbitrio mixta, & neutram harum plene norunt, inepte, nequiterque affirmarunt; Nicolaum ab Indis Regem dici suum. Apud Quaranios certe nostros more receptum est, ut Hispaniæ Regem *Mburubichabete*, vel *Mburubicha quazu*, vel *Carayrubichabete* summum, magnum Capitaneum, vel Hispanorum summum Monarcham appellarent. Plerisque tamen familiare erat, quoties de Rege mentio incidit, cum venerationis tenerrimæ significatione lingua semi-hispanica dicere: *Ñande Rey marangatu.* Noster bonus, vel sanctus Rex. *Ñande* enim Quaraniis *noster* significat. *Rey* Rex est apud Hispanos. Vox *marangatu bonum*, vel *sanctum* exprimit. Hinc & cœlites quosvis, dum precantur hoc epitheto *marangatu* prosequi consueverunt. Ex his liquet, linguæ Quaranicæ insicitiam seu causam seu occasionem fuisse, ut Nicolaus Neenguiru Rex putaretur. Neque silentio hic prætereundum, ex interpretum Hispanorum, Lusitanorumque ignorantia sinistras de rebus nostris opiniones sæpius profluxisse, calumniasque execrandas. Rudissimi hi homines, & sæpe non piissimi, quia lingua

gua latina, vel Quaranica ne mediocriter quidem tincti, literas nostras perperam interpretati sunt toties coram Gubernatoribus hispanicæ duntaxat linguæ gnaris, quo factum, ut actiones, locutionesque prorsus innoxiæ pro flagitiis haberentur. Ineptissimæ ejusmodi interpretationes, quarum exempla non pauca mihi in promptu sunt, risum nobis aliquando, aliquando gemitus extorserunt, innocentia plurimorum unius interpretis hallucinantis errores luente, dum illius testimonia in tribunalibus ceu instrumenta judicialia adferuntur, ac ceu veritatis oracula libros historicos implent citra omnem falsitatis suspicionem. Sed redeamus ad Nicolaum, cui partim error, partim malevolentia Regios titulos affinxit.

Extra controversiam est, illum ex parentibus, avis, ac atavis utrinque Indis Quaraniis in Conceptionis oppido prognatum, ibidem multis abhinc annis Indæ Quaraniæ matrimonio junctum, variis magistratibus functum esse. Gloriabatur P. Ignatius Zierhaim jam senex, celebrem hunc, si superis placet, Paraquariæ Regem Nicolaum id temporis juvenem ob errorem, nescio, quem publice vapulasse se, dum Parochi vices obiret, imperante. Conjugem illius vetulam, rugis liberaliter, & canis obsitam, vastissimi capitis, formæ ad terrendos mortalium oculos idoneæ, & si rite memini, semper improlem hisce vidi, quibus scribo, oculis, parumque abfuit, quin Megæram crederem. Maritus illius Nicolaus proceri erat, macilentique corporis, honesti vultus, obtutus severioris, parcior verborum. Cicatricem luculentam facie circumferebat. Ex his conjice, quam absurde fabulam fabulæ adjecerint, qui fictum Regem Nicolaum societatis tunc nostræ fratrem laicum fuisse confinxerunt. Quini duntaxat fratres laici per universas

Qua-

Quaraniorum colonias ea tempeſtate nobiscum verſabantur, quorum duo chirurgi ægris curandis, tertius parandis veſtibus præerat. Quartus templis pingendis occupabatur. Poſtremus denique ſenio, morbisque confectus & ſuam, & noſtram patientiam exercuit. Europæi ad unum omnes. Nemo illorum Nicolai vel nomine, vel cognomine inſignitus. Adhæc Indis parentibus ortus nec in ſacerdotum nec in fratrum numerum a nobis in Paraquaria unquam fuerat cooptatus. Fateor equidem Indos non ſagaciſſimos eſſe, haud tamen tam ſtipites ſunt, ut, ſi in delirium deligendi ſibi Regis incidiſſenr, fratrem laicum deſignaſſent, neglectis ſacerdotibus, quorum dignitatem ſapientiamque tantopere ſuſpiciunt. Fingamus, Jeſuitas Paraquarienſes tanta mentis vertigine fuiſſe exagitatos, ut ad regiam coronam adſpirarent aliquando, hanc utique non rudis laici capiti, ſed prudentia, virtute, meritis ante alios eximii ſacerdotis impoſuiſſent, ut Gallus anonymus in libello 1759 vulgato: *Nouvelles pieces interreſſantes, & neceſſaires &c.* ſapienter adnotavit, pagina 18. Ridiculi de Nicolao fratre laico Paraquariæ Rege commenti ridiculum tibi fontem monſtrabo.

Confabulantes Hiſpani agricolæ ad fallendum tempus de rebus, quæ in memoriam, buccamque venerant, ſermonem miſcuere. Injecta forte mentio eſt de turbis ad Uruquayum flumen nuper coortis. Enimvero, ajebat quispiam, Jeſuitæ, ſi ſapiunt, Ioſephum Fernandez laicum ſuum bello gerendo, Indisque gubernandis præficient. Hic in Hiſpania natus deſultorios inter Regis equites procenturio olim, ac militari ſcientia conſpicuus fuerat. Ut famam eundo creſcere ubique gentium experimur, ſic fortuita de fratre laico Indis tumultuantibus præficiendo u-

nius

nius cogitatio, ac futilis conjectura ad alias, aliasque aures delata est eo successu, ut quod faciendum forte dixerat alter, alter jam factum fuisse palam, proterveque affirmarit, reliqui haud timide crediderint. Sic maxima de nihilo nascitur historia. Historiam, quæ dubitationem excludat omnem, Europæorum plerique putarunt, re tamen ipsa impudens, nobisque pestilentissima fabula fuit, Quippe quæ Nicolaum Neenguiru Indorum primipilum in Paraquariæ Regem; Josephum Fernandez fratrem laicum ab Uruquayo flumine quadringentas facile leucas distantem ridicula metamorphosi in Nicolaum Regem transformarit. Memoratus frater Fernandez, mihi notissimus, Cordubæ Tucumanorum scholæ publicæ, ubi legendi, scribendique artem hispani pueri docentur, præfuit durante per Uruquariam tumultu, notandus profecto ab illa numerosa urbe, si vel unum diem a schola abfuisset. Annos plures pædagogi officio perfunctus vicinum urbi prædium, cui a Iesus, Maria nomen, aliquamdiu procuravit adeo, ut a religionis ingressu territorium Quaraniorum, quorum Rex spargebatur, ne eminus quidem spectarit unquam. En! habes compendio fabulae originem, quæ tot libellis putidis toties decantata, tam insulsa, tam absurda est, ut explodi potius, quam refelli mereatur. Mirabar sæpe, & vix mihi credebam, hoc ævo, quod de sapientia tantum sibi plaudit, fuisse tot, tantosque homines, qui hanc de fratre Nicolao Rege ineptissime proculam fabulam, ceu historiam, assensu dignam ambabus, ut ajunt, manibus amplecterentur, infantibus persimiles, quibus volupe nutricularum fabellas, narratiunculasque absurdas audire, crepitaculum, & quidquid porrigitur, avide arripere; Liceat mihi Gallici scriptoris infantilem multorum in hoc genere credulitatem damnantis ore loqui, quæ non verisimilitudinis

impulſu; ſed odio, quo in nos ferebantur, ſtimulante illorum in animos irrepſit. Conceptæ de Nicolao Rege opinioni immorituros non paucos, vix ambigo, aſt ſolum tales, qui ſponte ſua cœcutiunt, vel credendi facilitate, vel hauſti erroris pertinacia, quique in ipſo meridie haud vident ſagacioribus ceteris exploratiſſima, clariſſimaque. Poſt meum ex America reditum in variis Europæ provinciis cum omni hominum genere verſatus comperi, futiles de Nicolao Rege ſtrepitus deſpicatui eſſe apud illos, qui proſapia, prudentia, dignitate, virtute præſtant, ac totovertice eminent ex reliquis; Illos e contrario, qui rancidis de Nicolao Rege nugis veritatem ſubeſſe, etiamnum contendunt, nullius nominis, nullius momenti eſſe, nec ingenio, nec authoritate pollere, partium ſtudio, malevolentiaque cæcari, paſſim obſervaveram. Sed quis demum de iſtorum judicio angatur?

Ne quando, àmice lector, cum hallucinante vulgo ſentias, patere, corollaria pauca adjiciam ad confirmandum, quidquid de hoc argumento ſcripſi, magnopere ſervitura. Ex ſeptem illis ad Uruquayum oppidis, queis facta deditione Hiſpanorum præſidium impoſitum, tricies mille, & quod excedit, Indi incolæ exceſſerunt. Tot innocentes exules, infantulorum, decrepitorumque agmina qui ſine lacrymis ſpectaret, nemo fuit. Emigrantium quindecim millia in oppidis ad Paranam hoſpitio accepta, ſtramineisque in tuguriis locata ſunt, quibus in patria ædes e ſaxo affabre ſtructæ, commodæque ſuppetebant antea. Totidem prope Indorum migrantium millia per remotiores Uruquayi campos, armentis confertiſſimos ſparſa ſunt, ubi victum in promptu habuere. Nullis enim aut precibus, aut imperiis impetrari ab illis

po-

potuit, ut Uruquayo transmiſſo terga patrio ſolo verterent, ac mendiculorum more alienis in oppidis, aliena liberalitate victitarent, qui prius omnibus abundabant adeo, ut annis prope ſingulis ingentem pecorum, goſſypiique multitudinem Paranenſibus ſuppeditarent. Vacuata incolis ſuis oppida ex mutuo utriusque aulæ pacto a Gubernatore Hiſpano Luſitanis oblata, ſed neutiquam acceptata fuere. Præter alias tergiverſandi cauſas hæc paſſim vulgabatur: quod Luſitani diligenter nunc inſpectas, luſtratasque ad Uruquayum terras auri, argentique fodinis omnino deſtitui planiſſime intellexerint, quas ſuſpicionibus nixi, rumuſculisque variis uberrimas ſibi antea pollicebantur. Hæc dum in Paraquaria geruntur, Barbara, Luſitana origine, Hiſpaniarum Regina, quæ patriæ ſuæ ſtudioſior hanc terrarum in Paraquaria permutationem urgebat maxime, utut ætate florens acerbiſſimo, diuturnoque morbo confecta occubit. Haud multo poſt dulciſſimam conjugem Ferdinandus ſextus Rex piiſſimus, longa pariter ægrotatione exhauſtus ad tumulum ſecutus eſt. Quanta hic de providentiſſimi Numinis conſiliis dicenda, admirandaque occurrunt! Carolus tertius, qui hodiedum imperat, hæreditario jure Ferdinando fratri ſucceſſerat ſuo. Dum utrique Siciliæ dominabatur, illas fratris ſui cum Luſitanis pactiones de permutandis in America territoriis palam, providenterque improbavit; Illas ad Hiſpaniæ thronum Neapoli translatus reſcidit illico, abolevitque, ut Monarchiæ ſuæ noxias, certe periculoſas. Quaranios exules decreto Regio oppidis reſtituit ſuis; ſed talis prope horum erat facies, qualem Hieroſolymarum deprehenderant Hebræi e Babylone reduces. Exhauſta pecoribus prædia, agros ſpinis, infectisque horrentes; domos vel flammis abſumptas, vel præſidiariorum Hiſpanorum incuria mi-

ſere labefactatas, & alicubi jam tigridum, ſerpentiumque latibula attoniti viderunt. Jeſuitis antiquam, nulla re immutatam Quaranicarum coloniarum adminiſtrationem confirmavit Rex novus Carolus, qua ſpoliatos illos, relegatosque nec quidquam cupiebant luſitanicæ factionis homines. Si belli prioris incentores, ut maligni criminabantur, nos Rex exiſtimaſſet, curæ, fideique noſtræ numeroſum Quaraniorum populum haud quaquam demandaſſet. Sub idem tempus regiis literis Zeno Marchio de la Enſenada ab exilio Matritum revocatus. Hic præcipuus aulæ adminiſter, longo rerum uſu, ingenii perſpicacia clarus, de omni Hiſpania optime meritus, atque adeo Ferdinando Regi percharus pactam cum Luſitanis terrarum permutationem a ſincerioribus ſenatus regii proceribus, Americæque gubernatoribus impenſiſſime improbatam, diſſvaſamque nunquam ratam habuit, quin & Carolo Siciliæ Regi, quem Ferdinandi aliquando ſucceſſorem norat, per literas ſignificavit de Monarchiæ incolumitate magis, quam de Reginæ Barbaræ gratia ſolicitus. Hoc, ſi publico per Hiſpaniam rumori fides eſt, Marchioni de la Enſenada crimini dabatur, ob quod captus, exauctoratus, exulare juſſus eſt. Haud equidem illa tunc erat temporum felicitas, ubi ſentire, quod velis, & quod ſentias, dicere licebat.

Rex Carolus a fratris obitu initis cum Luſitania pactionibus non ſolum non acquievit, ſed bellum etiam Luſitanis extemplo indixit, ad quod gerendum ſex Quaraniorum millia regiis in caſtris ſtrenuam navarunt operam, Petro de Zevallos duce, qui occupata Luſitanorum colonia Braſiliam ipſam victor ingreſſus, aggreſſusque eſt; Aſt nuncius de pace in Europa reſtituta victoriarum curſum ſtitit. Repetitis lite-

ris

ris expeditionum suarum felicitatem Quaraniis magna ex parte deberi, Regi Carolo ingenue testabatur Zevallos vir animi & magni, & semper æquissimi, invisus tamen sæpe, sed invidis duntaxat, vel utilitates privatas sectantibus. Quam volupe superi boni! quam expeditum mihi foret hoc loco in tanti viri laudes excurrere! Familiari ejus consuetudine usus sum aliquandiu. Spectare nunquam illum potui, quin suspicerem, amaremque; Tot naturæ, tantisque dotibus pollebat. Parce, si propensioni meæ tantillum indulgeam, velut aliud agens & per transennam rudem duntaxat viri immortalis imaginem exhibebo, quam vivis coloribus expingat melior in Hispania penicillus. Nobili apud Hispanos genere illustris Patrem habuit regium Canariis in insulis gubernatorem, qui coorta incolas inter seditione fortiter pro Rege occubuit dudum. Forma erat Petrus Zevallos tam liberali, tam concinna corporis proceritate, ut pulcherrimis, quos vidi uspiam, eum adnumerandum putem. Corporis venustatem morum elegantia, ac svavitas mirum quantum auxit, & perinde, uti adamas annulum aureum, illustravit. A fastu, ac fuco omni, a supercilio longissime abfuit semper. Lenitate condire severitatem militarem, gravitati, quæ belli imperatorem deceat, comitatem summam, facilitatemque novit adspergere. Quoties cum amicis sermocinabatur, nemo illo svavior, nemo gravior, dum cum militibus illi res erat. Tonare mihi videbatur, citra commoti tamen animi indicium, ac verborum acerbitatem. Vel solus illius adspectus amorem, reverentiamque imperavit summis, mediis, infimis. Ubi ubi demum versaretur, in urbe, in castris, in itinere probissimi christiani, præclari ducis, integerrimi judicis, & si res ferebat, strenui militiæ partes implevit. Vidisses illum, dum per nego-

 tia



tia vacabat, genibus humi nixum, immotis oculis ad binas ſæpe horas in templo precationem producere, rariſſimo ad circumſtantes ſpectaculo. Octiduum animo meditationibus ſacris excolendo quotannis tribuere conſuevit. Conjugii per omnem vitam expers ea nitebat innocentia, morumque integritate, ut ne Momus quidem, etſi Argus, totusque oculusque eſſet, quod carperet, in illo quidquam detexiſſet. Iſtius ſane exemplo patuit: Militiam pietati, pietatem militiæ neutiquam repugnare, quin potius aliam ab alia mirifice juvari, ornarique. Suis in caſtris religionis contemptores averſatus ſemper, ac omni virium contentione inſectatus eſt, qui nulla conſcientiæ ratione habita in omnes turpitudines licentiſſime effuſi militiam malitiæ officinam putant, ubi ille optimus, qui peſſimus. Illuſtres victorias, quas plaudente Hiſpania Hiſpanus hic heros de Luſitanis reportaverat, non fortunæ, ſed egregiæ illius pietati tribuendas jure exiſtimavimus, ſuperis cœpta ejus quotidie fortunantibus, ſupplentibusque interdum copiarum paucitatem. Singulari rerum divinarum ſtudio virtutes militares, quot quot ſunt, pulcherrimo vinculo conjunxit, quas in Ducibus ſingulis optamus, in pauciſſimis deprehendimus. Acerrimo ingenio, judicio ſagaci, animo ad quidquid audendum expedito, diligentia diu noctuque invicta, longa belli experientia, integerrima in patriam, patriæque principem fide, ſi quisquam alter, plurimum excelluit. Prodeſſe Regi ſuo, quam placere ardentius curavit. Aſſecutus eſt utrumque, etſi obtrectatorum artificiis regia gratia ſemel, ac iterum exciderit. Nec inſolitum hoc, nec mirum, quia viris de publica re optime meritis commune fatum. Nam & ſol, beneficentiſſimum illud ſidus, lunæ oppoſitu obſcuratur aliquamdiu; aſt mox pleno lumine, quod non amiſit, ſed abſcondit tantiſper.

denuo

denuo ſplendeſcit. Detectis, ſpretisque æmulorum machinationibus Petri Zevallos merita, ac habilitates exquiſitas perſpexit denique Matritum. Rege Carolo imperante negotiorum cauſa ad Neapolitanam, Parmenſemque aulas legatus eſt. Ut armis vincere, ſic verbis perſuadere aſſuetus calamum perinde, ac gladium pari ſemper dexteritate tractavit. Extra controverſiam eſt vel Anglis, Luſitanisque teſtibus, illum rei militaris ſcientiam penitiſſime omni ex parte calluiſſe. Nihil egerat non diu ante meditatum. Ut optatus exitus propoſito reſponderet, noverat ſubſidiis uti exquiſitiſſimis, expeditionibus maxime eximios, quorum ſcilicet explorata dudum eſſet fides, virtusque militaris, præficere tribunos, impedimenta removere, difficultates vincere, pericula præmeditari, & ſi aſtu eludi haud poterant, viribus ſuperare, nihil, quod præſtare hodie licebat, poſterum in diem differre, nullam rei bene gerendæ occaſionem negligere, in fluminum, paludumque trajectu, per latiſſime patentem planitiem, ubi nec aquationis, nec lignationis opportunitas, tempeſtive copiarum ſecuritati, commoditatique conſulere, nihil impetu, omnia conſilio patrare; Verum licet in audendo minime præceps, in laceſſendo hoſte nunquam projectus, in pugnis tamen, & locorum oppugnationibus acerrimus æque, ac pertinaciſſimus fuit. Neque adverſis rebus terreri unquam, nec ſecundis inflari, minus victoriis ad crudelitatem concitari poterat, ſui ſemper ſimilis. Militem, ad nutus omnes ſibi morigerum ut experiretur, benevolentia, præclarisque exemplis ſibi devincire conabatur. Atque hanc ego cauſam fuiſſe exiſtimo, cur exiguis ſemper copiis res multas, magnasque feliciter geſſerit. Haud ſatis illi fuerat, imperaſſe facienda, num, quæ imperavit, rite facta eſſent, ipſe coram inſpicere ſolebat. Mira-

rabat sæpe illius minutissimis de rebus solicitudinem; dum cum copiis iter aggressurus plaustra inspectavit ipse, num necessaria armorum, annonæque supellectili onerata, num custodibus rite munita essent, minutatim percontari solitus. Vagis rumoribus, ambiguis responsis, oculis alienis raro acquiescens, suis, quoties licuit, oculis explorare, manibusque, ut ita dicam, contingere omnia, ac de rebus momenti certior fieri satagebat, ne quid detrimenti exercitus pateretur, neu hostium insidiis pateret, consiliisque succumberet. Concubia nocte, aperto in campo, sparsos remotis in stationibus excubitores equites eques ipse lustravit identidem, somni vel immemor, vel, ut ceterarum deliciarum, insignis contemptor. Ducis vigilantiam, obedientiamque militis præsidium esse tutissimum exercitus, ac victoriarum matrem, dictitabat. Dicti veritatem læti in illo experti sumus.

Hoc virtutum militarium comitatu stipatus cum castra adierit, nil mirum, pleraque omnia illi ad votum fluxisse semper. Felicitatem, cœli munus, illi sacramentum dixisse, ejusque sub signis militasse, passim dicebamus. Postremo, quod in Italia Hispani gessere, bello cum laude interfuit centurione, an tribunus id temporis, ignoro. Quidquid isthic fortiter gessit, præludium fuerat illorum facinorum, quæ in America meridionali dein adversus Lusitanos bello duplici patravit. Neque putes, velim, amplissimis Petri Zevallos meritis regias remunerationes defuisse. Insigni præfectura equestris sancti Jacobi ordinis ornatus, S. Januarii equitum numero adscriptus, Matrito ipsi militaris gubernator est præfectus. Aliquot post annis clavim auream, singularis in aula prærogativæ indicem a Carolo Rege accepit. Rumore de Paraquariæ turbis Hispaniam pervagante tum denique

pa-

patuit, quanti Ferdinandus Rex Petrum Zevallos faceret, quantumque in ejus virtute fiduciam omnem collocatam haberet. Commiſſa illi provinciæ Boni aeris gubernatione ad pacandos Quaraniorum animos, ſeptemque, ut dixi, oppidorum deditionem accelerandam eo navigare juſſus eſt cum quingentis equitibus legionariis, qui ex ſingulis, quas Hiſpania numerat, deſultoriorum legionibus excerpti fuere. His acceſſerant ſeptem, ſi rite memini, peditum centuriæ, ex transfugis Germanis, Gallis, Italis, paucis Polonis, & aliquot, quod mirere, Ruſſis conflatæ, ac Parmenſi in ditione a tribuno Hiſpano magnis ſumptibus paulo ante conſcriptæ. Plerique horum veterani erant milites, militari indole feroces, præliisque in Europa defuncti. Quoties cum hoſtibus res erat, haud equidem operam deſiderari ſuam paſſi ſunt in Paraquaria. Ceterum ut patrio in ſolo repetitis transfugiis aſſveti, ſic apud antipodes quoque, dum occaſio ſe dabat, turmatim fuga dilapſi ſunt, nuptiarum, vitæque mollioris deſiderio. Ut adeo certiſſimum: Illos, qui trans mare currunt, cœlum, non animum mutare.

Procelloſo mari diu, multumque jactatus Petrus Zevallos anxias toto pectore volvebat curas de tranquillanda Paraquaria, quam bello ardere inteſtino etiamnum, Regique Nicolao devotam, ut rumor ferebat, ſuſpicabatur. Boni aeris litora conſpicatus, ne copiarum ſubitam exſcenſionem diſcrimini objiceret, milites ſpeculatores ſcapha præmiſit, qui concurrentem ad ripas argentei fluminis populum ſolenni illa Hiſpanis excubitoribus interrogatiuncula eminus inclamaverant: *Quien vive*? Quem ſcilicet hic loci Regem agnoſcerent? Riſus omnium pro reſponſo fuit. Ferdinandum ſextum, quem diu ſoſpitem præſtarent ſu-

 peri,

peri, sibi Regem esse, futurumque, dum superstes fuerit, uno omnes ore profitebantur. Ad abstergendas advenarum suspiciones hoc satis, superque fuit; Rumusculis enim Europæis delusi putarunt Regem Nicolaum maximo sanguinis & sui & alieni impendio vix, ac ne vix quidem e solio deturbandum esse. Obstupuit sane ipse Petrus Zevallos, dum pacatam provinciam, morigeros dudum Quaranios certis authoribus intellexit. Nullam enimvero cum Indis dimicationem, plurimum tamen negotii, contentiones acerrimas cum Hispanis præfectis lusitanicæ factionis porro habuit, quos inter eminuit utique Marchio Val de lirios, cui authoritate regia datum negotium transigendi pro arbitrio cum Lusitanis de re quacunque, quæ ad pactam terrarum permutationem pertinere videretur. Vir, cætera bonus, voluntatum tamen Reginæ Barbaræ æquo studiosior, dignitatumque, quas illa pollicebatur, expectatione ebrius Lusitanorum emolumentis maxime consultum ibat, Petro Zevallos, cui Hispaniæ salus magis, quam Reginæ favor cordi fuit, pro viribus repugnante. Hic circumspectis, ac citra partium studium diligenter excussis omnibus, quæ suum ante adventum durantibus turbis acciderant, multa adversus Quaranios, eorumque missionarios vel temere scripta, vel nequiter exaggerata comperit, &, quod res erat, ingenue ad aulam perscripsit, Quaraniorum, ad quos coercendos, plectendosque venerat, subito vindex, acerrimus defensor, laudatorque. Hoc veritatis, æquitatisque studio quorundam odia sibi conscivit quidem, sed patefactis æmulorum fallaciis, æternam apud bonos omnes memoriam commeritus, triumphum cecinit denique.

Reginæ Barbaræ, & Ferdinandi Regis obitum ingens rerum converſio, totiusque, ut ita dicam, theatri mutatio ſubſecuta eſt. Bello enim a Carolo fratris ſucceſſore Luſitanis indicto Petrus Zevallos Quaraniis, ad quos debellandos venerat, ceu validiſſimis inſtrumentis uſus eſt feliciter ad Luſitanos oppugnandos. Sexies mille Quaranii, illo vocante, ad regia caſtra advolarunt. Suis ex oppidis per annos complures non militibus duntaxat, ſed & limitum definitoribus hiſpanis alendis multa boum millia, farinam, omne annonæ genus, & quidquid ad commeatum pertinet, liberaliter, prompteque ſuppeditarunt. Si quam prius nomini ſuo adsperſere maculam, quod de regia voluntate dubii ſua Luſitanis cedere oppida renuerint aliquamdiu, armisque defenderint, illam abſterſerunt profecto, expiaruntque, dum ſemper alias integerrimæ in Hiſpaniæ Monarcham fidei luculenta adeo documenta dederunt Petro Zevallos teſtante, demirantibus univerſis. Hæc ad vindicandam veritatem Quaranicis de rebus inſpergenda hiſtoriæ putavi. Si tot aliis licuit impune fabulari, impudenterque mentiri, cur mihi integrum non ſit certa, indubitataque in lucem proferre? Clarius, uberiusque hoc de argumento ſcriberem, ni famæ multorum parcendum exiſtimarem. Tuum erit, lector ſapiens, diſpicere, utrum libellis vel criminandi, vel placendi ſtudio procuſis, an mihi iſtarum rerum ſpectatori fides debeatur. Verum etſi aſſenſum merear, vix tamen ab omnibus expecto. Falſa enim, philoſopho teſte, veris aliquando credibiliora videntur. Ratio, quam reginam eſſe ac gubernatricem voluntatis oportebat, ejus pediſſequa fit heu! toties, ut adeo natura propenſi ſimus, facilesque ad credenda illorum vituperia, quos invidia ſtimulante odio habemus. Credat quisque, quod lubuerit. Mihi iſtic nec ſeritur, nec

nec metitur. Si hujus ætatis homines inveteratis præjudiciis fascinati assensum mihi negaverint, posteri saltem dubitandi rationem invenient de veritate rerum, quæ contra Guaranios tot linguis, tot calamis semper celebratos, nunquam satis celebrandos, perperam scriptæ circumferuntur. Victorias, aliaque præclare facta Petri Zevallos, cuius virtutes hic strictim memoravi, suo loco a me inspersa invenies.

Tucumania altera Paraquayensis provinciæ præfectura, latissime quaquaversus porrigitur. Ad ortum Boni aeris ditionem, ad occasum Chilenses alpes, ad meridiem immensos campos, qui ad Magallanicam regionem usque excurrunt, ad septentriones Tarijense territorium, quod de chichas vocant, attingit. Cyriacus Morelli (vero nomine, Dominicus Muriel Hispanus, meus quondam in Paraquaria socius) in fastis novi orbis anno 1776 Venetiis typo datis suspicatur: Dioecesim Tucumanensem, nisi Quebekum forte excedat, toto orbe amplissimam esse haud equidem subditorum numero, sed terrarum, quas complectitur, spatio. Ad fidem opinioni suæ conciliandam literas recitat, quas Petrus Michael Argandoña Tucumanorum Antistes, mihi Cordubæ notissimus, anno 1750 pridie nonas Decembris ad summum Pontificem Benedictum quartum decimum dederat. *Dioecesis hæc*, ait inter cetera, *latissime patet a Septentrione ad Austrum per quadringentas leucas præter propter.* Ab ortu ad occasum ducentas circiter leucas excurrere videtur, quod quidem ille Episcopus non memorat, cum barbaris ingentem terræ portionem hinc, atque illinc occupantibus arduum sit certos Hispanicæ ditionis limites definire. Ex quo liquet, dictionarium Historico-geographicum Americæ meridionalis Coleti insigniter, ut sæpe alias, hallucinari, dum ait:

Tu-

Tucumania extenditur a Meridie ad Septentrionem plus quam centum ſexaginta leucas; & nonaginta ſex ab ortu ad occaſum. Riſu quoque dignum, quod in ephemeridibus Viennenſibus gallica lingua ſcriptis anno 1775. 8 Julii legeram Matrito 30 Maji nunciatum: — — — *Gubernatoris Tucumaniæ, provinciæ inter fluvios Pardum, Paraquayum, & Orinocum ſitæ. On vient, d'etre informe ici par des lettres du Gouverneur de la province de Tucuman, ſituee entre le rio Pardo, le Paraquay, & l'Orenoque, &c.* Ecquis ſomniavit unquam his Tucumaniam fluminibus cingi, quæ omnia, Paraquayo excepto, longiſſimis terrarum intervallis ab illa abſunt? Cur fluvius Pardus, infimæ notæ exprimitur, & ingentia flumina Uruquayus, fluvius Niger, & magnus f. Petri tacentur? Si lubido fuit peregrina, remotiſſimaque flumina memorare, eccur Maragnonii, f. Franciſci, f. Januarii fluminum non fit mentio? Quid negotii, vel affinitatis Tucumaniæ cum flumine Orinoco? quod totius Braſiliæ, ut alias taceam provincias, interjectu per novum regnum Granatenſe decurrit. Viſum mihi eſt hunc errorem perſtringere, ut palam facerem, quam abſurde aliqui miſceant quadrata rotundis, dum de remotiſſimæ Americæ rebus hiſtorias, lexicaque conſcribunt. Augiæ ſtabulum citius, quam iſta perpurgaveris.

Tucumania Gubernatorem, Epiſcopumque proprium habet. Hic Cordubæ, ille Saltæ reſidet, quæ quidem urbes facile principes. Reliquæ celebritatis parum, nihilque ſplendoris obtinuerunt. Corduba, quam Rex Philippus quintus, literis ad Stephanum Urizar gubernatorem datis, Tucumaniæ metropolim dixerat, ædium honeſtate, academia celebri, colonis & numeroſis, & opulentis eminet. Nusquam ſeu paſcua lætiora, ſeu omnis generis frequentiora pecora.

cora. Plura mulorum millia quotannis venalia in Peruvium ex his prædiis mittuntur. Rupes altissimæ per Cordubensis agri tractus passim assurgunt. Paucas ab urbe leucas abest locus, ubi calx conficitur, ad amnis Pucara, qui Cordubam alluit, ripas. Huc missus nocte serena, cœlo sudo, aere tranquillo horridos fragores, qui machinæ bellicæ tonitru imitabantur, exaudivi identidem. Castrum aliquod repetitis tormentorum ictibus ab hoste oppugnari, jurassem. Ast tonitrua istiusmodi propinguis rupibus propria, ac prope quotidiana esse, adstantes incolæ affirmarunt. Aer intra montium cavernas compressus, dum per meatus fors tenuiores erumpere nititur, ast saxorum claustris impeditus, anfractibusque repercussus mugire horrendum in modum, ac tonare videtur. Illud tamen miror, me, cordubenses alpes toties pervagatum, nihil ejusmodi fragoris usquam percepisse. In ipsa urbe Cordubensi noctu auditur sæpe murmur quoddam obtusum, quale edi solet, dum pistillo quidpiam ligneis in mortariis contunditur. Surdus hic, & nescio, quid triste sonans strepitus ex alia in aliam plateam excurrit; Ab Hispanis *el pison* dicitur, quod paviculam significat, illud scilicet instrumentum, quo viarum structores lapides contundunt. Rudis plebecula, spectrum aliquod, lemurum de genere, urbis plateas obequitare, credit, tremitque. Mihi vero, qui toto biennio semel dumtaxat nocturnum illud murmur perceperam, dubium non fuit, vento subterraneo id tribuendum esse, qui per terræ hiatus procurrens vehementiore impulsu sibi exitum quærat; Terræ motibus enim crebrioribus campum, cui urbs insidet, excavatum, dehiscentemque sæpius observavi. Salta urbs, per quam commeatur in Peruvium, e mulorum transitu præcipuas colligit utilitates. Jacobopolis (Santyago del estero) urbs

Tucu-

Tucumanorum antiquissima, ac diu tum Episcopi, tum regii gubernatoris sedes. Ædibus nec copiosissimis, nec elegantissimis definitur. Innocentius duodecimus superiori seculo exeunte episcopalem sedem Cordubam transtulit. S. Jacobi urbs templa satis decora ostentat; Alluitur a fluvio dulci; Hic annua alluvione turgidus altissimos arenarum montes aggerit, qui propugnaculorum instar cives, si obsiderentur, contra tormentarios globos insigniter tueri possint. Ditionis Jacobopolitanæ incolis quo minus facultatum, eo plus animorum in barbaros semper fuit. Militari virtute reliquis Paraquariæ Hispanis, ut Spartiatæ olim quibuscunque Græcis, antecellunt. De hac illorum prærogativa suo loco plura. Ex ceræ commercio, quam per remotissimas sylvas nativis ex alvearibus laboriose colligunt; Ex tritico item, quod ad Boni aeris portum devehitur, proventus haud equidem uberrimos habent, lucro laboribus, molestiisque semper minori. Pecora illis minime numerosa, ob camporum, ubi pascerentur, exilitatem, qui arenis undique obsiti gramen parce suppeditant vel eo etiam ex capite, quod hybernæ prumæ, caloresque æstivi hic sæviant atrocius, cœlumque septem interdum mensibus nec stillam aquæ effundat. Equos, quod hyeme nil pabuli usquam in campo suppetat, arborum ramos, caprarum more, quin & stipites aridos avide rodentes, ipsus vidi toties; Ni exundans quotannis fluvius dulcis omnem late agrum affatim rigaret, ut Nilus Ægyptum, nullæ prorsus fruges istic nascerentur. Solennis hæc alluvio circa Januarium fere ingruit ex nivibus Chilensium, Peruviensiumque alpium solis æstu liquefactis orta. Menses equidem November, December, Ianuarius uti hyberni Europæis, sic Americæ meridionali æstivi sunt. Advenis terribile visu, sed agricolis dulce spectaculum, dum fluvius

vius hic grasilis alias, & vadosus aquis peregrinis tumefactus repente extra alveum effunditur, litora superat, camposque circumjectos plurium sæpe hebdomadum spatio liberaliter rigat. Incredibilis inde agrorum fæcunditas. Nusquam uberius triticum omnis generis videas, nusquam pepones, quos aquaticos dicimus, aut grandiores, aut dulciores. Nubes insoliti coloris alluviem prænunciant indigenis. Ex Chaco provincia iter faciens in Tucumaniam horis antemeridianis flumen dulce eques transmisi. Propinquis in ædibus prandi. Hispanus advena, qui eidem mensæ accubuit, alluvionem solitam (El bañado dicitur) nobis proqinquam sancte affirmat. Quærenti mihi conjecturæ ejusmodi fundamenta: vidi nubes alluvionis prænuncias, reponit. Augur fuit. Vix semihora fluxerat, adest nuncius, omnem late viciniam innatare aquis, anhelus refert. Exivi. Pontum esse undique, ubi paulo ante campus erat, obstupui. Adeo flumen dulce, jam a se aliud, solum omne in salum convertit, relicta tamen aquis dulcedine. De tempestivo Tucumanum ad litus transitu identidem mihi gratulabar, trepidationis memor, cum qua superiore anno in sancti Jacobi urbis conspectu idem flumen, alluvione superbum trajeci pelle bubula vectus, quam, ut istic ob cymbæ, pontisque inopiam moris est, natans Hispanus loro trahebat.

Circumfusa Jacobopolitano territorio nemora siliquam græcam (S. Ioannis panem vulgus nostrum appellat) ab Africana tamen illa, vel Hispana diversam, copiosissimam producunt, quæ mortario contrita potum, in farinam redacta mellitum panem præbet, quin seu esa, seu pota medicinam; virtutem illius celebrant Europæi in America e nephritide, vel stranguria laborantes, Americanis, queis nephritis

ne

ne de nomine quidem nota, Cachexia, phtifi, macie tabefcentibus, incredibile, quantum vires reftauret. Plura de faluberrimo hoc fructu inferius, ubi de plantis fermo erit, dicemus. Ipfae adeo beftiae, equi, muli, boves nullo pabulo citius, certiusque pinquefcunt. Idem, cujus facta mentio, fluvius dulcis annonæ fupplementum eft accolis. Per hunc annis prope fingulis, incerto tamen tempore, confertiffima pifcium (zabalos vocant Hifpani) multitudo defluit, continuata in dies plurimos fucceffione; Hoftem terga prementem eos fugere diceres. Nec aftu, nec reti opus eft ad hos capiendos. Manibus prehenduntur tanto numero, ut his fervandis vix vafa fufficiant. Eo tempore, quo ille pifcium affluxus (Cardumen dicitur ab Hifpanis) fervet, nullæ præterea dapes vulgi menfas occupant. Fora, templa, fcholæ, pifcem olent. Illud indagatione dignum, cur fine admiftione alterius fpeciei fquamigeræ folos pifces zabalos gregatim velut alio transmigrare videamus; Fortaffis, quia ifti omnium frequentiffimi, atque ideo per antonomafiam *pifces* ab Indis vocantur. Sic *Noayi* Abiponibus pifces generatim, & proprio nomine zabalos fignificat. Idem in linqua Quichua Peruviana ufuvenit. Alio in fluvio, qui ad Paraquayi litora in Timbó properat, fed proprio nomine caret, ejusmodi pifcium demigrantium iter multis diebus obfervavimus, hoc tamen difcrimine, quod promifcua pifcium turba affluxerit. Multi peregrini, nunquam alias illo in loco vifi a nobis capti funt. Quæ res tantæ emigrationis caufas inveftiganti mihi lucis aliquid afperfit. Pauca milliaria à nobis diftabat flumen grande, vel Vermejo; ab Abiponibus Ínaté dicitur; Exundans latiffime extra ripas effundit fefe. Opinor, præcipiti aquarum decurrentium impetu omne genus pifcium abripi,

devolvique ad vicinos amnes, qui cum aquas vel amaras, vel salsas, certe acidulas vehant, advenis piscibus dissipiunt adeo, ut amaritiem, salsuginemque pertæsi secundo flumine ad aquas dulciores, quibus nativo in fluvio assueverant, ubi ubi quærendas turmatim festinent. Hæc mea conjectura in fluvio dulci locum vix habet, ubi extra diluviei tempora solos zabalos, non item aliud piscium genus, subito adventare experti sumus.

Huic affine quid P. Jacobus de la Torre refert in suis de Peruvio relationibus Romæ primum, dein anno 1604 Moguntiæ editis. Cum Cœlum Peruvianum aquam pluviam neget semper, rore nocturno, amniumqne e rupibus erumpentium beneficio duntaxat illud solum rigatur. Agro autem juxta urbem Aricas, qui utroque hoc subsidio destituitur, alia Deus ratione consultum voluit. Nam, audi verba ipsius authoris, *quo tempore sementis fieri consuevit, infinita sardorum turba (notum piscium genus) in litora maritima se effundit. Iis mox accolæ naviculas suas complent, capita Sardorum resecant, insertoque in ea unico frumenti (Mayz dicitur) Turcici grano seminant, fructu haud minus uberi, quam si irriguo rore, vel lympha perfusa fuissent. Corpora* (Sardorum) *in fimi vicem cedunt; quo, uti & maritimarum volucrum cadaveribus, arva mirifice pinquescunt.* Hactenus ille, qui Peruvianæ Provinciae nostrae Procurator fuit. Ad dictorum confirmationem juvat his attexere aliud de piscium migratione experimentum. In nostra ad Americam navigatione promontorio viridi, seu Hesperidum insulis a tergo relictis trium hebdomadum spatio infinitam piscium catervam eadem via, nescio, quo properantium quotidie spectavimus. Illos lusitani Melotas vocant. Vastissimi sunt corporis, sed non longi. Caput illis in-

ingens, & globi inſtar rotundum. Magna cum jactatione, nec minori cum ſtrepitu aquis immergunt ſe identidem. Emergentes ex lato, quod in capite patet, foramine incredibilem aquarum vim in altum jaculantur cum ſuſurro. Neque fontes, quocunque demum artificio, Regiis in hortis ſtructi ad tantam altitudinem undam attollunt. Quo inſtinctu, qua de cauſa, ad quem ſcopum innumerabilis hæc piſcium multitudo fugientium more proficiſcatur, id aliis diſcutiendum lubens permitto. In noſtro per eundem oceanum ex America quadrimeſtri reditu ne unicus quidem illorum piſcium nobis in conſpectum venit. Diſcriminis huius cauſam liceat mihi conjectare. In Americam navigantes piſcium migrantium agmina octubri menſe exeunte, ac Novembri ineunte aliquamdiu obſervavimus, quo ſcilicet tempore Boreali in Hemiſphærio hyems, in Auſtrali Americæ æſtas initium ſumit. Ad hæc piſces illi, de quibus mihi ſermo, Melotæ a Borea Auſtrum verſus nil variato itinere curſum direxere ſuum. His conſideratis quid ſi dicamus: Piſces memoratos mare Boreale hybernis turbinibus procelloſum jactationis metu fugere, & ad Auſtrale æſtivis menſibus magis tranquillum malaciæ, quietisque deſiderio properare? Eo fere inſtinctu, quo hirundines bruma ingruente ad calidiora ſe recipiunt loca. Beſtias pleraſque futuram tempeſtatem præſentiſcere nemini non exploratiſſimum. Ut alia omittam experimenta, lupos aquatiles, dum adverſo flumine catervatim natantes in Paraquariae fluviis navigantes vidimus, de portu quo nos tueremur, actutum cogitabatur; Turbinem enim, procellamque minacem nobis imminere, nemo unus dubitavit. Et vero hæc luporum præſagia nunquam fallere, toties experti ſumus.

Sancti Jacobi urbs colorias Indorum quam plurimas suis olim juribus obnoxias numeravit, quos vel armis, vel armorum terrore primi subegerant Hispani. Hodie coloniarum istarum rudera passim conspiciuntur, incolis, Hispanorum priuatorum scilicet mancipiis, jam variolarum peste, jam miseria inediaque consumptis. Restant etiamnum oppidula: Matarà, Salabina, Moppa, lasco, silipica, lindongasta, Mañogasta, Socconcho; A presbyteris secularibus procurantur, habitanturque a pauculis singula Indis, Hispanorum, qui illis immixti degunt, servitute potissimum occupatis. Miserrima illorum conditio, ruditas incredibilis, sordida tuguria, & templa tuguriis vix meliora. Quantum hos inter Indos, Hispanorum privatorum servituti mancipatos, Quaraniosque nostros solius Hispanici Monarchæ imperio subditos intersit, attonitus, & non citra commiserationis tenerrimæ sensum toties vidi. Idem prorsus de Indorum oppidulis, quæ in aliis Paraquariæ ditionibus adhucdum supersunt, sentiendum.

S. Michaelis urbecula, quæ vulgo Tucuman audit, alpibus chilensibus finitima, a collibus, Campis, rivis grandiusculis, sylvisque amænis ambitur; Hæ altissimis arboribus conspicuæ insignes e Cedrotabulas, trabesque ædificiis maximis pares toti late provinciæ offerunt, quæ quidem, cum 400 facile milliarium spatio plaustris advehantur, in Boni Aeris urbe magno pretio Veneunt. Neque id mirum; nam asseres non serra, quam aquarum illapsus moveat, sed operarum manibus laboriose, lenteque confier solent Ejusmodi serræ machinam ad opportuni fluminis ripam paraverat artifex Germanus, quam tamen, etsi magno usui fuerit aliquamdiu, incolæ antiqui moris tenaces pessumdedere illico. Sudare malunt,

lunt, quam exterorum ingenio juvari. Tucumaniam provinciam ſylvis nudatam, immenſaque planitie, quin vix unam arborem deprehendas, circumſcriptam dicit rerum Americanarum ſcriptor noſtra ætate clariſſimus. Miſeret me viri optimi, qui diligens cætera veritatis inveſtigator, alienis teſtimoniis circumventus ſit toties. Quis noſtrum riſum teneat, dum Tucumaniam arboribus, nemoribusque Carere legerit? Hoc ſcilicet fatum omnibus commune, qui ſolum, quæ ex libris didicerint, non quæ ſuis oculis ſpectarint, de America ſcriptitare conſueverunt. Iſtius tamen generis hiſtorici præ aliis plauſum ferunt, minime invidendum, quia offenſæ veritatis præmium; quippe qui mirabiliora, etſi minus vera ſolent adferre, admiratione digni plebeculæ, cordatorum aſſenſu nequaquam.

Rioja, & S. Ferdinandi vulgo Catamarca urbeculæ montes inter ſepultæ latitant. Ex vinearum aliquot, & piperis cultura quæſtum faciunt potiſſimum. Piper enim illud rubrum, quod turcicum dicimus, quotidiano uſui, quin & pro deliciis eſt Hiſpanis. Non cibos ſolum quoscunque, ſed & Caſeum, qui pro immenſa armentorum multitudine in Boni-Aeris, Cordubæque prædiis rariſſime conficitur, purpureo illo mordacique pipere ita farciunt, ut lactis candore, dulcedineque obliteratis rubentis ceraſi referat colorem, tantamque acrimoniam, cui ferendæ non ſint Europæorum fauces. Vineæ per univerſam Paraquariam digitorum, quos ſingulis manibus geſtamus, numerum vix æquant. Cælum, ſolumque vitibus quidem apprime propitium, idoneumque experimur, ni illorum radices a formicis inſolentiſſime dominantibus corroderentur. Hiſpani, qui Germanorum more vinum & bibere, & colere norunt præ-

clare, vinearum culturam abjecere penitus, suam ludi quot annis operam, dudum experti. Formicis, quod fortunæ magis, quam quibuscunque artificiis tribuendum, internecione deletis si uvæ prodeant, eas ab advolante columbarum sylvestrium, Vesparumque exercitu devoratas postridie lugebis. Modicum tamen, quod conficitur, vinum, fuscum, spissum juris instar, ac generosum est, licet Europæis recens advenis pharmacopœum olere videatur. Mustum ex uvis expressum ad focum coquitur, & spissatur. Qui vitam sine vini usu intolerabilem sibi putat, a Paraquaria sibi caveat; Noverit enim, istic anserum, anatumque potum plerisque omnibus familiarissimum esse, neque hunc semper ad votum suppetere. Tanta sæpe est vini penuria in coloniis remotis, ut diebus etiam festis interdum divino sacrificio abstinere cogeremur. Quid quid enim vini seu ad mensam, seu ad aram consumitur, chilensi ex provincia potissimum longoitinere, sumptu maximo est advehendum, sæpeque nullis precibus, nullo pretio impetratur. Verum quamvis Paraquaria vino propemodum careat, ebriis, ebriosisque incolis abundat. Hispani equidem jam ex sacchari arundinibus contritis, jam ex pomis Persicis, Aureis, citrinis, cydoniis aliisque ignis ope vinum, quod crematum, vel aquam vitæ dicimus, extorquent, licet quam plurimis turbandæ mentis, mortisque accelerandæ instrumentum esse soleat. Indi barbari, quin & Hispanorum vulgus ex siliqua græca, ex melle, ex Turcico frumento, ex aliis frugibus aqua mixtis, ac innato calore tandem ebullientibus potiones sibi parant, queis ad ebrietatem adsciscendam passim abutuntur.

In territorio urbecularum, de quibus agere cœpi, Rioja, & Catamarca ingens pecorum, quia cam-

camporum, penuria eſt, quæ tamen agri, arborumque fertilitate, ac incolarum induſtriis penſatur; Hi namque ficus exſiccant, e lana uſitatiſſimum veſtis genus contexunt, boum, oviumque alibi conquiſitas exuvias ſcitiſſime concinnant, variisque aptant uſibus, ephippia, arculas, & alia id genus e corio conſtruunt, mercibus aliis alibi ſubinde permutanda. Xuxuy ſancti ſalvatoris civitas ad Tucumaniæ limites, qui Peruvium ſpectant, ſita licet infrequens, Regii tamen per Tucumaniam ærarii præfectorum ſedes. Aqua vicinis e montibus ſcaturiens ut tertianæ febris, ſic ſtrumarum iſtic origo. Talavera de Madrid, alio item nomine Eſteco opibus quondam, ſed & vitiis affluens civitas ad fluvii ſalſi (Rio ſalado) ripas violentiſſimo terræ trementis hiatu ſuperiore jam ſeculo abſorpta dicitur, incolis, ædibusque univerſis contumulatis; ſola illa infami columna, quæ ubique gentium reis plectendis deſtinata, medio in foro remanente. vidua quoque integritatis laude florens ſua cum ædicula ſuperſtes in ſuburbio fuit. Hoc, ut ſcripſi, Hiſpanorum ex ore intellexi, tantam ſtragem Dei vindicis pœnam interpretantium. Addunt: Hodie non niſi ſcrobes, tumulosque ſepultæ urbis veſtigia ſupereſſe. Rem ea, qua accepi, fide refero; Ipſe enim, quamvis per biennium haud multorum milliarium intervallo ab illa vicinia abfuerim, hoc iræ divinæ monumentum nunquam ſpectavi. S. Franciſcus ſolanus vaticinio illuſtris urbis Eſteco excidium dicitur prædixiſſe.

Tarija urbs non ignobilis ad Peruvienſem præfecturam de Chichas pertinet quidem, Paraquarienſes tamen Jeſuitas habuit incolas, qui ut Chiriguanás barbaros Hiſpanis ſemper infeſtos manſuefacerent Evangelio, nec ſudori, nec ſanguini pepercere

 ſuo.

ſuo. Quinque illorum equidem barbara crudelitate contrucidati ſunt.

Santa Cruz de la ſierra ſuo cumterritorio, quamvis ad occaſum Peruvii finibus ſtipata, Paraquaricæ ditioni accenſetur. Sita eſt in gradu longitudinis 314. latitudinis meridionalis 21. gubernatorem, Epiſcopumque proprium habet, cui ſubſunt chiquitorum indorum oppida, quos noſtri ſocii per annos ſat multos remotis in montibus conquiſitos religionem, humanitatem, artesque utiles docuere Anno 1766. in denis chiquitorum oppidis, quæ noſtri condiderunt, numerabantur 5173 familiæ, quæ 23788. Capitibus definitæ ſunt. Mortuorum numerus numerum naſcentium annis prope ſingulis longe excedit. Sobolis paucitatem num Cœlo, ſub quo vivunt, num aquis, quas bibunt, an alimentis, præſertim frequentiſſimo teſtudinum terreſtrium eſui, vel innatæ forſitan parentum ſterilitati tribuere nos oporteat, illi norint, qui cum illis verſati ſunt. Fateor equidem, me chiquitorum vel terram, vel umbram nunquam vidiſſe. Illud ſæpius a me auditum: Ni noſtri homines multos quotannis e ſylva barbaros adduxiſſent, hæc oppida dudum fuiſſe expiratura. Proſtat chiquitorum hiſtoria authore P. Joanne Patritio Fernandez, quamvis ab hoc in Hiſpanicum duntaxat traductam illam, & a Jeſuita, Italo chiquitorum Miſſionario conſcriptam mihi affirmaverit dudum vir fide digniſſimus. In hanc hiſtoriam irrepſere aliquæ Indorum relationes, quas de credulitate nimia ſuſpectas meus nunquam ſtomachus digeſſit. De chiquitorum moribus, rebusque frequens porro mentio recurret.

In

In ſingulis Tucumaniæ, Paraquariæque urbibus S. Dominici, S. Franciſci, S. Petri de Nolaſco, qui a Mercede vocantur, alumni, & Jeſuitæ domicilium habuere ſuum Sacræ Deo virgines, varii inſtituti, Cordubæ duntaxat, ac in urbe Boniaeris habitarunt. Tucumaniam provinciam Americæ meridionalis pauperrimam ipſi Hiſpani arbitrantur, quia metallorum expertem, quamvis pecoribus omnis generis refertiſſimam. Præter alios S. Franciſcum ſolanum religionis magiſtrum nacta eſt. Hoc ad Peruvium evocato integræ aliquando civitates ſacerdotem vel unicum nequidquam deſideraverant. Franciſcus Victoria ex clariſſimo Divi Dominici cætu primus Tucumanorum epiſcopus anno 1581 invenit ſolos quinque ſacerdotes ſeculares, & pauculos Religioſos, presbyterum linquæ Indicæ gnarum omnino nullum, licet Indorum Coloniis tota late provincia abundaret. Divinæ gloriæ ſitienriſſimus Præſul Jeſuitas aliquot, jam tum per reliquam Americam de re chriſtiana bene meritos a Patre Joanne Atienza in Peruvio, & a P. Joſepho Anchieta in Braſilia eorum provincialibus per literas impenſe petiit, impetravitque. Tucumaniam ingreſſi Patres Leonardus Arminius Italus. Joannes Saloni Valentianus Hiſpanus. Thomas Filds Hybernus. Emanuel Ortega & Stephanus de Grao luſitani, e Bruſilia per mare miſſi, ab Anglis acatholicis capti, peſſime aliquamdiu habiti, ac denique ſcaphæ impoſiti, ventisque ac fluctibus permiſſi; Verum Deo gubernante Boniaeris portum, quem optaverant, feliciter tenuerunt É Peruvio jam dudum Tucumanis ſuppetias miſſi Patres Frànciſcus Angulo, & Alphonſus Barzena virtutum ſplendore, linquarum peritia, animique adomnia impigri magnitudine egregius. Hunc Victoria Præſul optimus Vicarium, ut vocant, generalem creavit, tantique ſemper fecit, ut palam

diceret: Episcopatu abdicaturum se se, si Patris Barzenæ jacturam faceret. His alii atque alii per bina prope secula successere nostræ tunc societatis homines. Ab Episcopis, Gubernatoribusque Regiis postulati, a catholicis Regibus ex Europa missi, per omnes immensæ Paraquariae angulos sparsi quam strenuam operam & Deo, & Regi navaverint, haud mei est instituti memorare. Multa magnae molis volumina de hoc argumento prostant. Tot centena barbarorum millia ad Dei, Regisque obsequium traducta, tot ubique locorum structæ coloniae, tot augusta templa Numini condita, tot Hispanorum urbes literis, & pietate imbutae testabuntur serae posteritati: nos apud antipodas saltem aliquid praestitisse, quantumvis quidam homines nullum non moveant lapidem, ut vel nominis nostri memoriam extinguant. Sed actum agunt, nî & bibliothecas omnes in cineres redigant. Libri superstites, quid pro publica salute ubique gentium a nobis actum, scriptum, toleratumque sit, loquentur. Illud extra controvetsiam est: uberiores multo fructus ab Apostolicis nostris operis colligendos fuisse, si Europaei homines utilitatum suarum, quam Indorum salutis avidiores optimis illorum consiliis identidem non obstitissent. Nemo usquam barbarus per universam Americam hodie foret super, si, qui christi legem profitentur, ei mores conformassent suos, suosque conatus conatibus nostris diligenter conjunxissent. Hoc, quod scribo, me audiente in Boniaeris templo coram Regio gubernatore, auditoreque omnis conditionis frequentissimo ex Cathedra audacter, sed verissime fuit pronunciatum, tantoque argumentorum pondere stabilitum, ut nemo omnium dubitare, sacroque obstrepere oratori auderet.

Ter-

Tertia, a qua toti provinciae nomen adhaesit, praefectura est Paraquay, a fluvio cognomini, cui adjacet, sic dicta. Spectatis dominii juribus quaqua versum latissime patet; verum hinc Barbarorum, illinc lusitanorum periculosa vicinitate pro incolarum numero angustiores intra limites coarctatur. Immensis, fertilissimisque seu ad occasum in adversa fluminis ripa, seu ad septentrionem campis vicinorum, quos dixi, metu uti recusant, quia a metropoli remotioribus. Ad Austrum Correntinus ager pro limite habetur. Incolarum numerum quis definiat? Dena bellatorum millia, si res ferat, in promptu esse, sunt, qui affirmant. De solis Hispanis sermo est; quodsi enim Indos inquilinos, æthiopes, & reliquum sclavorum gregem militare jusseris, facile tricies mille in acie numerabis. Ast tales, eheu, erunt istorum plerique, ut eorum vexillis hoc tuto inscribas: *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.* Paraquariæ Gubernatorum aliquis olim conqueri auditus est: Multos sub signis numero milites; sed paucos sclopo instructos; Qui sclopo uti noverint, ac collineare, paucissimos. Metropolis, la assumption, ab assumpta in Cœlum deipara nomen traxit. In gradu 25. 8 m. latitudinis, longitudinis vero 319. 41 m. Sita ipsi Paraquayo flumini incumbit, quod navibus commodum portum, incolis commercii opportunitatem praebet; sed & exitium urbi minatur, quod magismagisque propinquans ejus alveus & ripam, & ripæ insidentes ædes evertat. Splendorem ædificiorum, urbisve munitionem qualemcunque hic ne expectaveris. Domos videbis permultas e saxo, vel cocto latere constructas, imbricibus tectas, sed humiles omnes, & sine contignationibus. Ejusdem prorsus formæ monasteria. Nihil, quod in templis suspicias, deprehendes. Plateæ omnes distortæ, scro-

ſcrobibus, lapidibus temere projectis impeditæ, ab imbre præcipiti exeſæ equiti perinde, ac pediti tranſitum reddunt aſperrimum. Forum, ſi rite memini, unicum gramine obductum. Gubernatoris, Epiſcopique jam inde a Caroliquinti Regis ætate hic ſedes, neutri tamen proprium eſt domicilium. Præter grammaticam Philoſophiæ quoque ac Theologiæ noſtro in Collegio diſcipuli frequentes operam dedere. Æthiopibus, Indis, aliisque mixti generis, quos Mulatos, meſtizos, Puchuelos &c. vocant, parochus, eccleſiaque parochialis propria eſt. Matronæ etiam nobiliores, pueri, puellæ, vulgus omne linqua Quaranica ceu vernacula fere utuntur, quamvis & Hiſpanicam mediocriter calleant plerique. Dicam, quod res eſt. Utramque commiſcent linquam, neutram rite norunt. Hanc provinciam, quam Indi Carii, ſeu quaranii olim inſederant, pôſtquam primi Hiſpani occuparunt, illorum filias, cum Hiſpanae fœminae deeſſent, in conjugium ſibi paſſim adſcivere. Quotidiana conſuetudine mariti conjugum, conjuges maritorum linquam combiberant denique; ſed, ut adultis fere uſu venit peregrinas linquas diſcentibus, Hiſpani Indicam, Indæ Hiſpanam miſere corruperunt; Inde e duabus linquis tertia quaedam enata eſt, qua hodie utuntur.

Tres omnino menſes hac in urbe commorantem me multis quotidie horis ſacrum pœnitentiae tribunal occupavit, quia linquae utriusque ſcientem. Hiſpanorum pars maxima per pagos, prædia, & oppidula, ubi ſcilicet agrorum, paſcuorumque opportunitas major, degit. Urbem, præter metropolim, habent nullam. Villa rica, & Curuquati loca tenuia ſunt, & urbecularum umbrae. Coloni, per repetitas luſitanorum metu migrationes, prope ad incitas

re-

redacti. Xerez, & la ciudad Real del Quayra urbium nomine quondam gloriabantur, ſed dudum jam deſertæ, deſtructæque per luſitanorum incurſiones, qui in urbe S. Pauli, Mamaluccorum latibulo, collecti Quayrenſi agro opimo hodie potiuntur, Hiſpanis nobiliſſimam territorii ſui partem ſibi ereptam usque lamentantibus, patienter tamen ferentibus; Norunt equidem vanas ſine viribus iras fore.

Ex antiquis oppidis, ubi Hiſpani Indos ſeu bello, ſeu Evangelio ſubactos olim collocaverant, ſuperſunt hodie: Caazapa, yuti, ytape, yta, & a ſeraphicis Patribus procurantur. Caazapà ducentis circiter e familiis coaleſcit. Armentorum multitudine reliqua ſuperat. Ad viginti vitulorum millia quotannis numerat. His, qui feliciter adoleſcunt, ſuperſtitibus, ſi tertiam vitulorum partem, qui a vermibus, feris, prædonibusque abſumpti ſunt, accenſeas, facile Centum millia vaccarum, taurorumque hoc oppidum poſſidere, conjicies. His adjice equorum, mulorum, oviumque incredibilem numerum. Paſcua lætiſſimo in campo ad multa excurrunt milliaria collocat variis per intervalla ſtationibus Indi paſtores, &, quod per Paraquariam nusquam vidi, ſtationibus ſingulis ejusdem coloris animalia aſſignata Hic equidem equos, boves, oves, quin & Gallinas paſtorum ad unam omnes albi coloris deprehendes; Iſtic non niſi nigri; Alibi varii coloris Hæc colorum diviſio non fortuito contingit, ſed paſtorum opera, quam alii ſuperfluam, putant, impetratur. Oppidum ytape viginti circiter familias alit. Yuti, & yta aliquantulum plures. Parochis Eccleſiaſticis ſubſunt: Atira, & Altos unum in oppidulum conflata. Quarambare. Tobati, exigui ſingula numeri. Yaguaron e ducentis familiis componitur. Hæc oppida, cum

Indi incolæ plerique Hiſpanorum nobilium ſervitute identidem occupentur, nec populi frequentia, neque morum diſciplina, templorumque ſplendore in comparationem venire poſſunt cum noſtris Quaraniorum oppidis, qui è privatorum hominum ſervitio exempti ſolius Regis Catholici voluntatibus, obſequiisque ultro ſe ſubdiderunt.

Ditionis Paraquayenſis ſunt Tria alia Indorum oppida a noſtris hominibus condita, conſervataque. S. Joachimi oppidum poſt varias migrationes in gradu 24. 49. m. latitudinis 321. longitudinis ſitum intra montes, ab arbore Tarumay dictos amnis yùj ripis incumbit. Anno 1767 bis mille ſeptemdecim incolas Chriſtianos numerabat. Hos Hiſpani Tobatines perperam appellant, cum ipſi ſua ſe linqua Quaranica ytatines, ſeu ytatinguas dicant. Jam anno 1697 a noſtris Patribus Bartholomæo Ximenez, & Franciſco Robles Tarumenſibus in ſylvis detecti circiter quadringenti, oppidoque antiquo Noſtræ Dominæ a ſancta fide 150 leucas diſtanti aggregati ſunt, ubi per annos complures chriſtianæ diſciplinæ tenaces perſtiterunt. Ad avitas, ubi inventi olim, ſylvas libertatis deſiderio transfugæ vix denique repetitis nequidquam noſtrorum itineribus anno 1721. a Patribus Polycarpo Dufo, & Michaele Haffner reperti. In ipſo, quem Taruma vocant, loco oppidulum illis conditum, & anno 1723 Trecentis plures ſacro latice expiati numerabantur. Sed partim ob paſcuorum tenuitatem, partim ob belli tumultus, quos occaſione Joſephi Antequera intruſi gubernatoris Hiſpani factioſi excitaverant, ytatines opera P. Joſephi Pons ad oppidum Noſtræ dominæ a ſancta fide rurſus translati fuere. Hac in ſtatione per decennium magna ſui Commendatione ſubſtiterunt.

runt. Verum cruenta Hispanorum Vicinorum sedi tione, fame, variolarumque pestiferarum stragibus perterriti anno 1734. fugam Cepere, remotissimis, queis insueverant, in sylvis securitatem, alimentumque sibi quæsituri. Patres etsi 400 familiarum fugam dolerent maximopere, plus fugientium calliditatem admirati sunt, cum una nocte clanculum dilapsi quam demum viam inverint, quorsum deflexerint, nullo e vestigio conjectari posset. Missi subinde Patres Sebastianus de Yegros, Ioannes Escandon, Felix Villagarzia, lucas Rodriquez, qui fugitivorum latibulum indagarent. Mensium octodecim spatio fluviis tot paludibusque superatis, nemorum remotissimorum latebris sagacissime excussis ne leve quidem dilapsæ gentis indicium deprehenderunt. Anno demum 1745, quod labor non potuit, casus fortuitus detexit, quem longum sit referre. Superiorum jussu P. Sebastianus de Yegros in viam se dedit illico continuatis imbribus, fluviorum eluvione, paludibusque periculosis undique impeditam; Asperrimo quadraginta novem dierum itinere defunctus intra sylvas Tapebi ytatines deprehendit. Illis minime repugnantibus patrio in solo structum oppidulum, sacro fonte aliquot, qui post suam ex oppido fugam in sylvis nati, centuriæ lustratæ, Ex antiquis oppidis pecora omnis generis, vestimenta, secures, suppellex domus necessaria, Indi cum suis familiis aliquot musices, aliarumque artium magistri citra cunctationem] mittebantur. Ad votumfluxere omnia.

Ast repentinus terror optatissimum novæ coloniæ cursum interrupit. Barbari equites, quos Hispanus Quaycurus, vel Mbayas vocat, cædibus, & rapinis vicina Paraquariensium prædia exhauriebant; Hos & suis jamjam imminere cervicibus rati ytatines nullam

Cepere quietis partem. Novis identidem de propinquo hoste rumusculis perculsi insomnes plerumque egerunt noctes, & apertis vel in ipso meridie oculis pericula somniarunt. His alia accessit calamitas, aquarum pluviis deficientibus penuria. Ad inveniendum igitur & timoris, & sitis remedium Patribus, Indisque visum est 25 Leucas Austrum versus commigrare, ubi tot sylvarum asperrimarum interjectu adversus Mbayas equites se tuerentur, perennique aqua gauderent. Anno 1753. relicto templo, Patrumque domicilio, quæ e lateribus structa, in colle, quem yù amnis lambit, extemporali labore oppidum construxere, quod subinde optimis ad normam Quaranicarum Coloniarum legibus institutum, familiarum accessione auctum, stabilitumque est. Ipsum octennium huic oppido operam non pœnitendam navavi. Illustrissimus D. Emanuel de la Torre Assumptionis Episcopus dum de more nos inviseret, nostris in ædibus dies sexdecim commoratus, disciplinæ christianæ rigorem, divini cultus accurationem, templi, musicæque concinnitatem, rerum omnium ordinem apud homines nuper sylvicolas admiratione, laudibusque eximiis prosecutus est. D. Carolus Morphi Hybernus Paraquariæ Gubernator expeditionum, victoriarumque, quas a lusitanis reportaverat Petrus zeballos, omnium particeps, musices, linquarumque Europæarum scientissimus solatiis prope diffluxit, dum quinque dies apud me hospes ageret. Obstupuit Indorum sylvestrium cum in musicis instrumentis, tum in armis tractandis insignem dexteritatem; Illo enim spectante octingentis plures pedites alii, alii equites effuso cursu invecti sagittas eandem ad metam vibrarunt ictu tam certo, ut vix unus, alterve aberraret. Quo spectaculo diebus pluribus repetito satiari haud potuit. Neque ego viri optimi præ-

præſentia. Caziquiorum porro, quorum contubernales hoc oppidum incoluere, cognomina juvat memorare : Paranderi. Yazuea. Yeyu. Guiraquera. Xavier. Divi Franciſci xaverii nomen illorum avo quondam inditum poſteri cognominis inſtar retinuerunt.

Altera, quæ Paraquayenſis ditionis eſt, Sancti Stanislai colonia oppidi S. Joachimi filia fuit; Indi enim pariter ytatines ab Indis, Patribusque S. Joachimi incolis in ſylvis Caapivary, yeyuy, & Tapiraquay fluvios inter ſitis detecti, ac, ut chriſtiana ſacra uno congregati in loco amplecterentur, adducti fuere. Sylvis nativis ut terga verterent, apertumque in campum prodirent, ab illis impetrare, perarduum erat negotium; celſiſſimarum enim arborum, quarum pedem ſol nunquam viderat, umbræ aſſueti planitiem ſolis radiis patentem refugiunt, putantque illic ſeu vitam, ſeu libertatem quotidie periclitari ſuam, quam denſas inter nemorum ſalebras adverſus Hiſpanos, & quoscunque demum hoſtes tutam opinantur. Et vero experientia niti hanc barbarorum opinionem haud diffitemur. P. Sebaſtianus de Yegros (Pay Sabba ab Indis appellatus) annum integrum in ſumma, quæ cogitari poſſit, rerum omnium penuria ſylvas inter in Indorum contubernio conſumpſit, illisque perſuaſit denique, ut nemore relicto ad propinquum Tapiraquay fluvio campum exirent, ubi Patres Emanuel Guttierrez, & Joſephus Martin Mattilla cum Indis Chriſtianis, pecoribus, & neceſſario commeatu miſſi ſacram ædiculam, tuguriaque illis exſtruxere anno 1751 Indorum, qui hanc S ſtanislai Coloniam conſtituere, primipili erant Caziquii Arabebe, Tapari, & guirayu. Patrum, qui victum, veſtitum, ſecures, cultros, globulos vitreos, alia id genus mu-

nuſcula illis procuraverant, liberalitate, comitateque manſuefacti dociles ſe, ac Chriſtianæ diſciplinæ morigeros præbuerunt. Dum ex S. Joachimi oppido, in cuius territorio hæc nova colonia locabatur, ad illos ſæpius excurrerem, gentis ligna inter natæ, educatæque placidiſſimam indolem, mores divinis legibus tam conformes non potui non admirari. Vix lacrymas præ ſolatii dulcedine tenui, quoties ſacro in tribunali nævos minimos majori cum doloris ſignificatione mihi detexerant, quam multi chriſtianorum Veterum atrociſſima crimina ſacerdoti judici referre ſolent. Paucos intra annos incredibiliter auctum oppidum Indorum acceſſione, quos Patres Antonius Planes, Thaddæus Enis Bohemus, Anroninus cortada arduo per loca inacceſſa itinere quæſitos feliciter adduxerunt. Colonia hæc in gradu 24. 10. m. latitudinis. 321. 35. m. longitudinis ſita anno 1767. trecentos aliquot ſupra bis mille incolas jam Chriſtianos habuit, qui annis ſuperioribus ferarum inſtar ſylvas pervagabantur, ubi Hiſpani herbam, ut vocant paſſim. Paraquaricam, præcipuum commercii publici inſtrumentum conficiunt, de quo mox uberius differemus. Ut adeo ex oppidis S. Joachimi, & S. Stanislai conditis luculentus in totam provinciam quæſtus redundaverit, cum amotis barbaris ſylvas herbæ illius feraces jam citra trepidationem adire liceat Hiſpanis.

Memorabili experimento dicta confirmabo. Remotiſſimæ ſylvæ, quas Mbaeverà rem coruſcantem alii, alii Mborebiretá beſtiæ grandis patriam appellant, fluviique grandiores Mondaỹ, & Acaraỹ alluunt, arboribus paſſim abundant, ex quarum foliis herba illa Paraquarica paratur. Ad illam plurium menſium ſpatio conficiendam ex Aſſumptionis urbe miſſa


miſſa eſt ingens Hiſpanorum turba, boum, item mulorum, equorumque multitudo neceſſaria. Sylva, per quam iter ſuſcipiendum, arboribus, arundinibusque interpolatis undique clauſa, ſex & viginti fluviis, totidem prope paludibus longioribus impedita ad octoginta facile leucas excurrit, quin campum vel ad denos paſſus patentem deprehendas usquam. Ut hominibus perinde, ac beſtiis tranſitus patefieret, ſternendæ arbores, pontes amnibus imponendi, ramorum faſcibus firmandæ paludes, complanandæ montium declivitates; His ingenti labore, ſumptuque pari præſtitis, ubi ad locum herbæ colligendæ, conficiendæque perventum denique, tuguria pro Hiſpanorum habitatione, ſepes pro beſtiarum clauſtro, patibula e ſtipitibus partim humi defixis partim transverſis pro arborum foliis lento igne torrendis conſtruere oportebat. Diſpoſitis ad inchoandum negotium omnibus dimmiſſi ad ſylvas, ubi arboris illius folia colligerent, Hiſpani; ſed heu illorum moderator Paſchalis Villalba in barbarorum tugurium, licet incolis vacuum, incidit. Rei inopinata novitate perculſus ad ſocios properat, viſa refert. Triſte nuntium pro claſſico fuit, quo ad accelerandam fugam inſtigati omnes de vita ſervanda, non de arborum foliis porro conquirendis cogitant Neque timiditatis, ignaviæque arguendos arbitror eos propterea; Nam non uno agmine omnes, ſed ſinguli diverſas ſylvarum latebras percurrunt quotidie, arbores, e quibus ramos ſecent, quæſituri; Ramorum faſcibus onuſti ad tugurium redeunt. Neque ullis præter cultrum, illud ſuum inſtrumentum, armis inſtructi per ſylvam iter quotidie faciunt, ut adeo barbarorum irruentium inſidiis pateant ſemper. Abjecta igitur negotii, ad quod venerant, cura mulis, equisque vecti præcipiti curſu ad urbem rediere. Villalba relictis ſociis ad S. Joachi-




Joachimi oppidum divertit. Patribus visa, factaque nuntiat. Ad fidem dictis suis conciliandam ollam, sagittasque exhibet e barbarorum tugurio illo asportatas. Ut eos ad hoc suum deducere oppidum quacunque demum ratione conarentur, enixe rogat. Patres læto, promptoque animo operam addixerunt suam. Verum ambo tunc fractis viribus tanto itineri cum impares se se nossent, lectam Indorum suorum turmam citra cunctationem Villalba duce mittunt ad barbaros illos inquirendos, amiceque explorandos eorum animos. Dierum aliquot itinere defuncti, cibariis viaticis præpropera voracitate absumptis, aquarum quoque penuria per viam sæpius tolerata domum rediverant, quin vel eminus attigissent illas stationes, ubi barbarorum contubernia credebantur. Cassa igitur hæc Indorum expeditio, neque porro resumpta fuit, ut adeo barbaros illos seu quærendi molestia, seu reperiundi gloria mihi reservata videretur.

Superioris missu aliquot post annis ad S Joachimi oppidum veni. De sylvicolis Mbae vera durabat rumor, durabat & metus Hispanorum propterea, qui, licet quæstus avidissimi, pedem inferre illis sylvis nunquam audebant, unde messem Paraquaricæ herbæ copiosam dudum expectavere. Re cum socio, Indisque meis collata profectionem ad decantata illa nemora constitui. Villalba duce, cum quinque & viginti Indis christianis in viam me dedi, fluviis, paludibusque infamem. Pontes, aliaque ad transitus securitatem ab Hispanis, ut dixeram, parata subsidia dudum periere. Superatis Indorum industria difficultatibus ad illum denique locum eluctati sumus, ubi barbarorum tugurii reliquiæ videbantur. Simiorum, aprorumque, ac alcium, quibus vescuntur Indi, ossa, mortarium ligneum, alias id

genus


R yeyuy
R Curuquaty
R Pirapo
Aracaya
S Estanislao
Mandity
Tagary
R Caapivary
R Paraguay
R Empalado
R Munday Quazu
R Munday Miri
Curu
Carema
Costa del Parana
Poramboye
Rybicuy
S Yoaquin
R yu
Las Lagunas
R ytaquatia
R Tarumay
R yuquiry
R Acaray
MBAE VERA
R Guiraunquay
R Cambay
Roy
Tupanchichu
veraripochiritu
Quayaqui
Jesus ybaroti
Parana
R Munday
MAPPA REGIONIS
TARUMA & MBAEVERA
Punctula denotant mea in Quaerendis
Barbaris itinera
Barbarorum Contubernia
Paludes



genus quisquilias, tritici turcici ſpicas ſat multas, ſemitam item, qua ad vicinum rivum aquatum itaverant, nudis Indorum pedibus tritiſſimam, ſed veſtigium recens omnino nullum usquam deprehendimus, quamvis dierum aliquot ſpatio miſſis quaqua verſum ſpeculatoribus & ſylvas finitimas, & Acaray fluminis paluſtres oras attentis ad omnia oculis circumſpexerimus. Cum itaque nec Indi umbra, neque ſpes aliqua appareret, dies novemdecim triſtem ſolitudinem pervagati, paſſique, quæ nec a me dici, nec credi ab aliis poſſint, omnia ad oppidum redivimus nullo, niſi patientiæ, fructu. Iter pedibus, & ſæpe nudis feci. Si ab oriente ad Auſtrum deflexiſſem aliquantulum, Barbarorum, quos quæſiveram, contubernia deprehendiſſem; id ſequens me annus docuit. Hiſpani de ſylvis Mbae vera diu, diligenterque a me excuſſis facti certiores, illarum incolas barbaros alio commigraſſe, nihilque jam ab illis periculi ſupereſſe, ſibi perſuaſerant. Hinc reſumptis animis, via novis ſumptibus inſtaurata magno numero, ſpe lucri majore eo proficiſcuntur. Sed en! negotio ſuo occupati barbaros alios, atque alios ſibi adeſſe vident. Familiari alloquio deliniti, carne bubula, aliis munuſculis donati nil hoſtile meditari videbantur, quin iterum, iterumque amicorum ſpecie ad Hiſpanorum tugurium redibant; interrogati; ubinam ſuis cum familiis habitarent? Contubernia ſua procul hinc abeſſe, neque, niſi multis paludibus ſuperatis, accedi poſſe, callide reſpoſuerunt, ſibi, ſuisque uxoribus male metuentes, ſi quando ab Hiſpanis inviſerentur. Ne porro veſtigiis ſuis terræ impreſſis ſuas ipſi exteris habitationes proderent, quoties ad illos viſitandos venerant, hac ſagaciter aſtutia uſi ſunt: ſi per Auſtralem viam ad-

 vene-

venere, per ſeptentrionalem revertebantur, ut ne ſubolere quidem Hiſpanis poſſet vicinia, ubi latuere. Adeo nempe Barbari Hiſpanis, Hiſpani barbaris de proditione, fictaque amicitia erant ſuſpecti. Mutua diffidentia, timor mutuus indies augeſcebat.

Securitati ſuæ conſulturus Villalba de his, quæ gerebantur, me edocuit, deque barbaris illis, ſi redirem, inveniendis, ſecurum eſſe juſſit. Nec mora: Meis cum Indis notam viam lætus ingredior. Sed vix biduum magnis paſſibus in Mbaeverà properantes nos conjurati toto Cœlo imbres opprimunt, & jam multum progreſſos diu, noctuque comitantur. Sub dio, in ſolo aquis innatante pernoctandum quotidie. Veſtes etiam intimæ aquis diffluunt, quin eas vel ſiccandi, vel permutandi opportunitas adeſſet. Caro bubula, præcipuum Indorum viaticum, & prope unicum, humore putrefacta. Fluvii, paludesque continuata per plures dies pluvia adeo jam intumuerant, ut tranſitum omnino negarent. Serenitatis propinquæ ſpes nulla, nullum indicium. Redire cogimur quotidianas per octiduum miſerias experti, experturi majores, ni cœptum iter provide abrumpimus; Ad viginti enim dies imber pertinax producebatur. Re infecta quidem, haud tamen deſperata ad oppidum regreſſus itineris quamprimum repetendi opportunitatem avide præſtolabar; Haud multum enimvero temporis abiit, cum tertiam (quæ mihi ſecundiſſima fuit) ad Mbaevera profectionem ſuſcepi. Tandem metam attigi. Nam tria ſat numeroſa barbarorum Contubernia a me detecta, quibus totidem Caziquii, Roy, omnium Princeps, Tupanchichu, & Veraripochiritù præfuerunt capitaneorum, ut vocant, nomine. Primum, in quod incidimus, tugurium e palmis ſtructum, gramine ſicco contectum,

ctum, octo portis patens, a ſexaginta incolis habitabatur. Hinc atque illinc pendent retia, quæ & noctu dormientibus, & interdiu ſedentibus ſunt uſui. Familiæ ſingulæ ſingulos humi focos alunt. Circumſtat oliarum, cucurbitarum ingentium, cantharorumque exercitus. Forma ſunt plerique præſertim adoleſcentes, liberali, quam Europæorum multi inviderent, ſuſpicerentque Facie candidula, quippe quam nullus unquam ſol tingit. Mares cuiuscunque ætatis crines ſibi attondent, monachorum quorumdam ritu, circulo comarum per verticem relicto. Labium inferius a primo ætatis ſeptennio pertuſum gerunt, foraminique arundinem, quæ ſcriptorium calamum æquet diametro, inſerunt, more apud omnes prope Americæ populos recepto. A' Quarañiis, quorum linqua hi utuntur Barbari, *tembetà* vocatur. omnes citra ſexus, ætatisve diſcrimen concham vulgarem triangularis figuræ ex auribus ſuſpendunt. Viri nudi circumeunt ſemper, niſi quod tenui ſubligaculo, fabrorum cæmentariorum more, pubetenus præcingantur, naturalis verecundiæ inſtinctu. Fœminæ tamen omnes ab humeris ad calcem teguntur tela alba, quam ipſæ ex cortice arboris Pinò conficiunt. Ex cortice hoc ſiccato, ſubactoque fibræ, lino ſimiles, remanent, e quibus fila ducuntur, telæ texendæ ſervitura. Tela eiusmodi levi negotio albeſcit, coloris etiam cuiuscunque & patiens, & tenax eſt. E contrario illa tela, quam nationes barbaræ pleræque ex Caraquata, ſeu, ut Mexicani vocant, Maguey (de qua ſuo loco plura) conficiunt, a candore abeſt longiſſime, alios colores difficillime recipit, & citiſſime amittit. Raſum verticem corona è pſittacorum plumis longis, elegantiſſimisque concinnata ornare conſueverunt hi barbari. Sagittas hamatas, queis aviculas etiam volantes dexterrime ſter-

 nunt,

nunt, pro armis habent. Alcium, ferarum, aviumque omnis generis venatu se, suosque alunt. Sæpius inter virgulta latentes, astuta ruditus illarum imitatione allectas alces telo configunt, interdum laqueis, decipulisque capiunt. Nec ab agricultura abhorrent. Incredibilis certe sylvas inter tritici turcici, aliarumque frugum, uti & tabacæ ubertas. Hanc ingens illa domus, de qua dixi, pro sepibus habuit, foliis amplissimis, miraque proceritate sublimem. Antequam cubitum concedant, ollas carne, vel frugibus refertas foco applicant, ut experrectis in promptu sit cibus; Cœlo enim vixdum albescente viri, quin & septennes pueri telorum fasce armati per sylvas turmatin excurrunt feras, queis vescantur interdiu, venaturi. Ni esurire, ni rideri velit liberaliter, ne vacuis domum redeat manibus, quisque cavet. Textis è vimine corbibus proles teneras injiciunt matres, humerisque bajulant, quoties per sylvam iter faciunt. Mel quoque & nobile, & copiosum ut esui, sic potui opportunum ex alveariis legere norunt, quibus arbores passim scatent. Hunc in finem magni faciunt cultrorum, securiumque è ferro supellectilem. Ferrea hæc instrumenta cum apud illos deprehenderimus, Hispanis, quos herbam Paraquaricam in sylvis conquirentes olim trucidaverint, erepta fuisse nemo unus dubitavit. Deus ab illis Tupa dicitur Quaranica linqua; verum quid Deus sit, quid velit, quid nolit, nosse parum, curant, ut Numinis supremicultum, sic & idola nesciunt. Malum dæmonem Aña vel añanga appellant, nil tamenvenerantur. Præstigiatores, rectius dicam, veteratores suos religiose colunt, metuuntque, qui de plenissima morbos, mortemque seu arcendi, seu arcessendi potestate, de futurorum præscientia magnifice se jactant, qui sui esse arbitrii affirmant, alluviones, tempestatesque sono-

noras ciere, in tigrides ſe transformare, & neſcio, quæ alia contra naturæ leges patrare. His fraudibus à timida plebe reverentiam extorquent. Polygamiam licere ſibi, ut Americani reliqui, putant, pauciſſimi tamen hac licentia utuntur. Eo frequentior eſt apud illos uxorum repudiatio. Nuptias cum quibuscunque etiam remote cognatis horrent, refugiuntque ceu nefandas. Suorum cadavera ingentibus cantharis ex argilla fictis, & ad ignem excoctis claudunt Quaraniorum veterum ritu. Tres ejusmodi cantharos, ſed inanes, hoc in itinere per ſylvam deprehendimus. Poſt obitum quæ fata vita functos maneant, de hoc nil admodum anguntur. Humanis carnibus, quod quidem ſciam, jam non veſcuntur, illas tamen Indi vicini inter cupedias numerant. Ab his devoratam ferunt fœminam, quæ a marito ſuo transfuga alio properaverat. Contubernales in Mbaevera, qui illam e fuga retrahere volebant, ejus oſſa, & anthropophagorum recentia veſtigia deprehenderunt. Advenam quemcunque, Indum, Hiſpanum, luſitanum de hoſtili in ſe animo ſuſpectum habent, & armati accipiunt hoſpitem, quia hoſtem credunt ſuum, libertatique ſuæ alienigenas inſidiari autumant. Eadem illos de me, Indorumque meorum comitatu inceſſit ſuſpicio, dum adventantes nos conſpexere.

Primus, quem in ſylva deteximus, adoleſcens erat elegans, qui avem phaſianis huiatibus perſimilem (yacu vocant) collo ſagitta transverberato expirantem manu geſſit. Adventu noſtro non nihil attonitum acceſſi, in telis jaculandis ſingularem eius dexteritatem dilaudavi, &, cum ad captandos indorum animos dona præ verbis etiam blandiſſimis plus valeant, fruſtum aſſæ carnis porrexi. Hoc utraque manu prehenſum avidis mox dentibus eſuriens diſcer-

pſit. Inſperato jentaculo abſterſus illico terror, quem repentinus advenarum conſpectus forte injecerat. Nomen adoleſcenti erat: *Arapotiyu*, Aurora. *Ara* enim diem, *poti* florem. *yù* aureum quid vel flavum ſignificat Quaraniis, ut adeo per aureum diei florem Aurora exprimatur. Et vero per Auroram hanc ſolem, præcipuum vicinitatis illius Caziquium, adoleſcentis patrem, capitaneum Roy invenimus. Multa enim, quæ ad rem facere videbantur, amice per contanti mihi placido reſpondit vultu, & Patrem ſuum venatione occupatum haud procul à nobis abeſſe, addidit. Agedum, lætus ajebam, ducem te nobis præbe, ut illum quam primum conveniamus. Id adoleſcens toto capite annuit, &, quod mireris, ne latum quidem unquem a latere receſſit meo. Horæ unius ſpatio per ſylvam progreſſi ſeniculum, macie confectum, cultroimmani armatum, & à binis adoleſcentibus (quorum filius alter, alter captivus erat, ſagittarum faſciculo inſtructis, ſtipatum teſtudineo greſſu adrepentem conſpicamur. Indi chriſtiani comites ad teſtificandam, ritu apud illos recepto, amicitiam arcus, ſagittarumque mucrones terram verſus demittunt. Accedimus. Comitum meorum quiſpiam ætate ſpectabilior ſiniſtris genis Caziquii oſcuium infigit, pacis ſignum; ſimul adventus noſtri rationem reddens: Deus, ait, te ſervet, mi frater! Adſumus en! ad vos amice inviſendos. Sanguine enim propinquos nobis vos arbitramur. Et hic Pater ſacerdos (Pay Abare) quem comitamur, Dei ipſius eſt vicarius. Ille equidem nos docet, nos alit, nos veſtit, nos tenerrime amat; Nam mortuos nos, alba tela indutos, dum ſepelit, nobis quoque Cantat. Plura locuturum Indum meum ſenex interpellat ironica voce, & iracunda *Hindo*! *ecce tibi* iterum iterumque repetita. Negat identidem, pernegatque: ſibi

ſibi nobiſcum cognationis aliquid intercedere. Iratiſſimis nos oculis circumſpectat, quippe quos pro Hiſpanis, luſitanisve Braſilienſibus Indorum per ſylvas venatoribus habuit. Mox voce, facieque ad me converſa: fruſtra veniſti Pater ſacerdos, concitata bile mihi ait; Nobis equidem Patre ſacerdote neutiquam opus eſt. Nam ſanctus Thomas (Hunc Chriſti Apoſtolum Hiſpani, luſitanique Americani in America fuiſſe, contendunt) dudum terris noſtris bene precatus eſt. Omne frugum genus nobis magna ubertate hic naſcitur. Putabat enim barbarus rudis, ſacerdotis præſentiam ad fertilitatem ſoli procurandam duntaxat conferre. Verum hoc illius errore diſſimulato: Concedamus, repoſui, Divum Thomam veſtris in oris verſatum fuiſſe quondam; Quæ tamen de ſupremo Numine, de illius legibus majores veſtros docuit, dudum eheu! veſtra exeidere memoria. Hæc documenta repetiturus vobis præſto ſum. Sed heus tu bone ſenex! quamdiu colloquentes hoc in luto, cui immergimur, hærebimus? eccur huic arboris trunco, qui extra paludem eſt, non inſidemus ocyus? Placuit ſeni conſilium. Conſidemus. Itineris longi cauſas, moleſtiasque expono. Ad captandam torvi ſenis benevolentiam carnis aſſæ, qua Indi mei per viam utebantur, portionem inſignem adferri, jubeo, quam quidem ille avidiſſime arripuit, abſumpſitque. Sedata fame animus quoque ſuſpicionibus agitatus miteſcere videbatur. Ad illius cor ut aditum mihi aperirem, vias pertentavi omnes. Hunc in finem Tabacam Hiſpanicam mea ex pyxide illi propino. Aſt ille averſo vultu, ambabus repugnans manibus *Aquibiye* Timeo, reſpondet, necromanticos hos pulveres ratus, & ad homines faſcinandos utiles. Meum de inviſendo ejus contubernio conſilium illi aperio. Verum id fieri haud poſſe argumentis probat. Longiſſi-

giſſimo hinc intervallo, ait, domus abeſt mea. Tres amnes, paludes totidem, viæ omnino peſſimæ intercedunt. Hoc quidem argumento, repoſui, à meo me propoſito abſtinebis nunquam, qui tot dierum itinere defunctus tot fluvios, tot paludes, tantas ſylvas feliciter, patienterque ſuperaverim. Sed noveris, opponit ſenex, me valetudine uti haud ſatis firma, viæque tantæ imparem me mihi videri. Id eo lubentius credidero, reſpondi, quod & me haud optime valere experior hodie. Nec mirum: Cœli intemperies, imber tota nocte effuſiſſimus, humentes ſylvæ, viæ luto turgentes, palus longiſſima, quam genuum tenus aquis immerſus transmiſi, mons ſemper arduus, quem conſcendi, ſtomachus in hanc horam jejunus, ambulatio ab Aurora ultra meridiem ſine ceſſatione producta quidni frangant corpus, atque peſſime afficiant? Sed languido quamvis corpore utrique noſtrum tantum ſupereſſe roboris, exiſtimo, tuam ad domum, ubi conquieſcere liceat, eluctari ut poſſimus. Lenté feſtinabimus. Robuſtiores præcurrant; Nos infimi lento paſſu ſequemur. A meis tibi ſane caveres ædibus, inquit ſenex, ſi quantum te, tuosque iſthic maneat periculum, intelligeres. Contubernales equidem mei malæ ſunt indolis: Exteros quosque mactare, mactare cupiunt. *Oporoyuca çe, oporoyuca çe, oporoyuca çe ñote.* Id unum illis eſt in votis quotidie. Tales ſint, cum riſu reſpondi, contubernales tui, quales mihi pinxiſti modo, nihil ad modum angor propterea. Te enim totius late vicinitatis terrorem, magnanimitate, factisque clariſſimum quamdiu amicum, defenſoremque noſtrum habuerimus, quis, amabo, mortalium nobis vim inferre auſit? Te lateri noſtro adſtante nil usquam reformidabimus. Hac fiduciæ ſignificatione, his laudibus barbarum ſenis pectus expugnavi, ejusque mihi

hi animum devinxi. Bene eſt, ore hilari exclamat, mandatque binis, quibuſcum venerat, adoleſcentibus: Agite, domum properate actutum, noſtris nuntiate: Adeſſe Patrem ſacerdotem, qui magni me facit, Indorumqne manipulum (quindecim erant) qui ſe nobis ſanquine propinquos dictitant. Mulieribus meo nomine præcipite, ne terreantur hoſpitum adventu, ne diffugiant; quin ædes noſtras ut verrant diligenter, percupio. Hæc ſenex. De ædibus verrendls, mecum cogitaveram, enimvero parum laboro; Ne barbari primo conſpectu nos omnes ſagittarum faſcibus everrant, evertantque, id ſolicitum me habuit.

Miſſi nuncii Euro perniciores avolarunt. Nos illorum veſtigia, quamvis pede tardiori, perſecuti ſumus, ſene caziquio Roy lateri meo ſemper adhærente. Cœli inclementiam, viarum aſperitatem familiari colloquio lenivimus. Et dum Europæorum plerique (Tertia Bacchanalium di es erat) opipare epulantur, nos fractas difficili itinere vires hauſtu frigidæ rivorum in marginibus conſidentes inſtauravimus. Præcipiti jam in occaſum ſole vaſtum illud, quod reliquorum metropolim jure dixeris, tugurium in oculos incurrit noſtros. Incredibilis adventum noſtrum excepit incolarum concurſatio promiſcua, ſolenni illo ſuo: *Ereyupa jam veniſti*, me conſalutantium, quibus conſuetum: *Ayù anga* Veni jam, reponebam. Indi omnes ſagittis, arcuque inſtructi, & pſittacorum plumis coronati id genus officii mihi præſtitere. Propinquabat mihi illorum quiſpiam, & ſibimet, quod coronæ oblitus eſſet, indignantis ſpecie currens receſſit, moxque jam corona ornatus ad ſalutandum me redivit. Me cum meorum aliquot ad limen domus conſiſtente ingens orta fœminas, prolesque inter trepidatio. Relictis ad foçum ollis hac illac diſcurrentes,

tes, advenarum aſpectu attonitæ, & hoſtile quid ſuſpicantes metum prodidere ſuum. Nihil eſt omnino (Indorum meorum feniſſimus illas inclamat) quod Vereamini, charæ ſorores! Avorum ſanquine vobis propinquos nos coram ſpectatis. Nemo noſtrum mali eſt in vos animi. Ego omnium primipilus venio, & moderator. Certiſſima ſunt (circumſtanti turbæ dixi) quæ ſenex hic vobis edixerat. Nemo præſentium malo in vos eſt animo præter me, qui ſum truculentiſſimus. Nam) compoſito ad ſeveritatem vultu, editoque labiis ſibilo id pronunciaveram) rictu uno ternos, quaternoſue pueros devorabo protinus. Faceta hac comminatione omnium terror in riſum ſolutiſſimum deſiit. Ad ſuas reverſæ ſtationes fœminæ, domum ut ſubiremus, una omnes voce Precabantur. Id quidem a me in petrabitis nunquam, reſpondi, veſtris ut ædibus vel pedem inferam. Video equidem canes, catulosque vobis aſſidere. Ubi canes adſunt, pulices deeſſe, abeſſeque haud poſſunr. Hos cane pejus & angue pertimeſco, quia ſomni turbatores, quo dierum plurimorum itinere defatigatum me video indigere. Verum a veſtro contubernio, conſpectuque haud multum recedam. Hac patente in area, ubi videre omnes, ab omnibus videri poſſim, fixum eſt mihi habitare. Et verò, ut decoro, ſecuritatique conſulerem, ipſum triduum, Cœlo etiam per intervalla pluvio, diu, noctuque ſub dio fui, quin unquam barbarorum tuguria inirem.

Eodem veſpere caziquio Roy inſinuaveram: volupe mihi fore, loci incolas omnes uno agmine collectos coram videre, affari, munuſculisque idoneis exhilarare. Extemplo votis ſatisfactum eſt meis. Pulcherrimo circumſederunt ordine, modeſtia, ſilentio-

tioque tanto, ut ſculpta hominum ſimulacra, non homines obverſari oculis putarem. Nemo hiſcere auſus. Ad acuendam porro attentionem fidibus, queis ab amore nomen, cecini aliquamdiu ſumma omnium voluptate auditus. Muſicorum omega quamvis mihi videar, his in ſylvis omnium alpha, atque ipſo orpheo, ſi ſuperis placet, amœnior dicebar ab illis ſcilicet, qui fidicinem nec meliorem, nec pejorem audivere unquam, ſoli, quam cucurbitæ agitatione ipſi edunt, harmoniæ aſſueti. Delinitis muſica auribus, animisque non concionantis, ſed familiariter colloquentis voce ad præſentes verba feci: Haud me pœnitet, dicebam, longiitineris, quod confeci, fluminum, paludumque, quas transmiſi, moleſtiarum, quas devoravi, dum incolumes vos, mihique benevolos coram intueor. Ut felices vos redderem, veni. ſum veſter ſinceriſſimo animo amicus. Sinite, ut, quæ ſentio de vobis, ingenue dicam. Miſeret me Veſtri, quos intra nemorum tenebras ſepultos video, quin unquam mundi pulchritudines, neque illarum conditorem Deum noſcatis. Dei nomen pronunciatis equidem, ſcio, ſed qua ratione colendus ſit Deus, quid vetet, quid præcipiat, quid probis ſpondeat, quid improbis minetur, usque ignoratis; Neque, niſi ſacerdotis opera edoceamini, perdiſcetis unquam, miſeri dum vixeritis, poſt obitum ſemper miſerrimi. Summa religionis capita breviter, & qua potui, claritate hic expoſui. De his differentem me, obſtrepente nemine, auſcultarunt omnes arrectis auribus, niſi quod pueri, dum de ſtygiis ignibus a me facta eſt mentio, in riſum tantiſper eruperint Senex item caziquius, nuptias cum proxime cognatis improbari, prohiberique ex me audieus; Bene ais mi Pater, dicebat, tales nuptiæ ſunt peſſimæ, ſed hoc jam novimus. Ex quo jam tum conjeceram, inceſta con-

jugia

jugia his barbaris execrabiliora videri, quam homicidia, & rapinas. Scilicet excuſamus ſæpe majora flagitia, quia noſtra; Damnamus minora, quia aliena. Dum contra latrocinia, cædesque mihi ſermo fuit, altum tacuit Caziquius forte, quia illis aſſuefactus. In propinquorum nuptias acriter invectus eſt, quia apud alias forſan barbarorum nationes uſu receptas. Dictioni meæ jamjam finem impoſiturus aſſidentium turbam circumſpexi attentius, ſtupentique ſimilis exclamavi: In numeroſo hoc præſentium Cœtu ætate provectiores pauciſſimos eheu video! vérum in promptu cauſa eſt. Quotidianæ, quæ vos circumſtant, miſeriæ veſtrum conficiunt corpus, vires atterunt, præcocemque vobis ante tempus accelerant mortem. Nudis artubus cœli injurias quotidie toleratis. Tectum ventis omnibus pervium quam parum vos defendit! Diebus integris, ferarum eſurientium more ſylvas percurſatis omnes, Venatuque ſæpe inutili fatigamini, cibo fortuito victitatis, quid mirum, ſi continua de alimentis ſolicitudo animum excruciat veſtrum. Incertus, caſſusque ſagittarum ictus longiori interdum inedia mulctatur. Nil memorabo vitæ diſcrimina, quæ paſſim incurritis, hinc tigridum unquibus, inde anquium mortiferorum morſibus obnoxii, quin & vicinorum hoſtium telis, dentibusque. Abſint hæc omnia, ſolum nunquam non humidum, quale veſtrum experior, ut culicum examinibus, animalculis peſtilentibus aliis ſcatet, ſic morborum ſeminarium eſſe, nil ambigo. Quænam, amabo, ex afflicta valetudine emergendi ſpes ægris ſupereſt in veſtra hac ſolitudine, unde & medici exulant, & idoneæ medicinæ. Quos enim medicos (Aba paye) appellatis, veteratores ſunt ad unum omnes, ad decipiendos vos, quam ad conſanandos aptiores. Verbis meis fidem habere ſi tergiverſamini,

ni, vobismet ſaltem, iſta expertis, quæſo, habeatis. Tantis incommoditatibus, periculisque fere vacant Indi, fratres veſtri, qui eodem in oppido collecti juxta divinam legem, ſacerdotumque inſtitutionem vivere conſueverunt. Superi boni! quantam iſtic decrepitorum multitudinem deprehenderetis. Neque mirum, plerosque ad extremum ſenium ætatem extendere ſuam, cum tot, tantaque illis in oppido ſuppetant præſidia, quæ ad producendam vitam, mortemque retardandam valent plurimum. Familiis ſingulis ſingulæ ædes deſignantur adverſus Cœli viciſſitudines oppido munitæ, quamvis non ſemper ornatiſſimæ. Carnis bubulæ portio congrua quotidie omnibus porrigitur gratuito. Abundant fere frugibus, obſoniisque, quæ ſuus cuique miniſtrat ager. Annis ſingulis novæ tribuuntur veſtes univerſis. Cultri, ſecures, alia ruris inſtrumenta, globulorum vitreorum faſces, cæteraque ejusmodi, quæ ad ornatum pertinent, paſſim dono dantur. Ægrotantibus in arte medica aliquomodo verſati diu noctuque præſto ſunt, qui cibos Patris in domo paratos, opportunasque, ut res poſtulat, medicinas adferunt diligenter. Nequid iſtorum omnium Indi incolæ deſiderent, Patribus, qui oppidum procurant, cordi, ac curæ eſt maximopere. Si cui veſtrum iſta magnificentius, quam verius Jactaſſe videar, en coram adſtant Indi Chriſtiani, fratres veſtri, comites mei, ac clientes, quorum plerique, ut vos omnes, in ſylvis quondam nati, educatique multis abhinc annis in S. Joachimi oppido mea ſub diſciplina vivunt. Illorum in veſtes oculos conjicite. Ex illis vitæ rationem, quæ apud nos viget, percunctemini. Intelligetis profecto, ſua eos ſorte contentos eſſe, ſibique omni ex parte feliciſſimos videri. Fuere illi, quod vos modo eſtis. Eſſe poteſtis, quod illi ſunt. Hanc, quæſo, felici-



tatem, ſi ſapitis, vobis ne invideatis porro. Num has inter nemorum caligines tantis calamitatibus immorari vos, atque adeo immori vobis expediat, iterum iterumque omni mentis contentione diſpicite. Veſtri erit arbitrii, bene vobis conſulenti mihi morem gerere. Ambobus vos brachiis recipiemus, amici amicos, ac citra cunctationem apud nos civitate donabimimi. Id vobis ut ſuggererem, perſuaderemque, iter & diuturnum, & quod ipſi noſtis, moleſtiarum pleniſſimum veſtri amore, ac deſiderio ſuſcepi. Nec plura.

Orationi meæ pondus ut accederet, auditoribus ſingulis, habita conditionis, ſexus, ætatisque ratione, munuſcula porrexi, cultellos, forficulas, hamos, ſecures, ſpecula, annulos, inaures, ſphærularum vitrearum, queis collum ornant, faſciculos. Id genus reculæ præcipua per Americam arma ſunt, quibus barbarorum animi feroces expugnantur felicius, perinde ut infantes crepundiis tranquillantur. Dextera liberalis præ linqua facundiſſima plus apud illos poteſt. Veniat Demoſthenes cum Marco Tullio, atque omni oratorum turma, apud Indos ad ravim declamitent, exquiſitiſſimis Rhetorices artificiis utantur, ſi vacuis manibus Venerint, ſurdas pulſabunt aures, actum agent. Quamvis optime dixerint, ni & benefecerint auditoribus, e pumice aquam poſtulaſſe ſe videbunt denique. Veniat ad Indos brutus, mutus, quovis cacabo nigrior æthiops, ſi copioſam ad illos donandos munuſculorum ſupellectilem attulerit, audietur, amabitur, morigeros ſibi habebit Indos, in Cœlum, juſſerit, ibunt. Non qui diſertior, ſed qui liberalior, Indorum voluntatibus dominatur. Hinc omne tuliſſe punctum mihi videbar hodie, quod orationi munuſculorum largitionem mi-

miſcuerim. Nam fidem ſuperat, cum quantis lætitiæ, propenſæque in me voluntatis ſignificationibus ſoluto jam cœtu ad ſua ſe ſtativa omnes recepe- rint. Parum temporis abiit, cum caziquius Roy, gratum teſtificaturus animum aliquot mihi panes offert, quos mei cauſa a ſua vetula conjuge paratos ajebat. Orbiculati erant hi panes e tritico Turcico, papyri inſtar tenues, calenti ſub cinere cocti, cinerique concolores, verbo tales, ut vel eorum aſpectus etiam rabidiſſime eſurienti Europæo nauſeam moverent. Dilaudavi tamen, ut tempori ſervirem, piſtricis artificem manum, animumque adverſus me egregie benevolumo Dumque hunc panis abortum una acceptaſſem manu, altera ſvaviter reddidi: Pergratum mihi fore, dixi, ſi his cupediis illius proles ad celebrandam adventus mei memoriam fruerentur. Probavit ſenex meum conſilium, panesque eadem, qua attulit, lætitia abſtulit. Cavendum equidem maximopere advenis ab eſca, quam barbari obtrudunt, miſcendi veneni ſcientiſſimi, & quamvis officioſi, ſemper timendi, quia alienigenarum hoſtes, Romanis antiquiſſimis haud abſimiles, de quibus Cicero 1. officiorum ſcripſerat: *Hoſtis apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Ut adeo ſylveſtres inter Indos verſanti ſuſpicio nimis anxia, quippe timoris mater, vitanda quidem, nulla tamen circumſpectio ſuperflua videatur. Barbari, quantumvis ignorent cætera, norunt amicitiam perbelle ſimulare. Blandiuntur, dum cupiunt nocere, peregrinis. Nimium ne crede colori, eleganti ſub flore anguem mortiferum latuiſſe, heu! quoties experti ſumus.

Caziquius Roy pro ſe, ſuaque familia ſejunctam non nihil ab aliis habuit ædiculam, illo tamen tri-

duo, quod apud illos egimus, in vaſtis illis, quas dixi, ædibus pernoctabat, utrum de noſtra, an de ſuorum ſecuritate ſolicitus, neſcio. Fors nobis, fors ſuis diffiderat. Quid ſi ſibimet metuiſſet? Nos Barbarorum inter tuguria medii ſub dio noctes egimus. Ut dormirent vigilantes, vigilarent dormientes, meos provide commonui, ne pauci ſomno oppreſſi a multis per inſidias opprimeremur. Sed nullum unquam utrobique terroris ſeu indicium, ſeu argumentum fuit, quamvis periculi ſuſpicio nunquam abeſſet. Poſtridie e comitibus meis quatuor lectiſſimos, adjuncto ad illorum ſecuritatem caziquii filio Arapotiyù, miſi, ut bovem, quem remotiori in ſtatione ab aliquot Indorum meorum cuſtoditum reliqueram, jugularent, ejusque carnes adferrent, barbarorum epulum futuras. Ad hos exhilarandos nihil opportunius poterat cogitari; Nunquam enim ſinceriori lætitia geſtiunt Americani, nunquam obediunt promptius, quam refertis carne bubula ſtomachis. Volupe erat Caziquio, horas plures interdiu familiari mecum colloquio conterere. Affirmabat mihi ingenue, ſe, ſuosque Hiſpanis, luſitanisque undequaque diffidere, illorumque verbis, ac amicitiæ nullam omnino habere fidem. Illius igitur fiduciam, benevolentiamque ut mihi conciliarem, me neque Hiſpanum, neque luſitanum eſſe identidem declaravi. Id ut perſuaderem, patriam meam longiſſimis terrarum, Mariumque intervallis ab Hiſpania, luſitaniaque ſejungi; Parentes, avos, atavosque meos ne unum quidem Hiſpanicæ linquæ apicem calluiſſe; Multorum menſium calamitoſo itinere oceanum me trajeciſſe eo ſolum fine, ut Americæ incolas Divinam legem, Cœlique vias docerem. Quam rem acriter a me inculcatam Caziquius per omnes mox ſuorum circulos vulgabat, ſcilicet me nec Hiſpanum

ori-

origine, neque lusitanum esse, id quod maximi erat momenti ad barbarorum animos novo amicitiæ, benevolentiæque vinculo mihi arctius obstringendos. Memorandum hoc loco venit, quod a me sine rubore scribi, legi à te sine risu vix potest. Caziquius tabacæ fumum ex arundine hauriens assidentibus sibi Indis meis propositum suum, suam simul ignorantiam detexit. Amare cæpi, ajebat, Patrem nostrum, certus jam illum non esse Hispanum. Fiduciam omnem in illo locatam habeo. Nollem ejus præsentia destitui, dum vixero. Est mihi filia, puellarum omnium venustissima; fixum mihi est illam nostro Patri in matrimonium dare, mea ut maneat in familia. Hoc meum consilium jam conjugi aperui meæ, quæ ejusdem mecum est mentis. Audita hac senis ineptia temperare sibi a risu Indi mei haud poterant. Risus causam rogati: Patres semper cœlibes vivere, legeque sanctissima nuptiis interdici, responderunt. Senex attonito similis: *Añeyrae*! exclamabat suspensa in aere arundine, ex qua tabacæ fumum suxerat, itane vero mihi rem inauditam, atque adeo vix credibilem narratis? Admirationi suspiria admiscuit dolens, quod votis suis locus non esset. Arbores inter pone obambulans audivi ridiculam sermocinationem, sed dissimulavi. Accessi denique, & quid sibi velit hæc cachinatio subita, Indos meos interrogavi. Puduit illos Caziquii absurdam de nuptiis propositionem mihi repetere. Rubore suffusi conticuere omnes. Si plures simul interrogentur, nemo respondet. Hoc solenne est Quaraniis Indis. Hinc definite unum aliquem interrogaveram, qui, licet cum trepidatione, totum colloquii, risusque argumentum candide mihi aperuit. Mox oratione ad caziquium conversa gratias illi egi pro benevolo, quem ergame patefecerat, animo. Me, uti

& ſacerdotes omnes, illud vitæ genus profiteri, quod conjugium omne ſemper excludit, & perpetua caſtimoniæ lege nos obſtringit. Cæterum quamvis gener eſſe tuus nec poſſim, nec velim, amicum fidiſſimum, quin &, ſi id percupias, comitem, atque magiſtrum chriſtianæ diſciplinæ habebis me ſemper. His auditis caziquius & admirationem ſuam, & benevolentiæ declarationes iteravit.

Barbarorum contubernium vix ingreſſus pridie, ut curſores expedirentur, popoſci, qui vicinos, amicosque ſibi Caziquios de noſtro adventu certiores facerent, atque ad nos hic inviſendos hortarentur; Neque enim de illorum habitationibus nobis conſtabat quidquam; vires præterea ex tanto itinere nobis reſiduas ad reditum oportuit reſervare. Miſſi confeſtim nuncii eo promptius, quod Indorum vicinorum adventu ſecuritati conſulerent ſuæ, ſi quid hoſtile adverſus ſe meditaremur. Poſtridie ſub meridiem (aberant enim a nobis aliquot horarum itinere) adfuere magno numero armati barbari ſuis cum familiis. Proles teneræ corbi inſidentes a matribus bajulabantur. Caziquii bini agmen duxerunt. Primus Veraripochiritù dicebatur, qui nominis ſui longitudinem corporis proceritate ſimul, ſimul amplitudine æquavit; Vir cætera, utut ſerius, comis tamen, ac docilis. Hic cum ſuis ex aprorum venatione redierat, quorum carnibus pinguiſſimis onuſti omnes videbantur. Ejus filiolus, decennis puer, formæque elegantis vultum omnem minutiſſimis ſtellis, atro colore expictis, inſignem habuit Videbaris tibi, ajebam, ſtellulis nigris faciem ornare tuam, ſed miſerrime illam fœdaſti. Ageſis hoc in ſpeculo (quod dono dederam puero) temet contemplare attentius. Vultum tantiſper ſpeculatus ſuum ad aquam lavandus pro-

properavit; Absterſa fuligine jam Daphnis videbatur, qui nudus membra Pyracmon advenerat. Munuſculis ſolitis donavi omnes cum ſingulis collocutus familiariter, ſæpiſſime cum illorum caziquio veraripochiritù, quem ad noſtra ſacra maximopere propenſum illico adverti. Alter, qui comparuit cum ſuorum turma, Caziquius, Tupanchichù, homo vixdum quadragenarius, corporis, & lineamentorum conformatione honeſta, ſed candore, quo reliqui gaudebant, & vultus, & animi deſtitutus, arrogans, vafer, & periculoſus, quippe qui frontis ſerenitate, ſuavit ateque ſermonis exitiale, quod pectore fovebat, nos enecandi propoſitum tegere prorſus norat, ab aliis ſubinde detectum Adveniens mecum conſedit, potionemque ex herba Paraquarica ſibi imperantis more popoſcit illico. Habitis ultro, citroque amicis interrogatiunculis occaſionem de Deo diſſerendi, neſcio unde oblatam, avide arripui. Eſſe unum aliquem, qui in cœlo ſedeat, id dudum novimus, reſpondit. Huic ego: Deum omnium rerum conditorem, dominatoremque ſupremum, Patrem adhæc noſtrum nos impenſiſſime amantem, noſtro amore, cultuque digniſſimum vos dudum ſcire pariter oportebat, ac intelligere, quid illi placeat, quid diſplicebat. Edic, amabo, quid diſpliceat Deo, ajebat. Averſatur, repoſui, plectitque acerrime adulteria, obſcœnitates, mendacia, calumnias, furta, homicidia — Quid? (me interpellans quærit elato ſupercilio) Deus non vult, ut alios interficiamus? eccur iſti vecordes ſe non tuentur contra interfectores? ſic ego facere conſuevi, ſi quis mihi immineat. Conatus ſum fanaticum opinatorem dedocere illique, humanæ cædis horrorem injicere, quo ſucceſſu, ignoro. Ex idoneis dein authoribus didici, barbarum hunc Tupanchichù, qui ut præſtigiator maleficus à tota paſ-

ſim vicinia timebatur, ſuo in tugurio ſtruem calvariarum oſtentaſſe illorum ſcilicet, quos partim veneno, partim violenta manu trucidavit. Dicebatur idem cum ſuis adverſus nos conjuraſſe. Ne ab illis noctu per inſidias opprimeremur, caziquius Roy in propinquo nobis ſub dio dormientibus tugurio noctes egit, pro noſtra excubans ſecuritate, qui, ut mox dicam, impiis crudeliſſimi Tupanchichù artibus paulo poſt occubuit, vitamque amiſit ſuam, quia noſtram ſervavit.


Caziquii præmiſſis colloquiis, deliberationibusque concordi ſententia ſtatuerunt denique, ac mihi ſupplicarunt, ut ſibi nativo in ſolo colonia, aliarum, quas Indi chriſtiani obtinent, more conderetur. Illorum votis annui eo libentius, quod ſtructum in Mbae vera oppidulum maximas nobis opportunitates præberet barbaros alios, qui remotioribus in ſylvis latitabant, conquirendi, chriſtoque adjungendi. Tupanchichu à Chriſtianorum ſacris alieniſſimus licet, auſus tamen non eſt binis aliis caziquiis Roy, reliquorum Dictatori & verari pochiritu ætate, ac ſubditorum numero ſpectabiliori palam repugnare. Conſenſum ſimulavit callidé, ut eo certius meditatum ſtruendæ coloniæ negotium diſturbaret. Triduo apud iſtos conſumpto abiturum me poſtridie, ſed procuratis pecoribus, rebusque aliis, quæ ad oppidum ſeu condendum, ſeu conſervandum neceſſariæ, me rediturum ſubinde ſignificavi omnibus. Iter ingreſſuro mihi ad teſtificandam benevolentiam ſuos caziquii filios adjunxerunt, qui ad meum me oppidum comitarentur. Tupanchichu verſipellis, filio adulto quod careret, uxoris ſuæ fratrem, adoleſcentem forma præſtantiſſimum mihi aſſociaverat. Caziquii Roy quatuor filii mecum venere, ſcilicet Arapotiyu natu

maxi-





maximus; Ararendi. qui ætate illi proximus, cœlebs uterque. Alii duo adhucdum pueri, & Gató caziquii captivus adolescens. His accessere alii conjugati, ut adeo decem & octo barbaros viæ comites numerarem. Iter nobis omnino faustum, jucundumque fuit. Obvii Hispani dum me tot barbaris nudis, sagittarum fasce onustis, ornatisque psittacorum e plumis corona comitatum videre, primo terrore In gratulationes converso mihi liberaliter applauserunt. Uno omnes ore celebrabant meam magnanimitatem, quod barbarorum latibula adire ausus sim, Felicitatem, quod detexerim. Hispanorum alquis captus adolescentis venustate, quem Tupanchichu mihi adjunxerat: Mi Pater, inquit, ecquid dolendum non esset, si faciem tam Hispanicam (Pulchram dicere voluit) malus dæmon aliquando raperet? S. Joachimi oppidum incolumes, & ovantium instar ingressi sumus denique, festis incolarum vocibus excepti. Hospites sylvicolæ liberaliter à nobis habiti, vestiti illico, securibus, cultris, globulorum vitreorum fasciculis, munusculis aliis prolixe donati. Post dierum quatuordecim quietem cum Indorum nostrorum comitatu ad suos remissi fuere præter Arapotiyu adolescentem. Hic ab illa hora, qua sylvarum inter latebras primus omnium mihi occurrit, à meo se avelli latere nunquam est passus. Explorata per menses aliquot illius constantia, rerumque, quæ ad religionem pertinent, cognitione sacris eum undis ablui, ac haud multo post christiano ritu matrimonio junxi. Recens quamvis oppidi nostri incola omni virtutum genere excelluit, Veteranus christi discipulus videri ut posset. Nullum fecit lamentandi finem, dum Regio decreto in Europam revocabamur, omnibus Indorum coloniis & suam, & nostram sortem complorantibus. Gatò captivus apud nos forte



ſua contentiſſimus pariter noſtro remanſit in oppido, talemque ſe præbuit, ut dignus & baptismate, & chriſtiano conjugio videretur. Verum lenta tabe conſumptus paucos poſt menſes vivere deſiit.

Indi noſtri ex Mbaebera ſylvis reduces, apud barbaros anginam contagionis inſtar periculoſe graſſari mihi nunciarunt. Præſtigiatores, maxime Tupanchichu eorum princeps, rudi plebeculæ, hanc luem a nobis invectam eſſe, perſuadere nitebantur eo animo, ut chriſtianorum hominum horrorem injicerent. Ad noſtrum Provincialem literas dedi confeſtim, quibus illum de meo itinere, de inventis barbaris, de Colonia, quam flagitaverant, illis condenda certiorem feci. Ille multa cum gratulatione Conſilium probavit meum: mihique ad barbaros redituro Patrem alium in Divi Joachimi oppido mox ſubſtituit. Regius quoque Gubernator D. Joſephus Martinez Fontes de rebus geſtis, porroque gerendis edoctus eſt, ac facultatem conſtruendæ coloniæ pro more rogatus. Ad votum, repugnante nemine, mihi ceſſit negotium. Aſt eheu! orcus felicem rerum curſum ſtitit, ſpesque omnes, quas concepimus, eluſit, duplici uſus inſtrumento: barbariſſimo ſcilicet Tupanchichù, & Hiſpano opulento. Audi, ac exhorreſce utriusque ſcelus execrandum. Non expectatus è Mbaebera adeſt curſor, qui caziquium Roy eſu pomorum, quæ Hiſpani batatas, germani pomaterræ, Quarani Yeti vocant, extinctum eſſe, quæ veneno infecta Tupanchichu porrexerat, ulturus Roy de noſtra incolumitate ſolicitudinem, dum ille ad nos enecandos advenerat; Impediturusque coloniæ ſtructuram, quam idem Roy impenſe urgebat, cupiebatque ardenter. Caziquii ſenis nece haud contentus Tupanchichu illius etiam viduæ inſidiabatur, ut illa

illa trucidata ſecuribus, cultris, aliisque è ferro inſtrumentis, quæ maritus reliquerat, potiretur. Fœmina hac, illac fugiens, cum nullis ſylvarum latebris tutam ſe putaret, ſua cum familia ad noſtrum ſe oppidum recepit navigantium more, qui procelloſo è mari ad portum vicinum feſtinant. Filios quatuor, filias totidem numeravit, cœlibes omnes præter unam, ſed à marito jam repudiatam. Iter centum prope milliarium, ſylva continua, tot fluviis, paludibusque impeditum duæ exaſperarunt filiæ, quarum una bimula, altera adulta quidem, ſed pedibus, manibusque capta, ut ſola greſſum figere non poſſet. Ambæ alienis manibus geſtandæ. Adultior illa reti impoſita fratrum, ſororumque humeris bajulabatur. Tantam barbarorum ſeu charitatem, ſeu patientiam ecquis non ſtupeat? Chriſtianæ diſciplinæ rudimertis ſolerter imbuta mater aliquot poſt menſes cum octo prolibus, unoque captivo eodem die ſacro latice à me luſtrata eſt incredibili circumſtantium ſolatio; Quantum fuerit meum, cogitari poteſt, non item explicari. Hæc barbarorum decuria Chriſto per me adſcripta, etſi aliud operæ pretium deeſſet, meorum in Mbaebera itinerum fructus exſtitit haud ſpernendus. Nefarium Tupanchichù venefici, qui caziquium Roy præcipuum Coloniæ ſuis condendæ authorem interemit, facinus diris omnibus devovendum quamvis putem, deteſtabilior tamen mihi ſemper viſa eſt illius hominis memoria, qui privatarum utilitatum cupidine ſordida ſtimulatus coloniæ, quam meditabamur, ſtructuram auſus fuit fruſtrari. Is Hiſpanos inter in Paraquaria natus, ſed non Hiſpano genere ortus. Nomen illius taceo, quia in aliqua Europæ provincia illuſtre, ac pervulgatum.

Hic vir opum, quam virtutum, ſtudioſior audebat, agebatque omnia, quæ cum quæſtu conjuncta ad augendam rem familiarem facere ſibi videbantur. Prædium illi erat omni animalium genere perquam locuples, domusque in Aſſumptionis urbe. Ex commercio herbæ Thée Paraquaricæ potiſſimum opes corraſit. Ad hæc omnia ſeu tractanda, ſeu conſervanda ingenti ſervorum multitudine opus fuit. Indorum in Mbaeberà contubernia numeroſa à me detecta eſſe, illisque, ut religione imbuerentur, coloniam proxime ſtruendam, intellexerat. Cœpit mox cogitare de iſtis barbaris ad prædium ſuum quacunque demum arte transferendis, ut illorum opera æthiopum loco uteretur, qui iſtic magno pretio venire ſolent. Hunc in finem idoneos, linquæ Quaranicæ mediocriter gnaros homines mittit, qui barbaris id, quod cupiebat, perſuaderent, & quem ſolis verbis non poſſent, donis copioſis impetrarent illorum aſſenſum. Aureos Hiſpanorum in terris montes, veſtitum ſplendidum, menſam quotidie lautiſſimam, felicitates omnes pollicebantur, piſcatores imitati, qui piſcibus eſcam propinant, hamum lethalem abſcondunt. Nulli pepercere artificio, ut Jeſuiticarum coloniarum horrorem injicerent. In iſtis eſuriem, & quidquid calamitatis eſt, habitare mentiebantur. Caveant ſibi igitur à Jeſuitis, & ſiquidem rebus ſuis conſultum velint, ad Hiſpani NN. prædium abjecta omni cunctatione, deliberationeque ſe cum ſuis conferant, ſuaſerunt, quin tamen id vel uni perſuaderent. Enim vero delirationis genus erat id ab Indis ſylveſtribus vel petere, vel expectare, qui ſervitutis metu Hiſpanorum vicinitatem, immo umbram quoque timent, fugiuntque, ac illorum blanditias pro minis, inſidiisque habent. Malunt nudi ſui juris eſſe, quam bene veſtiti, bene paſti duram ſervire

ſervi-

ſervitutem. Dum contubernia ſua Hiſpanis perſpecta eſſe, ſecum ipſi reputaverant, de ſua ſecuritate actum eſſe omnino, ſeque Hiſpanorum inſidiis undique patere exiſtimarunt, quotidie ſibi timendum eſſe rati, ne Hiſpano illo, cui morem gerere noluerant, jubente ab armata militum manu in ſervitutem, exiliumque abriperentur aliquando. Hoc diſcrimine eorum oculis diu, noctuque obverſante, ſtativa ſua mutare, remotiſſimas ab hac ſtatione latebras circumſpicere, ſtatuerunt denique. Redactis mox in cineres tuguriis fugientium potius quam proficiſcentium more migrarunt omnes. Quorſum? Id ne divinari quidem unquam potuit.

De hac barbarorum fuga certior factus, in viam me dedi illico cum quadraginta Indis chriſtianis, quos inter Arapotiyù viarum, ſylvarumque circum jacentium ſcientiſſimus. Verum eheu multa agendo, plurima patiendo nihil egimus. Trium caziquiorum, apud quos triduum conſumpſi paucos ante menſes, gentisque univerſæ tuguria flammis conſumpta deprehendi. Percurſatis Mondaỹ, & Acaraỹ fluminum litoribus, & quæ interjacent, ſylvis ne veſtigium quidem hominis videbatur usquam. Cumque ſpes nulla porro ſupereſſet, excuſſis longe, lateque ſylvarum receſſibus, laſſi, mœſtique viam remenſi ſumus. Quæ res cum per omnem provinciam pervulgaretur, boni omnes incredibili luctu conficiebantur. Hiſpani, Indi chriſtiani Ira exarſerant in illum hominem, ſua qui avaritia ſegetem jam meſſi maturam, ac propediem Eccleſiæ horreis inferendam vaſtare auſus eſt Dum enim illos barbaros ſuos facere ſervos conabatur, ne ſupremi Numinis cultores, & Jeſu chriſti diſcipuli fierent, impediit Regius Paraquariæ Gubernator, injecta hujus facinoris mentione,

com-

compressſo pugno menſam, cui cum Hiſpanis primoribus aſſederam, quatiens: fateor, exclamavit irarum pleniſſimus, illum hominem quovis ſtygio dœmone, ipſoque Antichriſto fuiſſe nocentiorem. D. Emanuel de la Torre Paraquariæ Epiſcopus, ob navatam rei chriſtianæ tot itineribus operam ſummis me laudibus proſecutus eſt ore, calamoque; ſimul nefarium hominem, qui expectatis fructibus obſtiterat, diris dignum, chriſtiani, Hiſpanique nomine indigniſſimum me adſtante pronunciavit, neque impunitum fore, comminatus. Verum comminatio intra verba ſtetit. Nam, quod quidem ſciam, nec gubernator, nec Præſul aliquid contra impium auſus eſt cognatorum & numero & potentia formidabilem, quos irritare periculoſum videbatur utrique in urbe ad ſeditionem prona, ut ex annalium monumentis patet. Verum magiſtratu in tanto flagitio connivente divina ultio impium caput mulctavit.

Multos ære conductos paranda per Mbaebera ſylvas herba thée occupaverat. Ingens illius jam paratæ multitudo mulos, quibus in urbem aſportaretur, expectabat in Hiſpanorum laborantium tugurio interim cuſtodita Tugurium editiore in colle ſitum, arboribus hinc, atque illinc munitum propinquas fluminis Acaray ripas junco paluſtri, altoque gramine luxuriantes deſpiciebat. Has ingens repente incendium corripuit, ignibus à barbaro ſubjectis, & rapido curſu progredientibus. Hiſpanus operis, operarumque præfectus tugurio ſuo metuens ſocios decem & octo, ignem propinquantem qui extinguerent, mittit, eodem igne mox extinquendos. Repentinus equidem turbo totam late planitiem celerrime ita inflammaverat, ut Hiſpani omnes à fronte, à tergo, à lateribus igne involutos undique ſe viderent, nullo

effugii

effugii loco relicto. In paludes alii infilierant, fed prope ficcatas. Luto fe immerferant alii, fed omnis induftria incaffum cecidit. Non cremati quidem, fed flammarum imminentium æftu fuffocati, tofti, ac veftitu apud plerosque incolumi ad unum omnes affi fuere. Eodem mox vefpere tredecim miferrime expirarunt. Terni poftridie. Binis aliis calamitofior, quia lentior mors fuit. Ulceribus fœdis, atque enatis inde vermibus fcatentes, putrefcentesque fætorem tam tetrum toto è corpore exhalarunt, ut fuperftites focii pauculi ad cibum, potumque porrigendum non nifi claufis naribus tuguriolum illud fubirent, ubi morituriente decubuere. Nafo, auribus, oculisque orbati vitam quavis morte acerbiorem denique clauferunt. Barbari fpeculatores hanc Hifpanorum ftragem, quin fpectarentur, eminus fpectarunt, vifa eorum paucitate jam animofiores. Horum aliquis fagittis, clavaque minax, fertoque plumeo cornatus Hifpanorum in tugurium irrepfit, ubi illorum unicus, herbæ paratæ cuftos, remanferat reliquis trifticum nuncio in urbem regreffis, vel per fylvam, nefcio, quid quærentibus. Siccine, torvo vultu illi ait barbarus, vos aufi eftis his nemoribus pedem inferre, nunquam veftris? Num ignoratis patrium hoc nobis folum effe, quod ab avis, atavisque hæreditarium accepimus? Necdum fatis terrarum vobis eft, qui campos immenfos, fylvas innumeras majoribus noftris vel repugnantibus, vel conniventibus nullo jure occupaftis dudum, ac etiamnum imprudenter ufurpatis. Adeone pauperes vobis videmini, ut noftris in fylvis divitias quærere, foliisque, quæ potioni ferviunt, noftras nudare arbores cogamini? Audaciæ, rapacitatisque vos pudeat veftræ, pœnitebit certe, nam morte luetis aliquando. Siquis noftrum veftro immineret territorio, nullus fim, fi vi-

vus

vus ad nos redierit. Exemplum veſtrum imitabimur dein. Si ſapitis ergo, ſi vita vobis cordi eſt, properate, popularesque monete veſtros, ab acceſſu noſtræ ſylvæ, ni mori malint, ſibi caveant diligenter. Iſta barbaro minaciter perorante obmutuit enimvero Hiſpanus, expalluitque lethalem ictum expectans. Ad vitam ſervandam ſecures, cultros, veſtes, alias, quæ in promptu erant, reculas tremente porrexit manu. Quibus donis placatus receſſit, ſociisque, qui prope latebant, ſe ſe adjunxit. Hiſpanus quamvis hac in ſtatione moram ſibi periculoſiſſimam ratus iter fugiens ad urbem arripuit illico, multis librarum millibus herbæ jam elaboratæ cuivis demum fato relictis.

Hoc de 18 Hiſpanis campi incendio nuper enectis, & de barbarorum comminatione nuncium ingens civitatis perturbatio conſecuta eſt, tantusque ſylvarum Mbaebera metus omnium animis injectus, ne non niſi aliquot poſt menſes maximaque mercede conducti invenirentur, qui relictæ iſtic herbæ multitudinem mulis ad urbem deportarent. Non mediocre damnum in illum redundaverat, qui lucelli deſiderio, ſordidaque avaritie abreptus meditatam pro barbarorum ſalute coloniam diſturbavit. *Sera tamen*, ut Tibullus cecinit, *tacitis pœna venit pedibus*. Infelicitates enim, resque ſiniſtras, quæ impio homini certatim evenerant, non fortuitos caſus, ſed vindicis Dei pœnas fuiſſe, nemo erat, qui dubitaret. Verum atrociora, ni rite pœnitendo facinus expiaverit, illum manent ſupplicia. Tot ſane nominibus orco ſe dignum reddidit, quot barbaros à religione amplectenda abſtinuerat, ad quod impetrandum ſeptingenta admodum milliaria repetitis ad Mbaebera itineribus plerumque pedes, & frequenter nudis pedibus

bus confeci. Tanto labori licet fructus expectatus non reſponderit, remuneratio haud deerit divina; Humanam equidem neque tuli, neque exſpectavi. Ea equidem vivimus tempora.

Juvat hic meminiſſe alterius ad barbaros excurſionis, quæ diebus paucioribus definita, majoris tamen fructus, ſolatiique ferax fuit. Ad Auſtrales fluvii Empalado ripas Hiſpanorum turma Herbæ Paraquaricæ conficiendæ operam dabat. Deficientibus jam arboribus, e quibus illa folia reſcinduntur, exploratores tres emiſerant, qui trans illud flumen arbores deſideratas inveſtigarent. Forte in tugurium, agrumque frumento Turcico conſitum incidere, ex quo hanc ſylvam barbarorum contuberniis ſcatere perperam arguebant. Hæc notitia tanto omnes perculit metu, ut ſuſpenſo, ad quem conducti fuerant, labore ſuis aliquamdiu in tuguriis laterent, ut limax intra concham. Diu noctuque hoſtilis aggreſſio formidabatur. Ad liberandos ſe hoc terrore curſor ad S. Joachimi oppidum miſſus, qui, ut barbaros iſtic habitantes perquiramus, inventosque ad noſtram transferamus coloniam flagitavit. Sine tergiverſatione operam addixi meam. Licet trium hebdomadum itinere defunctus Nato ſervatori ſervatori ſacra die ex Mbaebera domum redierim, S. Joannisapoſtoli feſto iter mox aggreſſus ſum cum quadraginta Indorum meorum comitatu. Fluviis ob continuatum dies complures imbrem turgentibus profectio perardua nobis exſtitit. Accepto ex Hiſpanorum tugurio viarum duce, trajectoque flumine Empaladó ſylvas omnes ad fluvii Monday mi'ri ripas usque attentis oculis pervagati, tertio demum die, humano, quod deteximus, veſtigio nos ducente ædiculam attigimus, ubi mater vetula, cum filio viceſimum, filiaque

quintum decimum annum agente annis abhinc multis degebat. Quibus in latebris Indi alii verſarentur, à me rogata mater: Neminem mortalium præter ſe, binasque proles, his in ſylvis ſupereſſe: omnes, qui per hanc viciniam habitaverant, variolarum dira peſte dudum extinctos fuiſſe, reſpondit. De dicti veritate ancipitem me dum obſervaret filius: Tutò, ait, fidem adhibueris matri meæ iſta affirmanti; Namque ipſus ego uxorem mihi quæſiturus remotiſſimas etiam ſylvas identidem percurſavi, quin tamen vel hominis umbram reperirem uſpiam. En! naturæ inſtinctu adoleſcens barbarus, conjugium cum ſorore ſibi neutiquam licere, intellexit. Is multis poſt menſibus meo in oppido, nullos præter ſe homines illis in ſylvis degere, iterum, iterumque ingenue mihi aſſeveravit. Idem confirmarunt Hiſpani, à quibus evocatus ſum, ultra biennium in conquirenda herba dein per illas ſylvas occupati, non mediocri cum quæſtu.

Vetulam matrem congruis argumentis hortatus ſum ad meum ut oppidum, ſiquidem luberet, commigraret ocyus, ſe, ſuosque meliori fortuna illic uſuros, pollicitus. Lubenter invitationi meæ obtemperaturam ſe, reſpondit; Rem unicam migrationi ſuæ obſtare. Sunt mihi, ait, tres, quos coram vides, apri à prima ætate manſuefacti; Nos quoquo euntes caniculi more ſequuntur. Hi, ſi campum aridum videant, vel extra ſylvarum umbram à ſole ardenti videantur, peribunt confeſtim, timeo. Hanc ſolicitudinem, quæſo, animo ejicias tuo, repoſui; cordi mihi fore chara animalcula, nil dubites. Sole æſtuante umbram, ubi ubi demum, captabimus. Neque lacunæ, amnes, paludes, ubi refrigerentur tua hæc corcula, usquam deerunt. Talibus delinita pro-

miſſis ſe nobiſcum ituram, ſpopondit. Et vero poſtridie iter ingreſſi, calendis Januarii incolumes oppidum attigimus, licet per viam binæ fulminibus, imbribusque horrendis fœtæ tempeſtates nobis incubuerint, ac tigris rugitu aſſiduo totam per noctem minitans nobis iterum, iterumque propinquarit. Hiſpanos, queis matrem duabus cum prolibus per tranſennam exhibui, nihilque omnino Indorum ſylveſtrium in tota late vicinia ſupereſſe, ſignificavi, timoris ſui & puduit, & pœnituit. Autumaverant equidem ſylvas Empalado, & Monday fluminibus interjectas barbarorum habitationibus, perinde ut formicis, undique ſcatere. Jam de forma, habitudine, vivendi ratione, quam in matre, ejusque prolibus obſervaveram, dicendum obiter aliquid. Ab ineunte ætate in Monday litoribus, culicum, ſerpentum, aliorumque animalculorum noxiorum frequentia oppido infectis conſedere. Palmarum ramis tuguriolum definiebatur. Aqua ſemper lutulenta potum; arborum fructus, alces, damulæ, cuniculi, aves variæ, frumentum turcicum, radices arboris Mandio dapem, Tela ex foliis caraquatà contexta veſtitum, lectumque præbuere. Mel, quod exeſis in arboribus paſſim proſtat, inter cupedias numerabatur. Tabacæ, quam petí vocant Quaranii, fumum ex arundine, cui ligneum vaſculum Cacabi inſtar præfixum, diu noctuque hauſerat vetula; Filius tabacæ folia in pulverem redacta ore mandere nunquam deſiit. Concha ad lapidem exacuta pro cultro utebantur, interdum arundine fiſſa. Adoleſcens matris, ſororisque nutricius bina ferri fruſtilla, cultri olim confracti reliquias, pollicem lata, & pollice nil longiora, ligno, ceu manubrio inſerta, cera, filoque cirum ligata Cingulo geſtabat ſuo. Hoc inſtrumento ſagittas ſcitiſſime elaborare, decipulas è ligno ad capien-

das alces facere, arbores, ubi mellis indicium viderat, perfodere, aliaque id genus præſtare ſolebat. Cum argilla, è qua ollæ conficiuntur, nusquam eſſet, carnibus aſſis, non coctis veſcebantur per omnem vitam. Herbæ Paraquaricæ folia non niſi frigida perfudere, cum vas, quo aquam recepto more calefacerent, non haberent. Ignem per affrictum celerem duorum lignellorum nôrunt promptiſſime elicere, omnium Americanorum more, quod alio loco exponam uberius. Ad reſtinguendam ſitim aqua paluſtri, ſemperque, ni ab Auſtro frigido refrigeretur tantisper, tepida utebantur, cui adferendæ, aſſervandæque ingentes cucurbitæ pro cantharis ſerviunt. Ut, quam curta illis domi fuerit ſupellex, porro videas, de eorum veſtitu facienda eſt mentio. Juveni lacerna è Caraquata filis concinnata è ſcapulis ad genua utrinque defluebat; ventre funiculis præcincto, è quibus cucurbita tabacæ pulveribus, quos mandit, plenam ſuſpendit. Rete craſſioribus è filis matri lectus noctu, interdiu veſtis fuit unica Puellæ pariter breve reticulum, in quo noctibus cubabat, per diem veſtitus inſtar fuerat Cum nimis diaphana mihi videretur, ut verecundiæ conſultum irem in Jndorum, Hiſpanorumque præſentia, linteum goſſipinum, quo lotas manus tergimus, illius nuditati tegendæ deſtinavi. Puella linteum, quod illi Indi mei porrexerant, iterum, iterumque complicatum papyri inſtar, capiti impoſuit ſuo, ceu clypeum contra ſolis æſtus; verum admonita ab Indis illo ſe involvit Juveni quoque, ne verecundos offenderet oculos, perizomata linea, quibus in itineribus contra culicum morſus caput obvolveram meum, invito obtruſi. Prius celſiſſimas arbores ſimii velocitate ſcandebat, ut fructus ab apris tribus devorandos, inde decerperet. Caligis, veluti compedibus impeditus

ditus vix greſſum figere potuit. Tanta rerum penuria, frugalitate tanta cum in ſolitudine victitarent ſemper, ac anachoretarum veterum rigores, aſperitatesque experirentur, ſorte ſua contentiſſimos, tranquillo animo, corporeque morborum neſcio illos ſuſpexi. Ex quo palam fit, naturam paucis contentam eſſe; Erubeſcant illi, quibus ſaturandis, ornandisque totus orbis vix ſufficit. Ex ultimis terræ finibus, ex oceani, ſylvarum, camporum, montium, tellurisque gremio, ex elementis omnibus, & unde non? avide petuntur ſubſidia, quæ ad comendum corpus, ad oblectandum palatum faciunt Verum dum oblectare ſe, ornareque putant, ſe onerant, opprimuntque. Dum delicias multiplicant ſuas, opes, viresque iminuunt quotidie. formæ venuſtatem labefactant, morbos adſciſcunt ſibi, mortemque accelerant eo infeliciores, quo fuerint delicatiores.

Tres mei ſylvicolæ, de quibus ſermo, rituum Quaraniis barbaris propriorum vel immemores, vel contemptores fuerunt. Crinibus paſſis ſine ulla inciſione, vel ligamine incedebant. Juveni nec labium pertuſum, nec vertex pſittacorum plumis coronatus. Matri, filiæque inaures nullæ, quamvis illa collo circumdederit monilis loco funiculum, è quo fruſtilla ligni pyramidati, ſat multi ponderis pendebant; E mutuo illorum colliſu ad quemvis greſſum ſtrepitus edebatur. Primo conſpectu interrogavi vetulam: Num ad terrendos culices ſtrepitans hoc monile è collo ſuſpenderit? e Moxque globulorum vitreorum exquiſiti coloris faſcem ligneis his ponderibus ſubſtitui. Mater, filiusque corpore erant procero, forma honeſta; Filia vultu tam Candido, tamque eleganti, ut à Pœtis Driadas inter Nymphas, Hamadriadasque numerari, ab Europæo quovis pulchra dici tuto poſſet.

Hilaritatem decoram affabilitati conjunctam præſeferebat. Noſtro adventu repentino minime terreri, recreari potius videbatur. Quaranica linqua loquentes nos liberales inter Cachinos riſit, nos illam eâdem reſpondentem. Cum enim extra aliorum Indorum ſocietatem fratri, matrique duntaxat colloqueretur, verbis Quaranicis retentis quidem, ridicula quædam dialectus irrepſit. ſic *quaraçi* ſol. *Yaçi* luna: *cheraçi* ægroto dicimus reliqui, & illud c cum ſubjecta notula veluti S. pronunciamus. *quaraſſi*, *Yaſſi*, *cheraſſi*; Illi *quaratſchi*, *yatbi*, *cheratſchi* dicebant. Juvenis præter matrem, ſororemque nullam unquam vidit fœminam; Neque præter patrem ſuum virum aliquem. Puella matrem duntaxat novit, nullam præterea fœminam. Virum præter fratrem ſuum ne eminus quidem conſpexit, dum enim utero à matre geſtabatur, pater ejus à tigride fuerat diſcerptus. Ad fructus ſeu humi, ſeu in arboribus natos conquirendos, ad ligna, foco neceſſaria, colligenda ſylvam dumetis, arundinibus, ſpinisque horrentem ſolers puella peragravit quotidie, quibus pedes miſere pertuſos habebat. Ne incomitata eſſet, pſittacum exilem humero, ſimiolum brachio inſidentem circumtulit plerumque, nullo tigridum metu, queis omnis illa vicinia abundat, vel me ipſo teſte oculato. Pridie ejus diei, quo in iſtorum contubernium incurrimus, parum abfuit, quin dormiens à propinqua jam tigride devorarer. Indi mei ejus rugitu expergefacti & haſtis & admotis celeriter ignibus vitam ſervârunt meam. His in nemoribus, cum minor ſit ferarum copia, tigrides fame ſtimulante ferociunt atrocius, avidiusque in obvios aſſiliunt homines, quam in campis, ubi, cum infinita vis pecorum omnis generis oberret, præda, famisque remedium, quoties lubet, illis in promptu eſt.

Novi

Novi profelyti in oppido mox veftiti reliquorum more, & præ reliquis quotidiano cibo liberaliter refecti funt. Curatum quoque à me diligenter, ad fylvas vicinas cum aliis ut excurrant frequentius, umbra, amœnaque arborum, queis affueverant, viriditate fruituri. Experientia equidem novimus, ut pifces extra aquam cito intereunt, fic barbaros è fylvis ad oppida translatos fæpe contabefcere, victus, aerisque mutatione, ac folis potiffimum æftu corporum habitudinem perturbante, quippe quæ a pueritia humidis, frigidiufculis, opacisque nemoribus affueverunt. Idem fuit matris, filii, filiæque noftro in oppido fatum. Paucis ab adventu fuo hebdomadibus gravedine, rheumateque totum corpus pervadente tentabantur omnes His oculorum, auriumque dolor, ac haud multo poft furditas fucceffit. Mœror animi, cibique omnis faftidium vires abfumpfit adeo, ut extrema demum macies, tabesque nullis remediis proficientibus confequeretur. Aliquot menfibus languefcens mater fenicula, chriftianæ difciplinæ rudimentis rite imbuta, facroque tincta latice prima occubuit, animo tam fereno, Divinisque voluntatibus acquiefcente, ut illam ad fuperos tranfiffe nil dubitaverim. Puella, quæ plena vigoris, venuftatisque oppidum ingrediebatur, viribus exhaufta, fui omnino jam diffimilis, floris inftar paulatim marcefcens vix offibus hæfit, ac denique matrem ad tumulum fecuta eft, & nifi vehementiffime fallor, ad Cœlum. Quid fi cum Regum fapientiffimo dicamus: Illam poft facrum, quo expiata eft, baptisma confummatam in brevi expleviffe tempora multa: Placitam Deo fuiffe animam illius: Raptam effe, ne malitia mutaret intellectum ejus. Illud certiffimum: qui innocentiffimæ puellæ integritatem laudibus, funus præproperum lacrymis non profequeretur, neminem in

oppido fuiſſe. Frater illius tum ſuperſtes eandem, quā mater, ſororque extinctæ ſunt, invaletudinem ſenſit, ſed, quia robuſtior, ſuperavit. Quin & ex morbillis, qui multas in oppido edebant ſtrages, ſubinde convaluit adeo, ut confirmata penitus valetudine nihil illi porro metuendum eſſe videretur. Hilari erat animo, ſtatis horis Sacram adivit ædem, chriſtiana dogmata condidicit perdiligenter, morigerum, placidamque ſe præbuit omnibus, ac frugis optimæ indicia paſſim dedit. Ad periclitandam tamen illius in oppido perſeverantiam tantiſper differendum ejus baptismum exiſtimavi. Hæc inter adeſt forte Indus chriſtianus, qui hunc catechumenum me jubente ſuis dudum habebat in ædibus, vir probus, & agri dives. Hic: Mi Pater, ajebat, ſylvicola noſter equidem optime valet, verum mihi videtur ad delirandum propendere. Nil ſibi jam dolere, ſed noctes ſibi inſomnes abire, inquit, ſpectabilem ſibi matrem cum ſorore adeſſe quot noctibus, & amica voce ſibi dicere: *Ndecaray, ndcaray a͂nga, nderemimô a eỹrupi oro yu yebi ndererababone.* Sine te, quæſo, baptizari. Præter tuam expectationem veniemus iterum te abducturæ. Hoc alloquio, hoc aſpectu ſibi ſomnum impediri, ait. Jubeas illum meo nomine, reſpondi, bono eſſe animo. Triſtem matris, ſororisque, quibuſcum, per omnem ætatem verſatus eſt, recordationem ſomniorum ejusmodi cauſam eſſe. Illas cœlo, ut quidem mihi veriſimile, receptas nihil jam negotii his in terris habere. Hæc ego. Verum paucos poſt dies idem redit Indus, eadem, quæ nuper, refert, ſuamque de timenda catechumeni deliratione ſuſpicionem confirmat. Aliquid rei ſubeſſe, ſuſpicatus actutum ejus in domum propero, ſedentem deprehendo. Rogatus à me: qui ſe habeat? incolumen, doloris omnis expertem ſe eſſe ridens

rep-

reponit, addit tamen: vigilando ſemper ſe noctem agere, quod mater, ſerorque identidem præſentes ſibi offerantur, de baptismo accelerando moneant, & inopinate ſe abducendum, minentur; Idcirco nullam ſe quietis partem capere poſſe, iterum, iterumque mihi affirmat candore, ut ſemper alias, ſummo. Somniari ab illo talia, atque adeo contemni poſſe, autumaveram; Memor tamen, ſomnia monitiones Cœleſtes, Dei oracula non raro exſtitiſſe, uti divinis ex literis patet, in negotio tanti momenti viſum mihi eſt Catechumeni & ſecuritati & tranquillitati conſulere. De illius perſeverantia, de religionis capitum ſcientia ſat certus præmiſſis interrogationibusque neceſſariis eum ſacris undis mox ablui, ludovici nomine inſignivi. Hoc a me præſtitum 23. Junii, S. Joannis Baptiſtæ vigilia circa horam decimam antemeridianam. Eodem die circa veſperum nullo morbo, aut apoplexiæ indicio accedente placidiſſime expiravit.

Hic eventus, univerſo oppido compertus, quemque juratus teſtari poſſum, in admirationem rapuit omnes. Lectoris arbitrio, quid de hoc ſentiendum ſit, relinquo. Nunquam tamen in animum inducere meum, potui, ut factum hoc fortuitum putarem. Eximiæ Dei Clementiæ tribuo, quod hi tres ſylvicolæ a me ſint reperti in ignotis ſilvarum latebris, quod mihi ad oppidum meum, ad amplectendam religionem ſe hortanti morem promptiſſime geſſerint, quod ſacro latice expiati vitam clauſerint. Optimum Numen in Cœlo conſociatos voluit, qui tot annos In ſylva contubernales fuere incredibili morum integritate. Fateor, dulciſſimam mihi etiamnum accidere expeditionis ad flumen Empalado memoriam, quæ licet multis moleſtiis, periculisque mi-

hicconſtiterit,ternis illis ſylvicolis feliciſſima fuit;Hiſpanis utiliſſima; Hiequidem a me facti certiores, quod per immenſos illos nemorum tractus nulla porro Barbarorum veſtigia extent, iſtic per triennium quæſtu maximo multa centenariorum millia herbæ Paraquaricæ collegerunt. Neque id rarum, miſſionariorum, qui ſylvas herbæ feraces barbaris liberant, ſudore, ac periculo Hiſpanos diteſcere mercatores. His tamen nunquam in mentem venit ad alendos, veſtiendosque Catechumenos vel micam, filumve contribuere. Illorum corpora, ut animi miſſionariorum ſæpiſſime inopum curæ relinquuntur. Hæc de Tarumenſibus Quaraniorum oppidis. Si de hoc argumento multa nimis ſcripſiſſe tibi videor, noveris, me plurima memoratu digna ſilentio præteriiſſe.

Recentiſſima, quæ ditionis Paraquayenſis eſt, colonia, Belen dicta, quia Deiparæ Bethlehemiticæ dicata, ad ripas amnis ypanequazù in flumen vicinum Paraquayum mox ſe effundentis, urbi Aſſumptionis ad ſeptentrionem ſita, anno 1760. condita eſt pro Indis barbariſſimis, qui ſe Eyiguayegis vocant, ab Hiſpanis Quaycurù, vel Mbayas dicuntur. Equites ſunt dexterrimi, corpore ut vaſto, ſic procero plerique, animo Hiſpanis infenſiſſimo, ſuperſtitionum ridicularum, arrogantiæque pleno, verecundiam, quod ex illorum veſtitu, ac moribus liquet, ne de nomine quidem norunt. Prima apud illos, quin potius unica equorum, armorumque cura, nec minor ſcientia. Bellum, ni latrocinium mavis dicere, honorificentiſſimum illis negotium a pueritia; Hoc illuſtrantur apud ſuos maxime, atque diteſcunt. Ab anno 1745. infeſtis armis Paraquayenſem agrum funeſtarunt pertinaciter. Urbis in conſpectu patratæ tot cædes, quas erectæ paſſim cruces hodiedum

te-

teſtantur. Exhauſta pecoribus prædia, orbataque ſuis cuſtodibus. Multa equorum millia, mulorumque abacta. Pagi Mandihò, Cariy̌, aliique, qui longius abſunt ab urbe, hoſtiumque territoriis propinquant magis, prope in ſolitudinem redacti, incolis partim trucidatis, partim, ne trucidarentur, metu dilapſis. Negotiatores ultro, citroque commeantes non pauci jam mercibus, jam vita etiam exuti ſunt. Curuquatenſes coloni, qui ſylvarum ingentium præſidio contra hos barbaros defendi ſe putaverant ſemper, cruentiſſimam multorum mortibus ſtragem paſſi fuere. Superſtites tumuland; lamentandisque mortuis vix ſufficerant. Pars major provinciæ calamitatum particeps cœdibus, rapinisque deplorandis plus, quam porro impediendis occupabatur; Neque ullum jam malo ſupereſſe remedium, exiſtimabat. Milites, qui ad obſervandos, & ſi res ferat, reprimendos hoſtes, quaqua verſus excurrerant, illorum pernicitate jam præventi, jam per inſidias repente oppreſſi, jam aſtu deluſi, jam aſſultu, validaque impreſſione toties profligati fuere. Barbari quotidianis annorum plurium victoriis inflati nec Hiſpanorum armis comprimi unquam poterant, nec blanditiis placari. Anno demum hujus ſeculi ſexageſimo Dei optimi maximi ope potius, quam humanis artibus pax optata Coaluit, coloniaque quo, dixi, loco, barbaris petentibus fuit conſtituta. Ad illam condendam, procurandamque Pater Joſephus ſanchez labrador Cordubenſi in Academia philoſophiæ quondam magiſter publicus, Quaranios inter aliquamdiu verſatus, vir prudentia, ſolertia, patientiaque inſignis, ac rerum naturalium diligens inveſtigator feliciter deſignatus eſt. Nulli ſane operæ pepercit, ut arduam barbarorum linquam perdiſceret, eosque ad humanitatem, ad religionem ſeu quotidiana inſtitutione, ſeu bene-

ficiis



ficiis traduceret. Diligentiæ, patientiæque Patris tantæ par utinam fructus respondisset! Caziquii Epaguini, qui coloniæ præerat Capitanei, ut vulgus ait, nomine, nepos parvulus, infantes complures, ac fortassis adulti, de quorum vita conclamatum, aliquot sacro baptismatis fonte lustrati fuerant equidem; Ast reliqui per agros fusi huc illuc vagabantur abjecta religionis condiscendæ cura, ac cupiditate. omni tamen laude superior videtur illorum fidelitas; Nam pace inita nil hostile usquam adversus Hispanos meditabantur. Hi Mbayas hostes adhucdum veriti, cladiumque acceptarum memores pro alenda illorum colonia aureos, ut ajunt, montes spopondere; Evanescente paulatim metu, calamitatumque memoria promissorum quoque immemores parce, vel lente admodum suppeditaverant, quæ ad vitam in oppido tolerandam necessaria putantur. Fame sæpius pereundum erat catechumenis, ni palmarum fructus, feræque ubicunque conquisitæ carnis bubulæ penuriam supplevissent. Fidem, numerumque superant labores, curæ, molestiæ, vitæ discrimina, quibus Patres Josephus sanchez, ejusque socii Joannes Garzia, Emanuel Duran quotidie excruciabantur, per annos complures. Iste, cujus ultimo loco memini, destinabatur novæ coloniæ inchoandæ pro natione Indorum peditum, quos Quañas, vel chanas, vel Mbayarum linqua Niyololas appellamus. Sunt numerosissimi, cis, & trans flumen Paraquayum, optimæ indolis, solertes agricolæ. Mbayas pro dominis habent suis, iisque servorum instar seu in itineribus, seu in agrorum cultu insignem navare operam consueverunt. Orientali in litore Paraquay fluminis ad ripas fluvii Aàba, ab aliis Tepotý dicti, ubi novum mox oppidum collocaretur, agros colere, frugesque serere sibi utilissimas jam jam Ceperunt. Hoc in solo ut

fertili,

fertili, fic ad novas nationes detegendas peropportuno a natione tam docili, tam copiofa ingentes rei chriftianæ progreffiones expectabantur. Verum qui hoc oppido inchoando dudum fe occupaverat, collectis incredibili labore, quæ ad illud perficiendum, confervandumque valerent, omnibus, cum fociis in Europam redire jubebatur. Eodem anno, quo Paraquariæ valediximus, P. Jofephus fanchez Mbayis ducibus ad chiquitorum oppida viam feliciter detexit, feu per flumen Paraquayum navigantibus, feu per illius litora equo iter facientibus ferviturain, multis abhinc annis ingenti navium, hominumque impendio, quin & cum plurium vitæ jactura nequidquam toties quæfitam, tentatamque. Anno 1715. hunc in finem miffi Patres Auguftinus de Arce, & Bartholomæus Blende cum Quaraniorum Chriftianorum comitatu per flumen Paraquayum. Infinitis miferiis defuncti à barbaris Payaquis crudeliter cæfi funt denique, Indis comitibus una trucidatis, aliis fuga dilapfis. Sæpe alias per Paraquayum flumen aditus ad Chiquitos tentatus à P. Hervas, P. Michaele de Yegros, P. de zea, P. Joanne Neumann Auftriaco, qui ærumnis diuturnæ navigationis confectus in urbe Affumptionis anno 1704 vixdum redux occubuit. Hæc aliaque plura Patrum tentamenta ut laboriofiffima femper fic irrita exftiterunt. Via, qua ad chiquitorum colonias Miffionariis eundum erat hactenus, non afperrima folum, fed & multi temporis fuit. Tucumaniæ alpes, altiffimas rupes, fluvios cymba, ponteque deftitutos, folitudines periculofas hinc aquæ expertes, inde barbarorum infidiis obnoxias tranfire illos oportuit. His fuperatis in Camporum planitie cum paludibus identidem luctandum. Accedit: Non nifi ftatis menfibus ad chiquitorum terras aditum, exitumque ex illis patere; femeftri enim fpatio imbrium,

brium, qui à Decembri ad Mayum usque quot annis continuantur, alluvionumque præcedentium vi aquis circumfluunt, & veluti pelago obvallantur undique, ut iter meditantibus vadum nusquam ſuperſit. Ad evitanda tot incommoda viæ per Paraquayum flumen patefaciendæ inhiatum eſt tantopere. Per hanc enim navibus compendio temporis, ſumptuumque maximo tum miſſionarii, tum alia oppidis neceſſaria à Quaraniis ad Chiquitos, & ab his ad illos poſſent transportari. Quid quod & Regiis Gubernatoribus, belli præſertim tempore magnis fore uſibus eadem via putaretur. Hæc quod detecta ſit denique, ſagacitati, eximiæque patientiæ Patris Joſephi ſanchez labrador inacceptis referimus, ceu commune Hiſpanis, Indisque beneficium; verum, dum illo ad rei chriſtianæ incrementum uti poteramus, in Europam remiſſi ſumus omnes. Noſtrum poſt abitum vix mihi perſuadeo florentiſſima Chiquitorum oppida etiamnum ſupereſſe. Cauſam quæris? ultro dicerem, ni timerem. Veritas odium parit his maxime, quæ vivimus, temporibus. Sed memoratis, quæ Gubernatoris Paraquayenſis ditioni ſubſunt, Indorum Coloniis reliquas provinciæ hujus proprietates perſequamur.

Paraquayenſe Cœlum immodicis licet æſtuet caloribus, ſolum tamen utiliſſimarum frugum paſſim ferax, Goſſipio, Cannis ſacchari, tabacca, melle, tritico turcico (Europæo non item) diverſiſſimis leguminibus, mandioca, batatis (quas poma terræ appellamus) varii generis, plantis medicis, uti Rhabarbaro, Alexandrino pari, coloribus, thure, reſinis diverſis, balſamis, palmis, cedris altiſſimis, aliisque arboribus tum frugiferis, tum ad navium, ædium, plauſtrorum fabricam apprime idoneis, equis

præ-

præterea, mulis, bobus, ovibus abundat. Arbores Cupay, ybira payé, e quibus insigne balsamum in Brasilia paratur; Tatayi, quæ flavum, urucuy, quæ rubrum colorem præstant, in silvis passim spectantur. Planta anil, coloris cærulei indigo materies; Grana item, nobis cochinilla, colorruber, ejusdem coloris non nihil pallidioris radices hissipo dictæ; fructus, quos Ananas vocant, aliique palato minime injucundi campos implent. Vinea per omnem Assumptionis provinciam nulla usquam. Liquor ex cannis sacchari igne expressus crematum vinum plebi præbet; Panem triticeum imandiocæ, vel turcici tritici farina varie parata supplere consuevit. Nobiliores farinam triticeam ex Boniaeris territorio navibus sibi adferendam curant. Metalli cujuscunque speciei, nullum istic vestigium, neque lapidum pretiosorum, quos quidem primi ex Hispania advenæ somniaverunt. Psittacorum, simiorumque variæ figuræ, alcium, cervorum, damarum, ursorum formicariorum, tigridum, leonum, piscium lectissimorum, struthionum, perdicum, Crocodilorum, canum, porcorumque fluviatilium, testudinum prægrandium incredibilis ubique copia. Detrimentine plus, an emolumenti adferant hi ferarum exercitus, non vacat discutere. De serpentum, draconum, fomicarum, aliorumque, quæ palam noxia sunt, animalculorum infinita sobole alibi diffuse agemus. Fructus huic provinciæ proprius, atque adeo facile quæstuosissimus Herba est Paraquarica, quæ aquæ ferventi immersa potatur. Istius in historia celebre nomen, sed nomen tantum, & aliquæ ex illa fabulæ, calumniæque. Nemo unus equidem, ni fallor, de herbæ hujus genesi, apparatione, natura, usu, ac pretio enucleate scripsit. Scribam hoc in argumento versatissimus, quia per octen-

oćtennium inter ſylvas, ubi decantata herba conficitur, S. Joachimi in oppido verſatus.

Folia ex arbore Quaraniis *Caa* reſećta, ac lento igne toſta nomenclationem Herbæ Paraquaricæ paſſim obtinuerunt ob analogiam quamdam, ac ſimilitudinem cum herba Thée, quæ ex Aſia adfertur; utraque enim aquæ ebullienti injećta medicinæ inſtar potatur. Arbores caà in ſolis Paraquayenſis territorii nemoribus à metropoli ducentas admodum leucas remotis ſponte ſua naſcuntur. Gleba humida, ac lutulenta, ut arundines, gaudent. Forma, foliisque, niſi quod molliora ſint, pomum auream exprimunt, mole, ac proceritate multum excedunt. Flores exiles, candidos, foliolis quinque inſtrućtos racemi in morem habent. Semen illarum maturum piperis Americani ſemini perquam ſimile, niſi quod terni, quaternive nuclei minuti, albicantes, oblongi ejus ſub cortice deliteſcant. Rami ex arboribus his cultro prægrandi reſciſſi, dum leni flammæ admoventur, nitrati pulveris inſtar crepitant, mox in trabibus transverſim poſitis Locati ſubjećto igne torrentur aliquamdiu. His præmiſſis eadem folia tenerioribus cum ramuſculis humi ſtrata repetitis bacillorum ićtibus in pulverem rediguntur denique. Hoc modo, qui minus laboris habet, & Hiſpanis proprius, parata herba *yerba de palos* dicitur, quia ex foliis, & foliorum cauliculis, venisque, quæ ligneum quid habent, conſtat. Hinc herbam ex ligno vocant; 25 libræ (arroba) hujusmodi herbæ in ſylvis duobus florenis huiatibus in urbe Aſſumptionis ob večturæ ſumptus quatuor venduntur. Duplicato pretio venumdatur herba Caà miri quæ à noſtris Quaraniis laborioſius, nitidiuſque confici ſolet iſti equidem cauliculos, venasque majores è foliis evellunt diligenter, & reiiciunt.

Folia

Folia lento igne tosta ligneo in mortario leniter tundunt, & ne multum comminuantur, maximopere curant. Quo integriora enim manserint, eo plus saporis, odorisque suavioris habebunt. In pulveres tenues redacta utrumque deperdunt. Risi ignorantiam scriptorum, qui discrimen herbæ de palos, & Caà mîri è diversis pendere arboribus asserunt, cum in diversa duntaxat folia parandi methodo utriusque herbæ discrimen consistat. Ex iisdem enim arboribus folia decerpuntur. *Caàmîri* herbam parvam significat, quæ scilicet exclusis foliorum Cauliculis, & quibuscunque crassioribus ligni particulis ex tenerrimis foliorum partibus, licet non in pulvisculos, ut Hispani faciunt, contritis componitur ab Indis Quaraniis.

Herba rite parata citra rei alienæ admistionem odorem exhalat persuavem; Quod si tamen illi adsperseris aliquid ex foliis, vel cortice fructus quabira mîri farinæ in modum tritis, duplicabitur odoris suavitas, herbæque sapor jucundior, ac pretium majus accedet. Adhæc: Gummosum quid habet hæc herba; Hinc, dum torretur ad focum, curandum est diligenter, ne nimis exsiccetur. Mercatores herbæ præstantiam exploraturi aliquam ejus particulam palmæ manus injiciunt suæ, ac pleno ore afflant; si multum herbæ avolaverit, illam, ceu nimis tostam, succi, vigorisque expertem aspernantur; si veluti glutine naturali affixa mai i adhæserit, illam magni faciunt. Innata est herbæ amarities quædam, hinc saccharo conditur hæc potio. Ab Indis tamen, & plebejis quibusque Hispanis sine condimento quotidie bibitur. Arbor Caà licet in extremis, qui septentriones, Solisque ortum spectant, finibus Paraquariæ duntaxat reperiatur, potum tamen non Paraqua-

riis modo omnibus, sed & chilensibus, Peruanisque præbet, quo carere vel unum diem se posse negant, nec desunt, qui horis omnibus illi inhiant sitienter. Hoc, si superis placet, Paraquariæ nectar omnis ordo, ætas, ac sexus in deliciis habet perinde, ut alii choccolate, Caffée, Thée sinense vel vinum crematum habere solent. Hæc, de qua mihi sermo, herba cum ex remotissimis Paraquariæ sylvis in remotum Peruviense, Chilenseque regnum mulorum dorso deportetur, ob itineris asperitatem, & telonii, ex quo æris plurimum in Regium ærarium confluit, ingentes sumptus exaggerato illis in provinciis pretio emi solet. Quadratis è Corio bubulo saccis, quos zurrones, vel tercios appellant Hispani, herba bene compressa clauditur, & ut dixi, à mulis deportatur. Septem arrobas (arroba 25 librarum pondus est) sacci singuli continent, binique mulis singulis imponuntur. Si huic ponderi libras aliquot supperaddas, mulus noto, consuetoque oneri jam assuefactus calcitrabit, tergi versabitur, humi se sternet cum onere.

De herbæ Paraquaricæ natura, apparatu, ac pretio dixi, quæ in mentem venerant, præcipua; jam de ejus usu, ae virtutibus aliquid memorandum. Vasculum, quo sumitur, ex cornu bubulo, vel ex cucurbita per medium fissa, stigmatibus insigni, quin apud nobiliores laminis argenteis undique vestita effictum *Matè* vulgus appellat, quo nomine ipsam herbæ potionem significant plerique. Huic vasculo herba, quantum cochlear in mensa usitatum capit, injicitur; saccharo, aquaque frigida permiscetur aliquamdiu, & demum aqua ebulliente perfunditur. Non pauci succum mali citrei, vel limonii adspergunt ad bilem expellendam. Sic præparata herba lacteum quid in superficie spumans ab Hispanis mox sorbetur

per

per fiſtulam argenteam, quæ globulum tenuiſſime omni ex parte perforatum ſibi annexum habet, ne cum aqua herba ſimul ſtomacho noxia gutturi irrepat. Alii hunc in finem tubulo ligneo, vel arundine tenui utuntur. Indi, queis nullus ejusmodi fiſtularum uſus, herbam ſæpe multam inviti glutiunt, ex qua concretos globulos virides illorum in viſceribus ab obitu repertos fuiſſe, ſunt, qui affirmant, perinde, ut in alcium, Huanacorum, rupicaprarum &c. ſtomachis lapis Bezar (Bezoar perperam dicunt germani (aliique id genus lapilli, globulive interdum deprehenduntur, medicis uſibus ſerviturі. Illud exploratiſſimum: Aquam tepidam, cui herba diutius jam immerſa fuerat, citra valetudinis noxam bibi haud poſſe. Ejusmodi aqua nigreſcit, & ſolum ad augendum atramenti nigrorem atramentariis injicitur. Hinc & herba, quæ per viam pluſculum madefacta hominum potui omnino inutilis ad pannos, telasque nigro colore tingendas paſſim adhibetur, quibus ob gummoſam materiam & facile, & diu inhæret.

Si qui tamen rite moderateque hoc herbæ potu utantur, eum ſibi ſaluberrimum, multisque nominibus fructuoſum experiri ſolent. Hoc enim alvum, veſicam, ſuavemque ſudorem cieri, cibi appetentiam præſtari, vires ſolis ardore lanquidas promptiſſime reſtaurari, famem cibo deficiente minui ac ſitim, maxime ſi cum aqua frigida ſine ſaccharo herba ſorbeatur extinqui, conſtat. Indis certe remigando totum diem feſſis, ſiti, ſudoreque fractis robur incredibile accedit, quoties herbam aqua ex flumine hauſta mixtam liberaliter hauſerunt. Siquis valetudinis cauſa ſudare velit egregie, pharmacopoeo opus non eſt, aquam cum herba ferventiſſimam bibat, & decumbat. Si vero ſtomachus vomitu pur-

gandus videatur, eandem herbam cum aqua tepida potet. Satis eſt. Has herbæ virtutes mea tot annorum experientia compertas habeo, ac omnium ſententia comprobatas novi. Nobis ſane omnibus familiare fuit jentaculi inſtar quotidie hunc herbæ potum ſumere, & à meridie iterare quovis Chocolatæ, Caffeé, vel Thee Aſiaticæ uſu neglecto, etſi ſuppeterent aliquando. Mihi certe Paraquarica illa potio tantum ſapuit, profuitque ſemper, ut pyxidem herba Theé ſinenſi plenam per annos complures ne manu quidem contingendam putaverim. Quid ſi herbæ noſtræ beneficio plerique noſtrum valetudine ſemper integerrima uſi, ætatem ſuam ad extremam, vegetam tamen, ſenectutem extendêre? Verum ut probabilis hæc conjectura, ſic indubitatum, immoderato, & horis prope ſingulis repetito (uti ſolenne plurimis) hoc potu labefactari ſtomachum, ructus continuos, morbosque alios adſciſci. Menſæ mecum accubuit Hiſpanus ſenex, qui energumeni inſtar horrendos extremo à barathro edebat ructus idendidem; Hic: En Pater mi! ajt, iſti ſunt herbæ noſtræ fructus: Ructo, quoties ſpiro. Enimvero iſti fructus ſunt herbæ, quando hæc perinde ut aura hauritur momentis prope ſingulis. Novi profecto multos é vulgo Hiſpanos, qui vix decem pronunciare verba, vix pedem, manumve movere norunt aliquoties, quin cucurbitam ſuam cum herba parata iterum, iterumque ori admoveant ſuo. Si potatores in Europa non pauci vino, & quovis alio temeti genere ad incitas rediguntur, haud pauciores in America herbæ Paraquaricæ potatione aſſidua facultates abliguriunt ſuas. Quanto enim longius abeſt Paraquayenſibus a ſylvis locus, tanto magis herbæ pretium accreſcit.

Plura

Plura hominum millia herbæ in ſylvis remotiſſimis fabricandæ operam navant ſemper, nulla anni parte excepta. Plura boum millia ab his operis quot annis abſumuntur. Ecquis mulorum numeret multitudinem, qui transportandis herbæ ſarcinis non occupantur modo, ſed etiam conficiuntur viarum aſperitatibus, itinerisque diuturnitate? Hinc, qui operas ad herbam conquirendam ſuis ſumptibus conducunt, qui boves, mulos, inſtrumenta è ferro diverſiſſima ſuppeditant, rariſſime diteſcunt. Qui conducuntur ad hanc fabricam, è ſuis nunquam miſeriis emergunt. Ad mercatores ſolum, qui Peruvienſi, Chilenſique provinciis herbam inferunt, quæſtus ampliſſimus derivatur. Et vero ſi qui opulentiores exiſtant in universa Paraquaria, illi opes ſuas non ex boum, ovium, equorum, bubularum pellium, goſſypii, ſacchari, vel tabacæ mercatu, ſed ex herbæ, mulorumque, quos in Peruvium, Chilenſeque regnum transferunt, Commercio collegere. Reliquorum Paraquariæ fructuum nundinatio infiniti laboris, modicique lucri eſſe ſolet, vel admodum incerti. Audivi ſæpe Paraquayenſes homines de arborum herbiferarum paucitate conquerentes; ſed, fateor ridicula mihi ſemper viſa ſunt ejusmodi lamenta, cum ipſimet tantæ paucitatis authores. Nam dum recepto more ſolos ex arboribus ramos reſecare oportebat, ipſos arborum ſtipites compendii, lucrique promptioris gratia ſecuribus ſternunt, illorum ſcilicet more, qui ovem tonſuri deglubunt, ſolaque lana haud contenti ipſam detrahunt pellem. Id cum factitent permulti, tot arbores vita, tot arboribus ſylvæ quot annis orbantur. Indi hac in re providentiores olitorum more ramos luxuriantes, ſuperfluasque duntaxat frondes putationis inſtar reſcindunt, arbore incolumi, ac plures in annos ſervitura. Cum genuinæ arbores Caà non ubique

in promptu, conſpectuque ſint, novum artificium, maleficium dicam rectius, excogitatum eſt à quibusdam hominibus ut lucri avidis, ſic laborem pertæſis. Ne genuinas arbores operoſe conquirere cogerentur, ſylvas percurſando, ex heterogeneis, aliquantulum tamen ſimilibus arboribus, quæ paſſim ſe offerunt, folia ſcindunt, torrent, & cum Germana herba ad odorem conciliandum permixta emptoribus porrigunt exemplo illorum verſipellium, qui vitrum perpolitum pro adamante, farinam pro ſaccharo, cuprum deauratum pro auro, vel explicatius, venenum pro medicina obtrudunt. Adulterinæ enim herbæ: Caà quazù. Caà Verà. Aperea Caà. Caarã & alia fraudis inſtrumenta, capitis, viſcerumque acerbiſſimos dolores, violentiſſimos vomitus, & neſcio, quæ alia has bibentibus adferre ſolent. Ejusmodi Veteratores nocentiſſimi, ſi fraus pateat, meritis á magiſtratu Regio pœnis mulctantur. Me iſtic agente multa herbæ noxiæ librarum millia ad rogum publico in foro damnata.

Nos, ut tempori, ſumptibus, Indorum ſudori parceretur, in Quaranicorum oppidorum conſpectu, arbores Caà conſevimus, è quibus pauciſſimi temporis intervallo ſylvæ ingentes exortæ. Quam quidem induſtriam noſtrorum hominum Coloni Hiſpani ſi imitari vellent, næ! rebus ſuis, fortunisque maximopere conſultum irent. Sed modus id præſtandi plerisque omnibus peregrinus, quin etiam perarduus. Sylvas ejusmodi plantandi labor arte indiget, ac patientia, & multarum manuum negotium eſt equidem. Semen Caà, cujus formam paulo ante deſcripſi, cum inſigniter viſcoſum, glutinoſumque ſit, aquis ter, quaterue mutatis abluendum eſt ſolerter, dum denique gluten illud nativum, quod Saponis inſtar ſpumam

mam in aqua relinquit, penitiſſime abſtergatur. Quod ſi id unum neglexeris, operam, expectationemque eludes tuam. Glebam, cui ſemen præparatum inſeritur, non rigare ſolum obiter, ſed & aquis liberaliſſime perfundere identidem oportebit, ut prope lutoſa evadat. His cautiſſime præmiſſis fortunæ tribuas, ſi vel quarto menſe germinis aliquid ex ſemine alte defoſſo prodiderit ſeſe. Plantæ jamjam adoleſcentes, braſſicarum inſtar, transferendæ ad locum ſylvæ deſtinatum; collocandæque magno utrinque, ac æquali intervallo, ne, poſtquam adoleverint, altera alteri ſit impedimento, detrimentove. Decoris addes plurimum, ſi ſylvam multiplici ſerie, pulchroque ordine arborum, ceu hortum, definiveris. Scrobs cubitos binos altus, totidem latus, qui aquam pluviam recipiat, retineatque, fodiendus; In ſcrobium ſingulorum medio ſingulæ plantæ inſiguntur. Adhucdum teneræ arbuſculæ ſtramineo in faſtigium deſinente tentoriolo adverſus pruinam, furenteſque Auſtros muniendæ ſunt ſingulæ. Hoc ſine præſidio vel frigore, vel ſæviori turbine interibunt omnes. Hinc per omnes Boni aeris, Tucumaniæque fines, quod aura frigidiuſcula, arborem herbiferam deprehendes nusquam. In extremis ad Septentriones limitibus Paraquariæ, ubi cœli æſtus acrior, pertinaciorque, hujus plantæ ſeminaria ſpectantur. Illud quoque extra dubium: Arbores Caà humanis artibus, manibusque ſatas ac educatas nunquam in tantam aſſurgere proceritatem, quam illis ſponte ſua per ſylvas naſcentibus natura tribuere conſuevit. Plantatæ tamen à nobis, cultæque exacto triennio, quadrienniove largam foliorum, quæ pro fructu ſunt, meſſem indulgebunt, ut adeo labori, quo ſylvæ artificioſæ conſeruntur, utilitates non pœnitendæ ſoleant reſpondere. Majori & tem-

poris compendio, & citra omnem difficultatem ſylvæ ab avibus variis plantantur. Iſtæ ſemina arborum herbiferarum avidiſſime vorant, ſed cum ob gluten illis innatum ſtomachus concoquere nequeat, dum alvum dejiciunt, illa ſemina prope integra egeruntur, & ſolo humido illapſa novarum quotidie arborum, & paulatim ſylvarum ſunt origo.

Rogatus ſum a permultis, cur Paraquarica herba, quam ipſi Europæi in America auſtrali tantopere probant, ad Europæas provincias, mercium aliarum inſtar, nunquam deportetur? Multis nominibus illud negligi, reſpondi. Imprimis vix plus ejusmodi herbæ conficitur, quam Americanis ſufficiat. Hiſpani Paraquarienſes, ſi nationum aliarum exemplo tam ſitienter commerciis, lucrisque inhiarent, non herbam modo, ſed multa alia Europæ profutura transmittere poſſent. Rara eſt, bello præſertim fervente, navium copia, ſecuritas nulla. Ad hæc herba ſi aliquot annis conſenuerit, expirat, & nativa amænitate amiſſa corium olet ex Moſcovia allatum ad ſolearum uſus; A Paraquariis ad tingendas, ut dixeram, atro colore telas damnatur. Europæi cum hanc herbam ne primoribus quidem labris guſtarint unquam, illam nec cupiunt, nec ex America petunt, petituri certe, virtutes ejus ſi noſſent. Audi, quod in Paraquaria nobis relatum ſæpe. Philippo quinto imperante Anglis permiſſum, binas naves ſclavis Africanis onuſtas quot annis ad portum Boni aeris conducere, & hujus commercii gratia eadem in urbe domicilium habere. Opportunitate in rem ſuam uſi, quidquid exterarum mercium eſt, Hiſpanis plaudentibus advexerunt; Exotica animalia, alia, quæcunque Paraquariæ ſolum procreat, in Angliam miſere ſuam. Herba Paraquarica

vix

vix deliba'a apud omnes hominum ordines, nullo ſexus diſcrimine, palmam, plauſumque tulit. Londini negotiatores, dum herbam Thee, quæ ex Aſia adfertur, jam contemptui paſſim eſſe, commerciumque, quod ſibi ſemper alias quæſtuoſiſſimum fuerat, magis magisque indies elangueſcere viderunt, nullum non moverunt lapidem, allata ex Paraquaria herba quam primum ex univerſis Britonum finibus ut proſcriberetur. Magna iis, qui id præſtarent, oblata præmia. Haud defuit venalis medicaſter, qui elato ſupercicilio, ſtentoria voce: herbam Paraquaricam mulierum & fœcunditati, & pulchritudini omnino exitiabilem videri, cane pejus, & angue fugiendam eſſe, palam pronunciavit. Hæc auro empta ſententia tanti apud Anglos erat ponderis, ut mox innocens hæc herba ad æternam oblivionem, ad commune odium, exiliumque damnaretur Londini. Hiſtoriisne, an fabulis adnumerandum id omne ſit, ignoro. Illud certum, ab Hiſpanis me id accepiſſe, mihique veriſimillimum videri, perpenſa Anglorum, quam de forma, fertilitateque ſuarum habent, religioſa ſolicitudine. Cæterum pro innocentia Paraquaricæ herbæ ſtabunt milliones hominum, qui auſtrali in America huic potioni liberaliter indulgent quotidie, neque tamen ſeu pulchritudinis, ſi quam liberalior natura conceſſit, ſeu fœcunditatis detrimentum experiuntur, impedimentumve.

Totus excandeſco, quoties apud Hiſtoricos, Lexicographos, ephemeridum publicarum ſcriptores lego: Herbæ Paraquaricæ monopolium Jeſuitas habuiſſe. Putidiſſimum enim hoc, & univerſa Paraquaria teſte impudentiſſimum eſt mendacium. Omnibus promiſcue ut bibere, ſic conficere, vendereque licuit ſemper memoratam toties herbam. Hiſpani

ni quicunque nullo non anni tempore multa centenariorum millia herbæ iſtius ad urbes Corrientes, ſanctæ Fidei, Boni aeris, vaſtis navibus devehunt, indeque ad Tucumanorum, Peruvianorum, Chilenſium loca partim plauſtris, partim mulis transferenda curant, Jeſuitarum nemine ſeu interrogato, ſeu repugnante ſeu repugnandi jus aliquod ſibi arrogare auſo. Indi Quaranii, quorum curam geſſimus, 32 oppidorum incolæ herbam Caà mi'ri duntaxat conficiunt, venduntque nobiliorum uſibus ſerviturain. Hujus fabrica multo laborioſior cum ſit, ab Hiſpanis omnino negligitur, herba illa ignobiliori Caà depalos ſemper occupatis. Herbæ, quam Hiſpani quotannis vendunt, copia tantum excedit herbam a Quaraniis vendi ſolitam, quantum integra hominis manus digitum auricularem. Quaraniorum equidem oppidis ſingulis definitum herbæ, quem anno quovis vendere liceat, numerum regiæ præſcripſerunt leges; Hiſpanis nulli hoc in commercio limites poſiti. In plerisque Paraquariæ locis nullus omnino eſt monetæ uſus; Herba uſitatiſſimum monetæ ſupplementum fuit ſemper. Ex hujus mercatu Quaranicis in oppidis annuum pro ſingulis capitibus tributum Regi pendimus, templorum, quæ ornatiſſima ſemper, ſupellectilem, inſtrumenta ferrea aliaque Indis neceſſaria procuravimus. Illorum, per duo & triginta oppida, centum facile millia numerabantur. Ut vel extremæ ſingulorum neceſſitati fiat ſatis, quantis ſumptibus, quantis Patrum, qui ea oppida procuraverant, ſolicitudinibus opus fuerit, conjice, præſertim cum ferrum, & quidquid mercium ex Európa adfertur, in Paraquaria exaggerato admodum pretio veneat. Neque Collegiorum procuratores, qui prædiorum ſuorum pecora, aliasque fruges pro herba, iſtam pro coemendis utenſilibus

pecu-

pecuniæ loco præbent, ufitata isthic rerum permutatione, negotiatoribus herbæ citra calumniam possunt accenseri. Collegiorum enim conditores recepto jam more non pagos vectigales, non pecuniæ summam in fœnore positam, quod in Europa solet, sed campos, variique generis pecora alendis incolis, ædibus, templisque conservandis assignant. Campi, prædiique fructus pecuniæ loco sunt, quibus necessaria quæque comparanda; id quod sine rerum permutatione præstari neutiquam potest. Hanc permutationem rerum, ni inedia perire mallemus, utique necessariam vel ignorantes, vel malevoli negotiationem appellarunt. Quanti, quamque ridiculi clamores tot libellis mendacibus excitati sunt contra Jesuitas lusitanos, quod saccharum e Brasilia sibi allatum vendiderint, cum tamen aliud præterea vitæ subsidium a collegii sui conditore non accepissent. Sic ignorantia interdum, interdum præceps calumniandi libido factis rectissimis colorem sceleris illinere, innocentes reos facere consvevit.

De herba Paraquarica postquam satis superque disseruimus, de Tabacæ planta, quæ paraquayensi in solo lætissime provenit, dicendum aliquid. Hæc jam in campis, jam in sylvis seritur, ac utrobique pari fertilitate adolescit. Sunt, qui tabaccam in sylva natam præstantiorem putant. Illius folia in aere tantisper siccata, ac in fasciculos vimine adstricta manduntur ab aliis, ab aliis, ut fumum ore accipiant, accenduntur, a paucissimis in pulvisculos redacta naribus attrahuntur. Hunc enim in finem tabaca solum Hispali confecta nobilioribus est usui, quamvis libra quatuor minimum scutis hispanicis (quae octo florenis germanicis æquivalent) sæpe pluribus vendatur in Paraquaria. Certum equidem, Paraquayensem

yenſem tabaccam illa odoris ſuavitate haud pollere, quam tabaca e Virginia vel ex inſula Cuba allata effundere ſolet. Prima folia, quæ in Paraquaria maturefcunt, prægrandia ſunt, ac longitudine ulnam ſæpe excedunt, quæ progreſſu temporis colliguntur, magis, magisque decreſcunt. Tabacæ fumum ſine ullo tubulo, vel vaſculo haurire ſolent plerique in Paraquaria. Modum accipe. Folium tabacæ, nulla ex parte perforatum, forficula quadratur digiti majoris longitudine, latitudineque. Huius in medio collocatur foliolum aliud digitis compreſſum, & exteriori illi, majorique folio involvitur, convolviturque utriusque manus ope. Huius extremitatem alteram accende, alteram ori inſere, fumumque inde expirantem accipe. Ipſum tabacæ folium hac ratione convolutum pro tubulo eſt, ex quo alii fumum recipiunt, qui tabacæ fuligine picea infectus ſtygiam exhalat mephitim, ni laborioſe expurgetur identidem. Munditia, compendioque majori fumum tabacæ ſorbent Hiſpani, qui plura ejusmodi tabacæ foliorum involucra (Zigarros vocant) thecæ incluſa circumferunt, & pro arbitrio ſingula accendunt, militum more, qui portiones pulveris pyrii ſingulis ſclopeti ictibus ſuffecturas, theca clauſas in promptu habent. Vetulæ Hiſpanæ in urbibus hos, ut appellant, Zigarros concinnant, venalesque offerunt. Vulgus tabaccam minutatim conciſam papyro, vel ſicco folio turcici frumenti involvit, inflammatque; Verum iſtiusmodi fumum humano officere capiti extra controverſiam eſt. Illud ſingulare, non nautas ſolum, milites, cæterumque vulgus, uti in Germania moris eſt, ſed & ſuperioris ordinis Hiſpanos fumantibus tabacæ foliis uti perfrequenter, atque adeo oblectari. Memini centurionis Hiſpani mei per plurium hebdomadum iter comitis. Hic tabaca deficiente fumum

her-

herbæ Paraquaricæ tubulo haufit fæpiffime. Quorfum, aut qua utilitate iftud ageret? a me rogatus; Affvetudini ut faciam fatis meæ. Haud equidem vivere me puto, ni fumum, quisquis demum fit, meos videam ante nares, refpondit. Novi & Gubernatorem regium, qui fiftulam argenteam cum tabacæ foliis circumferebat, eaque utebatur identidem, etiam aliena in domo vel nobiliores inter verfatus. Tabacae fumo ingenium fibi incredibiliter exacui, feque per hunc negotiis graviffimis aptari, dictitabat.

In finitima Paraquayis Brafilia tabacae folia in funes contorquent Lufitani, eaque fingularibus induftriis parata vel in pulveres rediguntur, vel manduntur, vel eorum fumus ore hauritur. Fidem fuperat, quantis laudibus Brafilienfis hac tabacca a medicis extollatur, quam avide ab Europaeis expetatur. Incredibilem ejus copiam vel foli Hifpani confumunt quotannis ad falivam ciendam. Hoc folo tabacæ mercatu milliones ex Hifpania ad Lufitanos, mercis tam expetitæ unicos venditores avolarunt. Annua tanti argenti ad exteros migratio ut cohiberetur, a Carolo tertio rege catholico fub annum 1765 imperatum paraquayis Hifpanis, Indisque, fuam ut tabaccam brafilienfi haud inferiorem Lufitanorum ritu concinnarent dein, regiis Præfectis ftatuto pretio vendendam, quæftu omni ad ærarium regium confluente. Morem geffere omnes regis præcepto, quamvis inviti, cum nova hæc tabacæ fabrica multi laboris, lucri prope nullius pro laborantibus effet. Miffi a Gubernatore Affumptionis quaquaverfus Lufitani, qui ignotæ artis magiftros agerent. Audi totum artificium. Nam & in oppido S. Joachimi, cui præfueram, pro noftra adverfus Regem obfervantia brafilienfi huic fcholæ aures, oculos, ma-

manusque accomodavimus. Trecentæ moleſtiæ mihi erant devorandæ, Indos ut meos accurationi exquiſitæ aſſvefacerem, qua languente oleum, & opera perditur hac in fabrica. Breviter, quidquid obſervandum venit, dicam. Tabacæ folia matura putantur, dum illorum extremitas flaveſcit, marceſcitque. Decerpuntur horis antemeridianis, quia tunc humidiora. Ex arundinibus mox ſuſpenſa, ut tantisper exſiccentur, ſub umbra tecti conquieſcant horas aliquot. Caulis, qui per medium folii excurrit, vel ſtipite contunditur, vel, quod multo tutius, omnino evellitur. Folia ſic præparata rotæ, quæ circumagitur, auxilio, ut cannabis a reſtione ſolet, in funes contorquentur, ac ſupra lignum cylindricum circumvolvuntur. Hic cylindrus ſua cum tabaca ſub umbra tecti collocatur ita, ut ſolis calorem ſentiat, haud tamen a radiis ſolis contingatur. Tabaca ſic in ſpiras ſupra cylindrum compreſſa ſuccum nigrum glutinoſum ſudat, qui in pelvim ſubjectam ſtillando defluit; Hic ſuccus ut quotidie manat, ſic quotidie ſupra illas tabacæ ſpiras effundendus; ut vero tota maſſa hoc liquore penetretur, maceretürque, tabacæ ſpiras quotidie revolvere, & ex uno in alium cylindrum transferre oportebit. Hac ratione enim pars tabacæ infima, quæ primo cylindro inhæſit, ad alterum translata ſuperficiem occupat, æquabiliter ſuccum imbibit, nigreſcit, pingueſcitque laridi inſtar. Ad hoc impetrandum hæc tabacæ ex cylindro altero ad alterum translatio, aſperſioque in plures hebdomades proſequenda erit diligenter Odoris ſvavitas tabacam numeris omnibus abſolutam prodet. Ne exareſcat, in loco humido erit conſervanda, removendaque omnia, quæ heterogeneum odorem poſſent afflare. Tabaccam hoc modo paratam Luſitani in fruſtilla concidunt; haec in olla recenti prunis impoſita torrent,

ac

ac ligno tereti circumacta in pulveres minutiſſimos redigunt, per omnem Luſitaniam narium mox delicias futuros. Fateor, hos pulveres, prunarum ope factos, quia ſemper ignem redolent, exterorum naribus diſſipere. Praeferenda utiqne Bohemorum methodus, qui tabaccam Braſilienſem lamina foraminibus tenuiſſimis exaſperata perfricare conſveverunt. De tabaca, ejusque uſu vario apud Americanos mentio alias recurret.

Quamvis igitur herbae, tabacae, goſſipii, ſaccharique commercium, ac frugum diverſarum ubertas colonis paraquayenſibus multiplicem offerat ditescendi occaſionem, divites tamen iſthic invenias tam paucos, manus unius digitis enumerari ut poſſent. Multa illis divitiarum inſtrumenta, aſt impedimenta multo plura. Jam ab ipſis provinciae hujus incunabulis cruentae ſeditiones, bella civilia, lites, ſimultatesque pernicioſae cum regiis gubernatoribus, & Episcopis nonnullis, aliae ex aliis ad noſtram uſque aetatem diſcordiae Hiſpanorum opes magnopere acciderunt. Quantus hic pateret lamentandi campus, ſi tragœdias, quae urbem Aſſumptionis vel hoc, quod agimus, ſeculo funeſtarunt, memorare animus mihi foret. Barbarae adhaec nationes: Quaycurùs, Lenguas, Mocobii, Tobae, Abipones. Mbayae, equites omnes, annis ſuperioribus hanc provinciam caedibus, latrociniisque mlſerandum in modum attenuaverant, quin miſeris incolis aut reſpirandi locus, aut reſiſtendi modus ſupereſſet. Defuerunt ſaepe duces militibus, plerumque milites ducibus. Non raro animi & vigilantia utrobique deſiderabatur, praecipuum illud contra barbaros praeſidium, qui minime expectati irruere, ac ſubitis incurſionibus ſui ſecuros Hiſpanos vincere conſveverunt

runt, celeritate, quam armis formidabiliores. Ad eludendas porro iſtorum inſidias per Paraquayi fluminis litora munitiunculae e ſudibus paſſim ſtructae, inſtructaeque una machina bellica, qua exploſa, ſi qui barbari in conſpectum ſe dederint, tempeſtive admonentur vicini, ut vel fugam, vel, ſi res ferat, arma capiant. Tormenti bellici tonitru per munitiunculas non multo intervallo a ſe diſtantes repetito hoſtium eminus viſorum adventus celerrime ipſi metropoli ſignificatur, quod ſane ad prævertendas ſtrages multum conferre experti ſumus. Legionario milite hæc cum careat provincia, ipſi coloni jam in illis munitiunculis excubare aliquamdiu, jam, quoties Gubernatori viſum, adverſus barbaros excurrere jubentur. His militiæ oneribus menſes aliquot preſſi quotannis per crebram, longamque abſentiam rem familiarem, familiam, agri cultum, commerciumque negligere coguntur. En præcipuam paupertatis ſeu originem, ſeu occaſionem! Pauperiores enim ad belli moleſtias, militaresque functiones ſoli damnantur, ditioribus, nobilioribusque ad augendas opes domi relictis. Jam id vetus mos paſſim obtinuit. Præter equites barbaros barbariſſimos quoque Payaquas calamitatum hujus provinciæ authores fuiſſe, quis neſcit? Hi piratæ atrociſſimi per Paraquayum, & Paranam fluvios lintribus, qui quadraginta viros capiunt, volitantes annis plurimis Hiſpanorum naves, nautis trucidatis, interceperant, queis merces vel ad portum Boni aeris delatæ, vel inde allatæ fuerunt. Navigatione quotidianis prope latrociniis interrupta negotiatio quoque, opum origo, interdicitur, dum denique Raphael de la Moneda regius gubernator piratarum audaciam compreſſit, repetitisque feliciter per flumen excurſionibus eos ad flagitandam pacem adegit, quæ indulta hac potiſſimum conditione,

one, ut in Paraquayi litore, in ipſo Aſſumptionis urbis conſpectu quieti agerent. Multis abhinc annis pactorum tenaces citra noxam aſſignato in loco verſantur, quamvis ſemper noſtris a ſacris tam alieni, ut ad illa complectenda nec epiſcoporum, nec gubernatorum, nec ſacerdotum ſuaſu perduci ſe unquam patiantur. Superſtitionum, quibus a pueritia inſveverant, pertinax ſtudium, improba chriſtianorum, quæ illorum oculis obverſantur quotidie, exempla, miſera indorum, qui Hiſpanis famulantur, ſervitus legem chriſti illis inviſam reddunt, ac formidabilem. Illos, ceu victimas orco devotas, ſine commiſerationis tenerrimæ ſenſu ſpectare haud potui, quamvis & per urbem vagantes, & suo in contubernio conſidentes ſæpiſſime viderim. Proceri ſunt omnes, & ſi qui alii per Americam, lacertoſi. Horrificam, quam natura dedit, formam adſcitis ornamentis augent. Terebrato inferiori labio tubum prælongum jam ligneum, jam ſplendenti ex ære conflatum, qui pectus attingat, infigunt. Auriculæ uni alam prægrandis vulturis alligant. Capilli purpureo ſucco, ceu ſanquine bubulo, liberaliter tincti ſplendeſcunt. Et collo, & brachiis, & ſuris globulorum vitreorum ingentes faſces bajulant. Corpus univerſum a capite ad calcem maxima colorum varietate pingunt, opus teſſelatum ut videatur. Hinc piſcium, quos Hiſpanis vendunt, pretium illis fere deſideratiſſimum eſſe ſpeculum ſolet, quo ſcilicet ad averſas corporis partes pingendas uti conſueverunt. Fœminæ cujuscunque ætatis veſtibus e lana a ſe ſcitiſſime contextis decenter teguntur. Mares ſplendide veſtiti ſibi videntur, ſi eleganter picti. Ut contubernia ſúa, ſic & urbem & Hiſpanorum ædes nudiſſimi obambulaverant quondam. Qua nuditate chriſtianam laceſſi verecundiam ratus gubernator, Payaquarum maſtix, Raphael de la

Moneda indusiorum ex rudi Gossypio multitudinem consuendam curat, barbaris adultis mox distribuendam addita hac lege: si quis illorum nudus urbem porro ingrediatur, ad infamem, quæ in foro est, columnam vapulet quinquaginta ictibus. Quanti apud eos ponderis fuerit hæc comminatio, ex uno collige eventu. Illorum quispiam venales pisces ad domum matronæ Hispanæ attulerat, pretiique loco fructus quosdam (Mani vel mandubi vocant, amygdalorum saporem referunt) accepit. Illos, cum saccus, ubi reconderentur, deesset, extremitate indusii pubetenus elevati complexus est. Abiens cum ad cubiculi portam consisteret, secum cogitare cæpit: Talem incedendi modum verecundiæ contrarium a gubernatore, si viderit, plectendum fustuario publico. Territus hac cogitatione ad matronam redit ceu facti pœnitens, vocem *Moneda* minaci digito sibi ingeminat, demissa indusii parte anteriori fructus effundit humi, moxque in alteram, quæ a dorso est, indusii partem injectos lætus asportat; hac ratione decenter se, impuneque foro urbis inambulaturum, arbitratus. Intimis hausere fibris gubernatoris strenui metum, cui, licet dudum ad Boni aeris civitatem discesserit, tribuendum hodie, quod urbs Assumptionis Payaquas & pacatos, & in foro verecundos videat etiamnum. Lingua utuntur propria, quamvis ob quotidianam cum Hispanis consuetudinem & Hispanicum, & quaranicum quid balbutire didicerint plerique. Ritibus nuptialibus, funebribus, natalitiis, militaribus, ac ridiculis superstitionibus abundant. Hastis prælongis, arcu, sagittis, clavaque armantur; sed illorum calliditas præ armis timenda. Hispanis a primo eorum in Paraquariam adventu quantum semper facessiverint negotii, annales loquuntur. Singuli singulis familiis sunt lintres, angusti quidem,

sed

ſed prælongi. Uno remo qui mucronis inſtar in cuſpidem deſinit, aguntur, & vel leviſſimo impulſu, quoquo lubet, adverſo perinde ac ſecundo flumine volitant. Velocitas ſtructuræ debetur. Illorum carina vix tribus palmis in medio aquam contingit; carina reliqua proram, puppimque verſus arcus inſtar curvatur, & ex aquis eminet. Utraque lintris extremitas æqualiter acuta eſt, & unaquaque, ut viſum fuerit, jam proram, jam puppim agit. Vel procelloſiſſimo flumini ſerena fronte ſe, familiamque credunt suam. Si quando, quod rariſſimum, validiori fluctu invertatur linter, illi inverſo inſidens Payaqua, ut eques equo, cæptum proſequitur iter. Quoties é litore proſpiciens Payaquam Spumantes inter fluctus rabido cum flumine luctantem ſimul, ſimul ridentem demirabar, quem vorticibus jam hauriendum jamque timueram. Verum piratica hæc natio aquam elementum putat ſuum, & extra illud duntaxat pericula ſibi metuit. Montes volvantur aquarum, tota virium contentione ſæviat Æolus, vltimæ puppis extremitati inſiſtens Payaqua, ut ſemper alias, impavidus remo undas dividit, repellitque, ac lintrem majori ſui parte ex aquis proſtantem, erectumque celerrime propellit. Piſcem aquis ſubmerſum periiſſe, nunquam audieris; neque Payaquarum aliquem. Hi enim natandi ſcientia piſcibus pares. In imos fluminis gurgites præcipitant ſe ſe, illis diutiſſime immorantur, & poſt multum temporis ſpatium, locoque remotiſſimo in litus prodeunt, piſce, quem ſub aquis deprehenderant, onuſti. Quotidiana hæc ad Paraquayi fluminis ripas, Europæorumque oculis digna ſpectacula. Ut in lintrium uſu, ſic fabrica admirationem, quin & commiſerationem merentur. Ignis, & ſaxeæ ſecures unica illis inſtrumenta, quibus vaſtiſſimas arbores, Servata æquilibritatis lege, ſcitiſſime

me cavare norunt. Duplex illis lintrium genus. Minores piſcationi, quotidianisque profectionibus deſtinantur. Majores belli uſibus. Hi quadraginta admodum bellatores capiunt: Si in Hiſpanos expeditio ſuſcipienda, plures ejusmodi in claſſem coaleſcunt eo periculoſiores, quod tantilla aquarum altitudine contenti intra amnium minorum vel inſularum latebras abdere ſe queant, dum opportunitas ſe offerat denique naves mercibus onuſtas diripiendi, vel exſcenſione facta Hiſpanorum colonias invadendi, dum tuta videbantur omnia. Hi barbari, conſiderata eorum ſuperficie, licet belluarum magis, quam hominum ſimulacra putentur ab Europæis, ingenio tamen in parandis inſidiis valent callidiſſimo, ut Hanibalis in ſchola omnes fallendi, nocendique artes condidiciſſe videri poſſent. Plures certe ſtrages aſtu, quam virtute ediderunt. Ab urbe Aſſumptionis auſtrum verſus ad quadringentas leucas lintribus ſuis in obvias Hiſpanorum naves, coloniasque graſſabantur annis permultis. Aſſumptionis, ſeptem currentium, ſanctæ fidei urbes, boni aeris viciniam, guaranica, Hiſpanicaque oppida teſtes appello. Cadaverum acervi, abacti puerorum, puellarumque greges, in cineres redactæ domus, merces, & quidquid pretioſæ ſupellectilis, abreptum, ſacræ ædiculæ vaſtatæ monumenta ſunt barbaræ Piratarum ferociæ, fallaciæque documenta, quæ, ſub meum in Paraquariam adventum, in recenti hominum memoria verſabantur. Præcipuis ſane felicitatibus adnumerandum, quod regius ille, quem ſæpius laudavi, gubernator hanc piraticæ fecis licentiam refrenarit. Noveris tamen, ſupereſſe etiamnum numeroſas Payaquarum tribus, nullo, ſeu pacis ſeu amicitiæ vinculo Hiſpanis adſtrictas, neque tamen illis metuendas, quod ab urbe Aſſumptionis remotæ in Borealibus Paraquayi fluminis,

nis, amniumque cum illo coeuntium litoribus versentur, quæ Hiſpani rariſſime adeunt. Luſitani tamen, qui in oppido cuyaba conſident, ab illis Payaquis piraticam adhucdum exercentibus capiuntur interdum, interdum cæduntur. Sed, ut agilis, ſagax, ac ſclopetorum uſu formidabilior eſt luſitana natio, vix impune iſta ferunt barbari. Par pari quamprimum refertur. Non nulla, quæ ad Payaquarum mores pertinent, ſuis inſperſa locis per hiſtoriæ decurſum invenies.

Boni aeris, fluminis argentei, Tucumaniæ, Aſſumptionisque præfecturis regiis adnumeranda venit regio, cui Chaco nomen, ex vocabulo *Chacù* detortum, quod lingua Cuſcana, ſeu Peruana cumulum ferarum ſignificat, quæ venatu captæ, unoque collectæ in loco jacent. Cum iſta, de qua dicere inſtituo, provincia nationum multarum portus, atque perfugium ſit, non abs re nomen Chaco illi veteres indiderunt. Ad trecentas leucas longitudinis, ad centum latitudinis protenditur. Pauciores numerant alii, qui ſuo pro arbitratu arctiores illi limites definiunt, ac ſolum illam planitiem, quam *LOs llanos de Manſo* Hiſpani appellant, hoc nomine *Chaco* volunt comprehendi. Tucumania, regio de las Charcas, ſanta Cruz de la Sierra, flumen argenteum & Parapuayus Chacum ambiunt, cinguntque à lateribus montes, qui ab urbe Cordubenſi ad argenti fodinas Peruvianas urbium lipes, & Potoſi, indeque ad ſanctam crucem de la ſierra, ac denique ad Lacum Mamoré, ubi deſinunt, continuata jugorum ſerie porriguntur. Omnis hæc, quá patet, tellus cœli temperie ſalubri, Gleba ubere, ac pinqui gaudet. Hinc in amœnos colliculos placide aſſurgit, inde in Valles fertiles deprimitur, quæ equis, omnique pe-

corum generi læta paſſim offerunt paſcua. Sylvis interjectis, arborumque eximiarum varietate ſuperbit undique. Quà Peruvio imminet, per ingentia terrarum ſpatia ſaxa, rupesque cœlo minantes oſtendit; Auſtrum verſus lapidibus, quin, etſi ad quatuordecim orgias terram foderis, lapillis, arenisque omnino deſtituitur. Et campi, & nemora, & fluvii, & lacus, atque adeo aer totus innumeras venandi opportunitates præbent; Nam ubique ferarum peregrinarum, piſcium, amphibiorum, avium incredibilis ut multitudo, ſic varietas oculis obverſatur. De ſingulis agemus ſubinde. Præter lacus, rivosque, qui certatim affluunt, nobilioribus ſolum rigatur fluviis, qui ruptis obicibus, aucto aquarum pondere, extra ripas effunduntur ſæpe, camposque declives longe, lateque ſubmergunt. Præcipui in Chaco nominis eſt, flumen grande, vel rubrum. El rio grande, vel Vermejo Hiſpanis. Iñaté Abiponibus. Naſcitur Peruvianis in alpibus, amnium plurimorum acceſſione grandeſcit, navium ſubinde minorum patiens. Præalto alveo, curſuque rapidiſſimo defluit, natantibus, quod Indi ſæpe fatebantur, periculoſum; urbes Quadalcazar, & conceptionis, a barbaris dudum vaſtatæ, alluit, indeque triginta circiter leucas progreſſum Paraquayo fluvio miſcetur, qui exiguo poſt intervallo in urbis correntinæ conſpectu Paranæ ſe ſe aſſociat, prope urbem Boni aeris fluminis argentei nomen habituro, *rio dela plata.* Argentum Peruvianum per flumen grande, & Paranam ad boni aeris portum magno viarum, ſumptuumque compendio quondam deportabatur, Regi, Hiſpanisque mercatoribus ſubinde oceano advehendum. Hæc navigatio multis abhinc annis partim barbarorum ripas hujus fluminis inſidentium metu, partim ſcopulorum latentium ſuſpicione penitus intermiſſa eſt. Aquas flumi-

fluminis grandis, ubique piſcoſiſſimi, omnino ſalutares prædicant hiſtorici, ſed iis maxime, qui urinæ difficultate, veſicæve morbis affecti, contra quos herba quadam ſucci lactei utuntur, quæ la yerba de orina, vel la meona audit, & in fluvii huius marginibus procreatur. Aquarum præſtantia, quam ab origine traxit ſua flumen grande, ab amnibus tetris, quos abſorbet per viam, depravatur denique, & ad Paraquayum, qui ſeu a colore, ſeu a ſapore commendari nusquam poteſt, magis corrumpendum confert non parum. Secundum ab hoc flumine locum obtinet Pilcomayus. E Peruvianis item montibus profluit. Intercapedo hunc inter & flumen grande triginta circiter leucarum cenſetur. Ferendis navibus nec ſemper, nec ubique eſt idoneus. Octoginta propemodum, antequam a Paraquayo hauriatur, leucis in bina ſe ſe brachia ſpargit, inſulamque totidem leucas protenſam efficit Primum horum brachiorum, quod in conſpectu Aſſumptionis Paraquayo ſe adjungit, fluvius ſapiens *Araquaaÿ* a quaraniis dicitur, forſitan, quia ſagacitate eximia opus eſt ad hoc feliciter pernavigandum. Annuis equidem alluvionibus tota mergitur inſula, ut adeo utroque fluminis cornu in unum alveum coaleſcente fortunæ, non arti tribuendum ſit, ſiquis navarchus obſtantia vada, aquarumque mæandros transmiſerit incolumis. Alterum brachium, quod Pilcomayi nomen retinet, novem circiter leucarum ab Aſſumptionis urbe intervallo auſtrum verſus Paraquayo miſcetur. Pilcomayus, quantus eſt, aquis ſpurciſſimis horret plerumque. P. Auguſtinus caſtañares noſter in Tucumania natus, multarum gentium apoſtolus, & anno 1744 quinta decima Septembris a Barbaris Mataquayis, dum iter Chriſti prædicandi gratia faceret, viæ ſociis, ducibusque perfide trucidatus, quaranica olim navi per Pilcomayum navi-

 vi-

vigationem ſuſcepit, fratre noſtro laico ſalvatore colon Gallo (Qui multis per Europam maritimis itineribus erat defunctus quondam) comitante; Hic, nonagenario major, & utroque oculo captus ex Paraquaria adportum Gaditanum mecum navigaverat, Pilcomayi ancipites, plenoſque periculi flexus, litorum ſæpe anguſtias, trecentasque alias difficultates familiari colloquio mihi expoſuit frequenter.

Fluvius ſalſus (Rio ſalado) in montibus ſaltenſibus ſua habet incunabula. Ut alveum, ſic nomen ſuum mutat identidem. Vocatur Rio Arias primum, mox Rio paſſage, dein Rio ſalado in vicinia caſtelli de Val buena. Urbem ſanctæ fidei transgreſſus rio coronda dicitur, & hoc demum ſub nomine in Paranæ vaſto Gurgite ſepulchrum invenit ſuum. Suis in primordiis longiſſimo terrarum tractu aquas vehit non dulces modo, ſed a ſalubritate etiam percelebres, quas tamen ſubinde lacus, amnesque irrepentes amaritie, ſalſugineque conſpurcant tanta, plurimarum leucarum ſpatio nec a beſtiis quidem delibari utpoſſint. Operæ pretium fuerit ſalſuginis originem adnotare. Campi finitimi multo ſcatent frutice, quem Hiſpani *la Vidriera* appellant; fors illius cineres in calcem redacti vitris faciendis adhibentur, ut apud Europæos cineres ex quercu, vel ex aliis lignis præparati, (Pottaſche) tum vitro, tum ſaponi parando ſerviunt. Abipones hunc fruticem achibiraik ſalem vocant, & im cineres crematum ſalis loco cibis adſpergunt, foliisque tabacæ, quam mandere conſueverunt. In ſancti Jacobi urbe idem frutex *fumes* dicitur, ejusque cineres ſaponi faciendo paſſim impenduntur. Non nullam cum junipero affinitatem præſefert vidriera. Trunco tenui inſiſtit; Baccæ exiles, cylindricæ, viridis coloris, & prope diaphanæ inter ſe coagmentatæ ramorum, folio-

liorumque ſubeunt vices. Fructum, ſi rite memini, profert nullum. Aqua pluvia in ejusmodi fruticeta præcipitans ſalſuginem contrahit, per campum decurrens hanc obviis lacubus, rivisque inſpergit; Hi demum fluvios origine dulces ingrediuntur & miſerrime ſaliunt. Palmæ caranday*, ſub quibus nitrum procreatur, idem, quod vidriera, præſtant. Hinc ubi major ejusmodi palmarum, & vidrieræ frequentia, frequentior vel ad fluviorum majorum ripas aquæ dulcis penuria eſſe ſolet. Rem toties eheu! mihi exploratam ſcribo. Pereundum ſiti nobis erat, dum menſe Januario maximis coloribus æſtuante iter fecimus diuturnum ad fluminis ſalado litora, quod aquis quidem tantis turgebat, non niſi natando trajici ut poſſet, verum ejusmodi erant aquæ, ut ne gutta quidem mihi, militibus, equisque noſtris uſui eſſet. Imber ſub veſperum crebra inter tonitrua liberaliter effuſus extremæ ſitis remedium fuit denique, quamvis humi cubantes nos & ut iſtic paſſim moris eſt, ſub dio pernoctantes a capite ad calcem, & ad intimam cutem perluit diligenter. Cæterum licet ſalſas, pellucidas tamen habet aquas fluvius ſaladus, & imo in fundo piſces, queis abundat, nobiliſſimi perſpiciuntur. Alveo eſt profundo, præruptis fere, altisque, ſed arctis ripis coercetur, ac per ambages placide defluit, navigationi, niſi prope urbem ſanctæ fidei, inutilis. Fluvium ſaladum inter & dulcem Turugon fluviolus intercedit, qui, quia ſylvis cinctus pertinaciſſima etiam cœli ſiccitate aquam & copioſam, & perdulcem iter facientibus propinat, vadi ſemper expers, & ſalis. Ab indorum oppidulo ſalabina haud multum abeſt, a me trajectus aliquoties. Fluvius dulcis, qui ſancti Jacobi territoriis pro Nilo eſt, ut ſupra memini, aliquamdiu Auſtrum verſus progreſſus, extra ripas per campum ſpar-

 gitur,

gitur, & a lacu cucurbitarum (laguna de los porongos) cordubam inter & ſanctæ fidei urbem ſorbetur denique. Non multis inde leucis diſtat lacus albus (la laguna blanca) ubi taurorum, neſcio quos, boatus noctu exaudiri indi, Hiſpaniquc affirmant. Quid ſi ſomniant?

Minoris notæ fluvii, amnesque, qui ad Chacum pertinent, ſunt: centa, ocloyas, jujuy, ſinancas, rio negro, rio verde, atopehenſa lauate, rio Rey ſeu ychimaye, Malabrigo, ſeu neboque latèl. Ineſpin ſeu Naraheguem, Eleya &c. quis enumeret cæteros rivos, cum prope numero, & ſæpe nomine careant. Quid, quod & plerique iſtorum tales ſunt, ut cunctantibus multum pluviis aqua deſtituantur penitus. Quod minime rarum in Chaco. Per multas ſæpe leucas aquæ ſtillam haud inveniet vel avicula. Cœlo aquarum inſolenter prodigo amnes fluvii, fluvii maria videntur, ac per camporum planitiem undique ſe porrigunt. In multis multarum hebdomadum itineribus cum aqua, luto, paludibusque profundis nobis equitantibus conflictandum erat quotidie, quin ſæpe palmus terræ, ubi noctu cubaremus, ſiccior ſuppeteret. Hiſpani milites, quos comitabar, celſas interdum arbores conſcendere, ut illarum inter ramos volucrum more conſidentes aliquam quietis partem noctu caperent. Fuere complures, qui iſtic focum ſibi exſtruxerant ad aquam calefaciendam. Verum intolerabilior longe calamitas, dum non interupto diu, noctuque itinere ad multas leucas nobis equitandum fuit, ut ſtationem, ubi aquæ copia ad nos, equosque recreandos eſſet, ardentiſſimo ſole toſti denique aſſequeremur. Sæpe alias per immenſos camporum tractus ne unam quidem arbuſculam, qua ignem aleres, videbis. Culicum, ſerpentum, in-

insectorum noxiorum, quoquo te convertas, exercitus, tigrides, leones, aliæ id genus, metuendæ feræ occurrunt passim. Verum propitiis superis, si circumspectionem, patientiam, vigilantiamque tuo numeres in comitatu, nil admodum tibi metuendum.

Hæc provinciæ, quam Chacum appellant, facies! hanc Hispani milites miseriarum theatrum, barbari suam Palæstinam, elysium putant suum. Ad hanc, ceu ad portum libertatis servandæ, declinandæ servitutis studio magni fiebant Indorum concursus, utprimum Hispani Pizarro duce Peruvii habitatores sub jugum misere, chilensium, Tucumanorumque finibus belli jure sibi vindicatis. Europæorum hospitum, quos nec amicos habere, nec sentire inimicos voluerant, oculis, manibusque timendis se ut subducerent Paraquarienses, ad latibula, quæ in Chaco sibi patebant, sagaciter advolarunt. Hic equidem montes olympo suppares pro specula, inaccessæ sylvæ pro muro, flumina, & paludes pro fossis, campi ferarum, fructiferarumque arborum seminaria pro promptuaria cella, verbo Provincia hæc situ, natura, locorum ingenio adversus vim exterorum egregie munita pro Pergamis illis erat, ubi etiamnum numerosi populi Hispanorum conatus eludunt, in tertium jam seculum invicti; Ast damno suo, cum avita illis libertas certissima sit pernicies. Has in Chaco latebras ante Hispanorum adventum ab indigenis habitatas fuisse dudum, vero videtur simillimum, sed advenas subinde nationes securitatis spe illis se se adjunxisse, nil porro dubitamus. Nullus his barbaris literarum usus cum fuerit, singularia, quæ de illa ætate scripsere historici, conjecturis adnumeranda existimo. Illud mihi certum, in geographicis tabulis,

bulis, historiisque Paraquariis antiquioribus multa nationum barbararum nomina perperam adnotari. Tot errores ex linguarum, locorumque nondum satis exploratorum ignoratione, ex Hispanorum, qui apud barbaros captivi egerant, rudium, credulorumque futili relatione oriebantur. Unicum omissis innumeris accipe erroris exemplum. Vox: *Oaekakalòt* nationis Quaycurus nomen est. Hoc urbis prægrandis nomen esse, stupidi asseruerunt. Sæpe diversa ejusdem nationis contubernia totidem diversa nationum nomina temere procuderunt. Complures lingua, nomine, moribus distincti populi exstitere quondam in Chaco, sed hodie præter nomen illorum nihil prorsus, vel tenues solum reliquiæ supersunt. Horum ex numero erant Calchaquies numerosi olim, militari ferocia clari, & Hispanis infestissimi. Nunc cæteris bello, variolarumque peste dudum exstinctis paucissimi restant ad angulum territorii sanctæ fidei misere detrusi. Idem prope fatum alio, atque alio tempore Malbalas equites, Mataras, Palomos, Mogosnas, Orejones, Aquilotes, Churumates, Ojotades, Tanos, Quamalcas &c. delevit. Nationes equestres Hispanis etiamnum formidandæ, & Chaco immorantes sunt: Abipones, Natekebit, Hispanis Tobas, Amokebit Mocobies, Yapitalakas vel Zapitalakas, Oaekakalòt vel Quaycurus, vel lenguas. Mbayas, qui ad orientale litus Paraquayi habitant, Eyiquayegis se vocant, qui ad occidentale, Quetiadegodis. Pedestres populi sunt: Lules, ysistines Foxistines, qui eadem lingua Tonocotè utuntur, plerique per nos christianis sacris initiati, & in oppidis collocati. Homoampas, Vilelas, Chunipies, Yook, ocoles, Pazaines, magnam partem christiani. Mataquayes, vel Ychibachi toties a nobis exculti, semper indociles. Payaquas piraticam, ut dixi, exercen-

cen-

centes. Quanas, quos alii Chanas, vel Niyololas appellant. Chikitos ſuis in oppidis Chriſti lege inſtituti, de quibus ſuperius plura. Annuis ſociorum noſtrorum ad ſylvas excurſionibus variarum linquarum barbari, quales ſunt: Zamucos, Caypotades, ygaroños &c. Chikitorum coloniis adlegebantur.

Chiriguanas numero, ferocitate, pertinacia celeberrimam nationem ad Chacum vix referendos eſſe, puto, cum majori ex parte Tarijenſe, Peruvianumque territorium inſideant. Lingua, quod mireris, utuntur Quaranica, ejus dialecto tantillum inflexa. Fama conſtans fert, illos ex auſtralibus Paranæ, & Paraquayi litoribus ad ſeptrionales has Peruvii plagas commigraſſe olim metu vindictæ, quæ ſibi a Luſitanis imminebat, quod eorum popularem Alexium Garziam, argento Peruvianis rapto divitem contrucidarint. Hanc migrationis cauſam rejiciunt alii, contenduntque: Annis prope centum, antequam Alexius Garzia cæderetur, Chiriguanas ab imperatore Peruviano Inca yupanqui oppugnatos, haud tamen expugnatos fuiſſe. Quidquid de hoc ſentias, nil repugnabo. Illud certiſſimum, Chiriguanas, paucis, qui hodie Chriſti legem profitentur, exceptis, hodied m Hiſpanis infeſtos, totique late vicinitati formidabiles eſſe Nec armis domari, nec ſacra noſtrorum hominum eloquentia ad religionem adduci unquam potuere. Quinque iſtorum atrociſſima morte ab illis affecti, Ut multorum annorum ſudoribus, ſic fuſo liberaliter ſanguini optati fructus nunquam reſpondere.

Quod ſi lubido te inceſſerit, alias quoque, quæ extra Chacum degunt in Paraquaria, ſuperſtites hodie nationes cognoſcendi, dicam compendio: Quaranii

ranii omnium longe numerosissimi in 32 oppidis grandibus ad Paranæ, Paraquayi, & Uruquayi litora collecti, Regi, dogmatique catholico sincerissime addicti omnes; uti & ytatinquas, qui, ut dixeram alibi, Tarumensibus in sylvis binas habent colonias. In aliis item oppidulis, quæ seu Presbyteri seculares, seu Patres Seraphici procurant, Quaranii christiani habitant. Tobatinguas, Tapes, Caavguas in sylvarum latebris etiamnum abditi, a montibus, fluviis, nemoribus, quæ incoluere, hæc nomina sortiti sunt, re tamen ipsa Quaranii, seu, ut olim vocabantur, carii sunt, ac Quaranica utuntur lingua. Quayaki, singularis, & frequens natio, lingua, moribus, vultus candore a Quaraniis omnino differunt. Nemorum latebras remotissimas pervagantur ad Mondayquazu margines. Simiorum ritu per arbores saltitant, melli, aviculis, escæ inhiantes. Indumenti, habitationisque stabilis expertes, timidi, nulli mortalium noxii vitam vivunt. Horum complures, quos familiariter novi, ad Quaranicas colonias translati pietate, solertia, morum integritate, vestiumque exquisita munditia a cæteris distinguebantur. In asperrimis rupibus, Tebiquary miri fluvio, & urbeculæ villa rica imminent, barbari habitant ab Hispanis ob vultus candorem Quaycuruti dicti, proceri corporis, clava, & sagittis armati. Hi turmatim ad subjectam montibus suis planitiem descendunt aliquando, ac Hispanorum jam mulos, jam equos telis vel clavis necant, inque frusta discerptos humeris asportant suis, opiparum mox epulum domi futuros. Boves, ovesque intactas relinquunt, neque humanam cædem ab illis patratam, unquam intellexi. Cum igitur repetita equorum, mulorumque occidione strages illata fuerit Hispanorum prædiis, illi e condicto barbarorum in latibula inquirere, eosque vel captos abducere, vel, inter-

internecione delere conſtituerunt. Seria, ſed brevis fuit expeditio, magno cum ſtrepitu ſuſcepta, ſed caſſo ſucceſſu. Primo enim mox die dum in præruptos eluctari montes cæperant, terrore, neſcio quo, perculſi domum properarunt De his edoctus in S. Joachimi oppido ad hos barbaros inveſtigandos animum adjeci. Verum Hiſpani hanc profectionem meam ut periculi pleniſſimam ſic irritam fore arbitrati & conſiliis, & deſideriis ſemper obſtitere meis. Timebant irritandos crabrones. Maluerunt illos timere porro, quam inveniri. Hippophagis ſubjungo anthropophagos Indos, quos Hiſpani Caribes, Quaranii Abaporù vocant, quod humana carne veſcuntur. Tales in ſylvis Paranam inter & uruquayum fluvios, ad Monday Quazu item, & Acaray litora oberrant, venandis hominibus quotidie intenti, quorum carnes ferinis quibusque longiſſime anteponunt. Per noſtros ſocios magnis ſæpe cum moleſtiis quæſiti, ſæpe cum vitæ periculo, ſed ſine fructu inventi ſunt. Immenſa camporum planities, nemorum labyrinthi, ſalebroſiſſimæ yquazu, ygatimi, carema, Curyi, Acaray, Monday &c. latebræ ſylvicolarum examinibus fervent, qui, quamvis a loco, quem incolunt, alio, atque alio nomine appellentur, plerique tamen Quaranicæ nationi jure accenſentur. Si mihi ſint linguæ centum, tot gentium minorum nominibus, moribusque referendis haud eſſem.

Inter nationes equeſtres, quæ extra Chacum ſunt, primo loco nominandos duxi Quenoas, qui Uruquayum, flumen argenteum, & mare pacificum inter ſuas habent ſedes, nulli tamen loco certo affixas. Numeroſiſſima hæc natio Charruas, Yaros, Bohanes, Minoanes, coſteros complectitur, equites omnes, & feriſſimis moribus. Iſti, quia flumi-

ni

ni argenteo proximi, & totius Paraquariæ veluti janitores primis ex Hiſpania advenis plurimum ſemper negotii faceſſivere, iisdem, ſive amicos ſe, ſive inimicos profiteantur, etiamnum infenſiſſimi, certe de fide ſuſpecti, & in omnem iis nocendi occaſionem diu, noctuque intenti credebantur. Anno 1750 ſanctæ fidei urbis milites, crebram pacis datæ violatione ulturi perfidos Charruas ſuis in tentoriis citra periculi ſuſpicionem ſtertentes ſub auroram oppreſſerunt. Cæſi multi: ſuperſtites ſuis cum familiis in captivitatem abducti ſunt. In occidentali Paranæ litore, in colle, qui cajaſtà dicitur, quemque amnis Ineſpin alluit, 20 circiter leucas ab urbe remoto pagus illis conditur, dato, qui religionem eos, moresque doceret, ſacerdote monacho, adjecto etiam, qui hujus vitam tuerentur, illorumque fugam impedirent, militum præſidio. Carne equorum ſylveſtrium, quibus vicini ſcatent campi, barbari potiſſimum alebantur. Fame, miſeriisque cicurati Charruæ operam ſtrenuam agriculturæ, auresque ſacerdoti ſuo morigeras dederunt; Hic & ſuæ, & coloniæ ſecuritati nil porro metuens milites præſidiarios amoveri petiit, quorum præſentiam ſibi minime jam neceſſariam, eorum vero exempla Catechumenis ſuis peſtilentia videbat. Noverat vir bonus (ex S. Franciſci familia erat) oleum, & operam perdi, ſi auditis in templo documentis militum mores, ſermonesque diſſentire obſervent Indi. Quantum hoc de argumento lamentari! quanta referre poſſem, ni niveam papyrum ſordidis hiſtoriis inquinare, verecundos lectoris oculos offendere timerem, Quoties ipſi catholici reges ſuis, quas ad Americam dederant, literis caverunt, ne militaris petulantia Indis Neophytis fraudi, ac offenſioni eſſet. Sed fatendum eſt, pientiſſimis regum monitis hac in re minime morem geri. Expertus id ſcribo. In-

gruen-

gruente hoſtilium aggreſſionum periculo ad coloniæ novæ defenſionem milites ex urbe mittuntur aliquando. Aſt militum, quam barbarorum adventus plus a nobis timebatur. Illi enim ad vitæ licentiam proclives ſpurcitiis ſuis tenero ſexui magis nocent, quam omnia barbarorum tela coloniæ nocere poſſint. Maluimus ſæpe ſine militum præſidio periclitari, quam animorum ſtrages, ac pericula, quæ illis præſentibus vix aberant, coram intueri. Sub finem proxime lapſi ſeculi noſtri homines eloquentia, beneficentiaque Yaròs barbaros, qui ingens Quenoarum portio ſunt, eo denique adduxerunt, ut in oppidulo, divo Andreæ dicato, collecti ad religionem imbui ſe paterentur aliquamdiu. Aſt Chriſti ſcholam, probitatemque pertæſi, præſtigiatore quodam clari nominis eos inſtigante ad avita latibula redierunt. Cauſam fugæ rogati: Nolumus, ajebant, talem habere Deum, qui videat, ſciatque omnia, quæ a nobis clanculum geruntur. Fixum nobis, ac volupe eſt, antiqua ſentiendi, agendique pro arbitrio omnia, libertate frui. Numerum, fidemque excedunt clades in territoriis urbium Corrientes, Sanctæ fidei, & Monte video ab hac barbarorum colluvie illatæ.

Immenſa illa planities, quæ ex Boni aeris agro Auſtrum inter, & occaſum procurrit, tellusque Magallanica audit, a barbaris, equeſtribusque populis occupatur. Non idem omnibus nomen, nec lingua eadem. Hiſpani quidem illos, vel Pampas, campeſtres, vel ſerranos, montanos incolas vocant; Ab Indis Peruvianis uno omnes nomine Aucas, quod hoſtes, vel rebelles ſignificat, dicuntur. Re tamen ipſa in Puelches, Peguenches, Thuelchùs (ſunt nobis Patagones) Sanguelches, Muluches, Araucanos, alpium Chilenſium dominos, dividuntur. Horrenda

nomina! ſed illorum, qui his ſignificantur, horribiliora multo ingenia, facta, mores, opiniones. Exacta iſtorum relatio juſtum volumen impleret. Ego, more meo, per tranſennam paucula adnotabo. Iſtarum gentium tellus a Borea ad Auſtrum centum leucas, ducentas facile a ſole oriente ad occidentem patet, ut aquæ, & ligni admodum inops, ſic equorum ſylveſtrium infinitis agminibus confertiſſima, ſtruthionum quoque per illas ſolitudines incredibilis frequentia oberrat. Equus, præterquam quod unicum ſit profectionis inſtrumentum, his barbaris cibum, veſtem, domum, lectum, arma, medicinam, filum, & quid non? ſuppeditat. Aſſis enim equorum carnibus, ſi ſtruthiones deſint, veſcuntur quotidie. Illorum e pellibus lectum, indumenta, ocreas, tentoria, ephippia, lora & freno & armis ſervitura concinnant. Nervos equorum ad quidquid conſuendum pro filo adhibent. Liquatum equorum adipem mellis inſtar potant. Eorum ſanguine caput lavant, moxque aqua abluunt, ſe ſeque hoc remedio robuſtos evadere opinantur. ſetis equinis ad torquendos funes utuntur; quin & pediculos in palliis equina ex pelle confectis enatos, ceu optatiſſimum obſonium, cum voluptate eſitant. Ebrioſitate laborant maxime. Ad vinum crematum, cruentarum litium, atrociſſimarum cædium, ſcelerum quotidianorum ſemen, ab Hiſpanis coemendum expendunt omnia. Hinc in urbe Boni aeris liquorem tam peſtilentem barbaris vendere, crimen fuit, cujus abſolutio ſoli epiſcopo reſervata, me iſtic agente. Una ſæpe vini cremati lagenula nupturienti barbaro adoleſcentula filia in ſponſam venditur a parentibus. Dum prima ex Græcis ſiliquis aqua permixtis compotatio adornatur, ad ſuorum ſepulchra non ſine cerimoniis confluunt, eaque tenerrimos inter planctus

hoc

hoc potu perfundunt, miſeratione ſcilicet tacti, quod hic tumulatis illo ſuo nectare frui jam non liceat. Bello, Si quiquam alii, vicinis Hiſpanis ſunt formidabiles. Equi pernices, enſis, haſta, globi lapidei tres corio obducti, & totidem e loris pendentes, quos dexterrime vibrant, pro armis ſerviunt, neutiquam ſpernendis. Uno ejusmodi globorum jactu hominumque, beſtiarumque oſſa confringuntur. Sæpe equi pedibus triplici hoc loro illaqueatis corruunt, equitemque, etſi cætera incolumen, ſternunt. Ictu plerumque certiore lapidei hi barbarorum globi, quam glandes plumbeæ ex ignovomis Europæorum fiſtulis in hoſtem feruntur, luculentiora quoque vulnera infligunt. Deſultoriis equitibus Boni aeris, toties hoc armorum genus cum ſtrage expertis, nunquam ſane volupe fuit cum his barbaris congredi; Meminerant equidem, pugnam cum illis ſibi fuiſſe fere cruentam, ancipitem, raramque victoriam. Ingens porro apud auſtrales Indos hujusmodi globorum varietas; Majuſculis enim in bello contra hoſtes, minoribus in venatione contra feras utuntur. Horum exemplum jam Hiſpani paſſim, indique alii ſibi ſequendum putarunt. Raro videas in campo equitem, qui tres globos lapideos (las bolas vocant) ex ephippiis, vel ſuo e cingulo ſuſpenſos non circumferat. Et vero, quoties occaſio tulerit, iis feliciſſime uti norunt plerique.

Barbari auſtrales tum maxime exacerbatum produnt animum, dum hoſtem utroque pede mutilitatum, vermis inſtar humi reptantem lentæ mortis cruciatibus relinquunt. Familiariſſima hæc illis, dum excandeſcunt, comminatio. Qui uno obtruncantur ab illis ictu, hi enim vero ſuaviter, leniterque ſecum agi, putent neceſſe eſt. Inſana commiſeratione ducti ad accelerandum doloris finem ſuos moribundos

adhuc ſpirantes tumulare conſueverunt. P. Matthias Strobl noſter, ſtyrus Muræpontanus, ad 14 annos harum gentium apoſtolus, iſtorum infelicium quempiam e tumulo vivum in lucem protraxit. Alias illum, quem cum morte jam Luctantem vident, more ſuo coloribus variis expingunt, vitreis globulis (cærulei duntaxat coloris) ad pompam ornant. Emortui cadaver eo ſitu componunt, ut genua faciem contingant. Illius equos minutis ex ære tintinabulis, ſphærulisque vitreis, ac ſtruthionum plumis adornatos, ad vita functi tentorium aliquoties circumductos mactant denique. Idem fatum demortui moloſſos manet. Ad ſepulchrum ſudibus affixa equorum corpora, veſtesque multi coloris Vexillorum militarium ſpecie collocantur. Hominum perinde, ac ſtruthionum animas ſubterraneis in tentoriis verſari credunt. Cætera, quæ ad iſtarum nationum formam, mores, ſuperſtitionesque ridiculas pertinent, ſuis quæque locis inſpergam, dum de Abiponibus agetur fuſius. En ſuperſtites hodiedum Peraquariæ nationes! permultæ aliæ, quarum nomina in hiſtoriis duntaxat, & geographicis iconibus exſtant, variis de cauſis, modisque variis dudum deſiere. Tales ſunt: los Caracaras, Haſtores, Ohomàs, Timbus, Caracoas, Napiques, Agazes, Itapurus, Urtueſes, Perabazones, Frentones, Aquilotes &c. Ecquis miretur, ſola iſtorum populorum nomina ſupereſſe, cum idem tot florentiſſimis Europæ, Africæ, Aſiæque populis accidiſſe noverimus, quorum quidem nomina e libris conſtant, nativum tamen eorum ſolum, ætas, urbes, exitus a criticis ſæpe, acriterque in controverſiam vocantur, a nullo unquam judice dirimendam.

Illud

Illud corollarii inſtar hoc loco addendum. Vix unam, alteramve in ampliſſima Paraquaria inveniri nationem, cui noſtris ab hominibus non impenſa opera, cui, quoties licuit, colonia condita non fuiſſet, ubi humanitatem primum, dein religionem, obedientiamque catholico Regi debitam docerentur. Quaraniorum cumprimis natio omnium frequentiſſima, & ut ita dicam, Paraquaricarum nationum olim dominatrix, nullis unquam Europæorum armis domabilis, noſtrorum tamen hominum inſtitutioni adeo docilem ſe præbuit, ac morigeram, eaque ad Dei, Hiſpanicæque Monarchiæ obſequium per duo prope ſecula præſtitit, quæ a reliquis Americæ populis impetrari nunquam, & ne expectari quidem potuere Debent profecto pientiſſimis Hiſpaniarum Regibus Quaranii, quod illi ſuis ſumptibus religionis magiſtros Jeſuitas ex Europa ſibi ſemper miſerint, liberaliterque aluerint, quod tributum annuum a ſe moderatius exegerint, quod ſe adverſus invidos, calumniatoresque literis regiis protexerint, quod trecentis aliis favoribus pro ſua clementia ſe cumularint. Tantorum beneficiorum memoriam nulla ætas delebit. Nemo tamen niſi in Paraquariæ rebus peregrinus, inficiabitur, ab Hiſpanis quoque multum deberi Quaraniis noſtra ſub diſciplina educatis. Hi ſane omnium prope bellorum, quæ Hiſpani adverſus exteros, domeſticosve hoſtes in Paraquaria geſſere, participes, pars magna omnium victoriarum fuere. Iterum iterumque Indorum nationes univerſæ in Hiſpanorum internecionem conſpiraverant clanculum. Et vero tantus rebellium numerus de tanta Hiſpanorum paucitate triumphaſſet utique, ni Quaranii noſtri regias partes ſecuti rebellium conſiliis, armisque ſtrenue obſtitiſſent. Ex uno, quem referam, eventu conjicies cæteros.

Anno 1665 & 66 de Hiſpanis tota provincia exturbandis ſeditioſa conſilia Indi prope omnes coquebant. Jam ſeditionis, tumultusque univerſalis faces per omnes Paraquariæ angulos ſpargebantur. Alphonſus ſarmiento regius gubernator his rumoribus perculſus ex urbe Aſſumptionis cum exigua militum manu ad oppidum Arecaya 60 circiter leucas remotum, ad ripas yeyuy ſitum properat, cujus incolas de fide in Regem ſuſpectos habuit. Plerique horum ſervituti privatorum Hiſpanorum mancipati, ſorteque ſua parum contenti fuere. Simulata tamen amicitia ab illis honorifice acceptus gubernator, nihilque in præſens turbulenti ſuſpicans ad oppidi margines in extemporalibus, quæ ſtruxerat e ramis arborum, ac ſtramine, tuguriolis conquieſcit. Concubia nocte Indi Hispanos dormitantes opprimunt, omni telorum genere uſi, injecto etiam illis tuguriis igne. Cæſi aliqui Hiſpanorum, ſauciati complures; crematæ plerorumque veſtes, pulvis pyrius in auras avolavit, arma ignivoma aliquot ab hoſtibus abrepta. In re trepida milites prope nudi alii, alii ſanguine manantes ad templum propinquum ſe recipiunt, ubi veluti in munitiuncula ſecuritati tantiſper conſultum ſuæ putavere. Uerum cibo, potuque deſtitutis inedia pereundum erat. Aqua luſtralis in vaſe majuſculo aſſervata in ſitis extremæ remedium convertitur. Hoſtibus templi parietes circumſtantibus, nullus effugii locus, modus annonæ piſcandæ nullus relictus. Fame tamen indies magis urgente jam audaciores aliquot eluſa Indorum vigilantia ad oppidum clam prorepſere, & præter aliquam aquæ portionem porcum ſociis attulerant reduces, ingens in tanta calamitate ſolamen. Aſſerunt Hiſpani hiſtorici, eſu porcinæ carnis (rideant, per me, medici) vulneratos convaluiſſe, tales forſan, queis eſuries,

quam

quam vulnerum ſenſus fuerit intolerabilior. Ultimum, in quo gubernator cum commilitonibus verſabatur, diſcrimen, neſcio, qua via, quove indice, ad Ytatinguas Quaranios delatum eſt, quorum octo circiter capitum millia, in S. Ignatii, & noſtræ dominæ a ſancta fide oppidis numerabantur, noſtrorum hominum opera conditis, ſervatisque. Utrique coloniæ, & coloniarum ſacris curatoribus præerat P. Lucas Queſa in Sardinia inſula natus. Hic nil cunctandum, deliberandumve ſibi putat. Illico cum ducentis circiter Indis ſuis equitibus eques iter ingreditur paludibus paſſim, amnibusque impeditiſſimum, ut periclitanti gubernatori regio ſuppetias ferret. Continuato per 24 horas itinere, non expectatus, oppidum Arecaya ingreditur. Nec mora; Indi rebelles a Quaraniis chriſtianis partim cæſi, partim capti, vulnerati non pauci, Hiſpani in libertatem, ſecuritatemque aſſerti. Hi quanta grati animi ſignificatione, quot amplexibus Quaranios liberatores ſuos proſecuti ſint, tute conjicies. Tres ex Quaraniorum turma delecti equites, qui contemptis viæ periculis gubernatoris literas ad urbem Aſſumptionis curſu citatiſſimo deferrent, quibus, quid hic geſtum, quid ibi pro ſua, & provinciæ totius incolumitate gerendum ſit, ſignificabat. Matritenſis ſubinde aula certior facta de his omnibus Quaraniorum & fidelitatem, & ſtrenuitatem ſuſpexit. Illos Rex catholicus honorificis literis conſolatus eſt, quæ adhucdum in tabulario oppidi noſtræ dominæ a ſancta fide conſervantur, integerrimæ Quaraniorum in Regem fidelitatis, eximiæ Regis in Quaranios benevolentiæ perenne monumentum, Gubernator accepti beneficii memor nullum fecit Quaranios laudandi finem, palam dictitans: Hiſpanica Monarchia ſi ubique terrarum ſubditos tam fideles, diſciplinæque militaris tam patien-

tes haberet, nullo negotio ab illa hoſtes omnes vincendos. Idoneis authoribus compertum eſt, ſeditionem, quæ a factioſis, bellicoſisque nationibus conflata eſt ad Hiſpanos omnes profligandos, erupturam fuiſſe, ni robur, fidemque in Regem immutabilem Guaranicæ gentis reformidaſſent. Verum ipſa hæc odiorum ſemen fuit apud barbaros Hiſpano nomini infenſos. Quaycurus certe numero, & militari virtute ferociſſimi continuis incurſionibus, cædibus ac pecorum rapinis bina illa Ytatinquarum oppida vexarunt annos plures, ut denique tranquilitatis deſiderio ad hanc, quam Parana, & Paraquayus cingit, ſtationem commigraverint, ubi etiamnum commorantur poſteri illorum, qui in Arecaya periclitantibus Hiſpanis ſuppetias venerunt.

Eodem anno 1665 Calchaquies bellicoſiſſimi barbari vaſtatis circum agris, prædiisque urbem ipſam ſanctæ fidei arcta obſidione cinctam in ultimum diſcrimen adduxerunt Trepidantibus univerſis ingens Quaraniorum agmen Uruquayenſibus ex oppidis a Gubernatore Antonio de vera Muxica evocatum tantam hoſtes inter edidit ſtragem, ut fuga præcipiti dilapſi ſuperſtites multis deln annis ad urbem porro vexandam haud redierint. Infinitus ſim, ſi memorem cæteras ejusmodi expeditiones; complura ſæpe Quaraniorum millia, annos complures, regiis in caſtris non ſine eximiæ fidelitatis, fortitudinisque laude militarunt ſeu contra Luſitanos, ſeu contra Hiſpanos urbis Aſſumptionis mandatis regiis pertinaciter repugnantes, ſeu contra barbaras nationes in gentis, dominationisque Hiſpanicæ excidium conjuratas. Ecquisnam, amabo, ſtudioſiſſimam hanc in regem catholicum propenſionem Quaraniorum animis impreſſit, niſi noſtri homines, cum, antequam iſto-

rum

rum disciplinæ instituendos se, gubernandosque dedidissent, Hispani nominis hostes acerrimi extiterint semper. Multo tempore, labore plurim, constitit, ut dominatrix hæc, & ferarum instar, libertatis suæ tenacissima natio & divinis, & regiis legibus adstringi se se pateretur. Multi sane, qui ignominiosa nostro alias affinxere nomini, Jesuitarum Quaranica pro natione heroicos, felicesque conatus admiratione, laudibusque eximiis sunt prosecuti.

Audi, quæso, notissimum Bougainville (Voyage autour du monde, folio 121. 1, P. mihi) non jam historico, sed panegyrico stylo de Quaraniorum missionariis Jesuitis disserentem: curriculum, ait, suarum expeditionum ingressi sunt magnanimitate martyrum, patientiaque vere angelica armati. Utraque virtus profuit alliciendis, retinendis, ad obedientiam, ad labores utiles attrahendis hominibus barbaris, ferocibus, inconstantibus, tantum opinionum suarum, quantum libertatis avitæ tenacibus. Obstacula occurrebant infinita, difficultates aliæ ex aliis ad passus singulos renascebantur. Apostolicus illorum ardor vicit omnia, illorum suavitas cicuravit, morigerosque reddidit denique ferissimos sylvarum habitatores. Hos enimvero in coloniis congregarunt, illis leges tulerunt, illos artibus utilibus, amænisque imbuerunt. Demum gentem barbaram, humanitatis, religionisque expertem in populum placidum, affabilem, politicum, christianæ disciplinæ observantissimum transformarunt. Hi Indi victrice Apostolorum suorum eloquentia capti ultro obtemperant hominibus, quos vident suæ se felicitati sacrificasse. Ita magnifice de nobis hoc loco Bougainvillius, & quod semper credidi, ex animi sui sententia. Erunt tamen fortasse quipiam, qui tantas

laudes, licet Paraquaria univerſa teſte, a nobis meritas in dubium revocent. Equidem cum idem author non malevolentia adverſus nos cæcatus, ſed a malevolis, quos in urbe Boni aeris auſcultaverat, ignorantibusque circumventus fabulas permultas de Quaranicis oppidis, nomini noſtro parum decoras, hiſtoræ inſperſerit ſuæ liberaliter, quidni, dum etiam cer[illegible]ma noſtram in commendationem ſcribit, ægre illi, le[illegible]eque fidem tribuent prudentiores? ſed fingamus, optimo Bougainvillio nos vituperanti credi, laudanti nos non credi Hoc noſtra nihil omnino refert. Extant enim tot literæ ampliſſimæ Epiſcoporum, gubernatorumque regiorum ad Reges catholicos, ad ſummos Pontifices typis datæ, e quibus Jeſuitarum, quam Quaraniis, aliisque Paraquariæ gentibus navarunt in alterum jam ſeculum, operam nec inutilem, nec ingloriam extitiſſe, patet. Sine, tibi recitem particulam literarum, quas illuſtriſſimus Epiſcopus Joannes de ſarricolea, y olea anno 1730. 23 Novembris ad clementem duodecimum Pontificem ſummum e Paraquaria ſcripſit de hoc argumento. — — Tum numeroſiſſimis, quas Jeſuitæ habent, Indorum e barbaro paganiſmo ad fidem catholicam evangelica patrum induſtria, labore, ac conſtantia converſorum reductionibus (oppidis) ſanguine miſſionariorum plantatis, irrigatis ſudore, excultis verbo, & auctis exemplo, ſive quæ per triginta oppida, in quibus centum triginta animarum millia numerantur ſub eodem vernaculo idiomate, quod Quarani dicitur, apud Paraquariam exiſtunt, ubi tota fere primitivorom fidelium obſervantia floret, templorum, ac divini cultus nitor reſplendet, ad veterum chriſtianorum ruborem, ad ſtuporem barbarorum, ad naturæ admirationem, ad gratiæ triumphum, & ad crucis Chriſti trophæum efformatæ &c.

Has

Has illuſtriſſimi Præſulis literas quoties perlegi, toties antiquam Hiſpanorum ingenuitatem Romano ore non elegantiſſime quidem, ſed candidiſſime loquentem audire mihi videbar. His literis conſonant epiſtolæ aliorum Paraquariæ Epiſcoporum, uti Joſephi Palos Aſſumptionis Epiſcopi anno 1715 & Joſephi Peralta Boni aeris epiſcopi anno 1743 ad Regem datæ. Emanuel Abad y llana Tucumanorum epiſcopus, dum ditionis ſuæ oppida, in quibus variæ Indorum nationes a noſtris imbuebantur, de more viſitaret, luculentiſſimas Jeſuitarum laudes libris Parochialibus inſcripſit anno 1765. Idem omnino præſtitit Emanuel Antonius de la Torre Aſſumptionis, & mox Boni aeris Epiſcopus, dum circa idem tempus (biennio ante, quam e Paraquaria exulare juberemur) Quaranica oppida inviſerat. Bernardinus Cardenas Aſſumptionis epiſcopus, ſuperiori ſeculo, provinciæ totius turbator (ut ex annalibus patet) Jeſuitas, quod turbulentis, ſeditioſisque ejus conſiliis repugnarent, acerrime inſectatus, perperamque criminatus diu, collegio demum ſuo, urbeque Aſſumptionis ejecit, mox tamen authoritate regia ſuis ſedibus reſtitutos; Eadem inquietus Præſul, qui gubernatoris poteſtatem ſibi arrogaverat, & urbe, & epiſcopatu ſuo cedere compulſus eſt, nunquam porro reſtitutus. Publica hæc, & luce meridiana clariora. Ab hoc vituperari nobis laudi fuit. Idem de famoſo Joſepho Antequera Jeſuitarum Diocletiano, ſentiendum. Hic Didaco de los Reyes legitimo Aſſumptionis gubernatore Hiſpanorum ſeditioſorum conſenſu relegato primum, mox capto provinciæ gubernationem malis artibus extorſit. Garziam Ros a Prorege Peruviano ad gubernandam, bellicisque tumultibus liberandam provinciam miſſum teterrimo carceri mancipavit. Ad perdomandum denique Anteque-

raın

ram, rebellium, & rebellionis caput, Bruno Mauritius de Zavala Boni aeris gubernator a Pro-rege destinatus. Cum sex Quaraniorum nostrorum millibus, & exigua Hispanorum turma urbem Assumptionis versus profectus est. His regiis copiis suas impares videns Antequera tribus celocibus, quas quadraginta militibus instruxerat, per Paraquayum flumen fugam cepit. In urbe Plata, quam Chuquisacam vocant, captus & anno 1726 Aprili mense Limam, Peruvii metropolim, perductus est. Hic, causa illius diu, multumque discussa, lata demum a Pro-rege sententia est, ut capite plecteretur. Cum tamen periculum subesset, ne a plebe popularis sui studiosiore judicum manibus vi eriperetur in foro, clam glande plumbea trajecto caput amputatum est denique. Ambitio, aliaque crimina (verba sunt Hispani scriptoris) a quibus abripi se patiebatur, Antequeram virum caetera sagacis ingenii, ad carceres, ad infame ultimi supplicii pegma rapuerunt. Jesuitas, quod cum Quaraniis curae suae creditis Regiarum semper partium fuissent, omni calumniarum, contumeliarumque genere vexavit, e collegio suo, qnamvis jussu regio deinde restitutos, violenta manu exturbavit, Quaraniorum oppida, urbi propinquiora, calamitatibus afflixit tantis, ab exitio parum ut abessent. Antonius Ulloa, uti saepe alias, sua in historia innocenter hallucinatus, a Peruvianis quibusdam deceptus est, qui Antequeram, gentilem scilicet suum, vix non innocentem, certe leniori sententia dignum putare ausi sunt. Verum a rerum istarum consciis jure ridentur. Non defuere praeter hos, de quibus sermo, alii variae conditionis homines in Paraquaria, qui jam invidia, jam utilitatum suarum studio impulsi Jesuitas Quaraniorum cultura occupatos varie criminati sunt quondam; Ast tales rudibus solum, stupidisque im-

po-

posuerunt, a cordatis magistratibus calumniatores declarati sæpe, maleque mulctati. Mihi nec vacat, nec lubet ejusmodi exempla recensere, quæ in Paraquariæ historiis passim deprehendas. Videbis, multos fuisse Jesuitarum accusatores, sed plures plerumque defensores, Reges, Episcopos, gubernatores, suis qui oculis accusationum viderant falsitatem.

Quantum Quaranico populo Jesuitarum opera profuerit, res ipsa loquitur, alienis ut testimoniis neutiquam egeamus. Anno enim millesimo septingentesimo septimo supra sexagesimum triginta duo Quaraniorum oppida per nostros homines duorum prope seculorum labore structa, christiana disciplina, congruisque artibus florentia, ædibus commodis, templis magnificis, templorumque ornatu eximio, prædiis uberrimis, agris opimis, &, quod rei caput, centum facile christianorum millibus instructa in nostram navigaturi Europam reliquimus, id unum sudoris, sanguinisque a sociis nostris fusi præmium optantes, ut nostri hi in Christo filii religione sincera, fide integerrima & Deo, & catholico Regi impensissime famulari nunquam desistant, nobis etiam longissime absentibus. Immensum pelagus, quod Europam ab America dividit, feliciter qondam sponteque nostra emensi remetiri haud timuimus; Timuimus tamen, ne percussis pastoribus dispergantur oves. Faxit supremum Numen, ut vanos extitisse nostros timores, aliquando intelligamus.

De decem Chiquitorum ad Peruvii confinia oppidis per nostros socios conditis, servatisque, ubi anno 1767 exeunte 5173 familias christianas, univer-

verſim 23788 capita numerabant, ſuperius a me injecta mentio. Hi quoque Indi militari virtute, & ſagittis veneno lethifero imbutis paſſim formidabiles contra barbaros, quin & contra luſitanos, quoties a gubernatore regio jubebantur, ſtrenui, fidique Hiſpanorum commilitones ſemper exſtiterunt. Minoris numeri, ſed maximi ad provinciæ totius tranquillitatem momenti fuere oppida quaterna Abiponibus, bina Mocobiis, unum Tobis, aliudque Mbayis, nationibus ſcilicet equeſtribus, & bellicoſis per nos condita, & ad noſtrum abitum usque conſervata. His adde nationes pedeſtres: lules, Vilelas, Chiriquanas, Chunipies, Homoampas &c. ad Romana ſacra traductos a noſtris, & in ſuis coloniis inſtructos. Linqua, moribus, ritibusque a ſe differunt omnes, omnes tamen agriculturæ ſtudent. Has a nobis plantatas colonias in Europam abituri aliis cultoribus tradidimus.

Permulta Indorum oppida, quorum ſeu noſtri ſeu alii authores fuerant, dudum deſiere, jam incolarum avitis latibulis inhiantium volubilitate, jam Europæarum hominum ſeu malitia, ſeu avaritia, ſeu ſocordia. Patre Joſepho ſanchez labrador teſte, qui monumentum hiſtoricum manu conſcriptum ipſus perlegit, ſeptuaginta tria Indorum variorum oppida in Chaco provincia interierunt; Barbarorum nominum recenſione, lectoris faſtidium veritus, abſtineo. Barbaris Auſtralibus, Magallanici agri incolis hoc ſeculo multo ſociorum noſtrorum labore, immani ſumptu terna ſurrexere oppidula, ſanctiſſimæ Dei parenti dicata omnia. Primum ab immaculato ejus conceptu (la concepcion) appellatum Pampas, gentium Auſtralium colluviem, habitatores accepit, ac colonis Boni aeris adverſus barbarorum incurſiones præſidio

dio fuit. Recenti oppido moderatores præerant viri religione, prudentia, & excelſo ad ferenda ardua animo inſignes Pater Matthias Strobl ex Auſtriaca provincia, & P. Emanuel Querini ex Romana clariſſimo apud Venetos genere in græca inſula Zacyntho, cui illius pater ſereniſſimæ reipublicæ nomine tunc præfuit, natus, in academia cordubenſi philoſophiæ magiſterio, collegiorum præcipuorum, & provinciæ totius gubernatione apud nos condecoratus, virtutis eximiæ opinione apud omne genus hominum conſpicuus, ac dum ex America domum rediret, cum reliquis ſociis, Clementi tertio decimo, populari ſuo, ac quondam condiſcipulo percharus Romæ, ubi paucos ante annos vivere deſiit. Ambo patres apud Quaranios diu verſati egregia Indorum animos tractandi dexteritate valebant, qua impetratum eſt, ut Pamparum non pauci chriſtianis ſacris denique initiarentur. Urbis, prædiorumque Hiſpanorum, ubi & vini cremati, & exempli non optimi copia ſemper fuit, vicinitas barbarorum ad meliorem frugem translationem incredibiliter retardavit. Serrani, iisque immixti quandoque Patagones, qui ad Pampas viſendos ultro, citroque commeabant, tum patrum beneficentia allecti, tum vitæ opportunitatibus, queis oppidi incolæ fruebantur, capti ſibi quoque nativo in ſolo oppidulum ejusmodi peroptare cæperunt. Nec mora. Illorum votis per nos factum eſt ſatis. Patres Cardiel, & Falconer; Hic Anglus medicæ artis ſcientiſſimus, ille Hiſpanus, vir ardentis, intrepidique pectoris, ambo ad Indorum tractationem nati illas barbarorum ſolitudines adeunt, exploratisque illorum animis ſitum coloniæ meditatæ opportunum circumſpectant. Arduum erat, talem invenire; Nam iſtic aqua perennis, illic lignum fabricæ, focoque quotidie alendo neçeſſarium deſiderabatur. Caziquii

Mari-

Marike, & Tſchuan Tuya germani fratres cum quatuor & viginti ſuorum contuberniis numeroſis in nova colonia, quæ demum condita, & *Nueſtra Señora del pilar*, ſeu Noſtra domina a columna Cæſar-Auguſtana dicta eſt. Ad hanc gubernandam ſtabiliendamque Pater Matthias Strobl illarum linquarum ſcientia tinctus ſuperiorum imperio translatus fuit. Quotidianas inter viciſſitudines, ut novis in coloniis fieri aſſolet, ſpes optimorum progreſſuum non dubia intermicabat. Sed inopinatus eventus, ut pruina teneros flores, recentem coloniam uno ictu vix non proſtravit. Dicam. Forte per Boni aeris agros patrata eſt cædes. Milites, qui ſicarios detegere t, miſſi a gubernatore. Caziquius Yahati Serranus cum quindecim utriusque ſexus viæ comitibus in urbem iter faciens reculas ibi, ut ſolebant, vendendi, emendique gratia militibus fit obviam, & citra ullum vel conjecturæ fundamentum de illa occidione ſuſpectus abducitur, arctoque in urbe carceri cum ſuis mancipatur. Injuriam tantam popularibus ſuis, de quorum innocentia ſibi conſtabat, illatam oppidi incolæ quam acerbo tulerint animo, dici haud poteſt. Patris Matthiæ Strobl, qui inter illos verſabatur, vita in præſentiſſimum diſcrimen conjecta eſt. Luendum illi fuerat, quod milites imprudenter peccarunt. Caziquius Marike utroque oculo captus, ſed maximæ inter illos authoritatis a furenti populo mox in urbem legatur, qui a gubernatore Hiſpano captivorum ſuorum libertatem jure poſtulet, id ſi renuat, vel tergiverſetur, univerſæ nationis nomine Hiſpanis bellum declaret, ſine mora inchoandum. Arrogans hæc barbarorum comminatio gubernatori Joſepho Andonaegui exilium, quas numeroſo hoſti opponeret, copiarum conſcio ingentem ſolicitudinem injecit. Reſumpto cædis patratæ examine, auditis iterum, ite-

iterumque teſtibus patuit denique captivi Caziquii innocentia, quippe quem eodem, quo peracta cœdes, tempore in urbis quadam officina verſatum fuiſſe, fide digni Hiſpani aſſeruerunt. Quo comperto, quatuor menſium captivitate citra culpam vexatis libertas illico, ac ad ſuos redeundi copia a Gubernatore viro æquiſſimo conceſſa eſt. Hæc, me in urbe Boniaeris ſub initium anni 1748 recens appulſo, evenére. E carcere dimiſſos noſtro in collegio hiſce ſpectavi, & vix lacrymas tenui. Per Indum interpretem, cui ridiculum cognomen: Domingo de los Reyes Caſtellanos, Dominicus a Regibus Hiſpanis, cum cæco Caziquio Marike affabili ſeniculo multa locutus ſum; cum illi meo in cubiculo fidibus canerem, quæ ab amore nomen habent, illorumque veſtes, quæ ab eorum fœminis texuntur, mire dilaudarem, captus eſt mei deſiderio ſenex, atque, ut ſecum ad coloniam venirem ſuam, Patri Matthiæ Strobl jam ſeneſcenti auxilio futurus, efflictim rogitavit. Fateor equidem, ad hoc iter ambos mihi pruriviſſe pedes. Verum, quam volupe mihi foret, reſpondi, equum conſcendere, & te comite Magallanicas immigrare in terras! Aſt nobis, qui hanc vitæ rationem profitemur, integrum haud eſt, pro arbitratu noſtro quoquam ire, niſi capitanei noſtri (Provinciæ præſidis) imperio mittamur. Ubinam, quæſo, Veſter ille Capitaneus moratur? avide quærit Marike; Hac eadem in domo, repoſui. Quo audito confeſtim ad Provincialis noſtri cubiculum, aliena ductus manu, properat, importuniſque me ſibi comitem precibus depoſcit, ſed irritis. Aliam mihi nunc ſtationem deſtinatam eſſe, reponit Provincialis, polliceturque, me poſt biennium ad illius coloniam a ſe mittendum. Quartus enim Theologiæ annus Cordubæ Tucumanorum mihi reſtabat abſolvendus. Et vero fixum erat

Provinciali promiſſis ſtare, ni meâ operâ apud Abipones repente indiguiſſet.

Cum captivis e Boniaeris carcere reducibus ipſi quoque oppido poſt fœdum turbinem malacia rediiſſe videbatur, noviſque mox Patagonum ſuppetiis augeſcebat. His in loco quatuor leucas diſtante ſingulare oppidum apparatum, & nomine *Deiparæ matris derelictorum* (de los deſamparados) inſignitum eſt. Illius procuratio Patri Laurentio Balda Navarro Pompejopolitano, Divi Xaverii cognato, & Patri Auguſtino Vilert Catalauno demandabatur. Caziquii Patagonum tres: Chanal, Sacachù, & Taychocò cum octoginta ſuorum contuberniis coloniam hanc occuparunt. Contubernium unum ternis, quaternisve, imo & pluribus aliquando familiis conſtat; Quævis familia, ut plurimum, quaternis, quinis, ſæpe pluribus, Capitibus definitur; Copioſa enim Patagonibus ſoboles eſt, & polygamia perquam vulgaris. Præ aliis, qui ad Auſtrum habitant, dociles ſunt, & baptiſmo minus repugnant. Doleo, juvenes ab honeſtate, ac verecundia a me commendari neutiquam poſſe. Nihil fere Commercii cum Hiſpanis intercedebat Patagonibus. A' natione tam frequenti, tam morigera, indolisque cæterum placidæ ingentes rei Chriſtianæ acceſſiones jure expectabantur. Verum ſpes tantas orcus evertit. Cangapol, quem Cazique bravo appellant vulgo Hiſpani, forma, corporis, animique magnitudine, commilitonum frequentia longe ſpectatiſſimus Caziquius, & ut verbo dicam, regionis illius dynaſta ægris dudum, invidiſque ſpectabat oculis recentes has Chriſtianorum colonias; Per has amicitiam cum Hiſpanis irrepere, libertatem nationum Auſtralium periclitari, ſuamque, qua his in oris dominari videbatur, authoritatem ſenſim minuendam,

ac

ac opprimendam denique exiſtimabat. Hinc animum, curasque omnes eo converterat, ut oppidis novis ſuorum exitium, Patribus religionis peregrinae magiſtris exilium acceleraret. Hunc in finem icto fœdere, quotquot poterant, barbari ad ſocietatem armorum invitati, expeditioque demum ſuſcepta eſt. De hoſtium itinere, ac ingenti numero factus certior Matthias Strobl ad oppidorum defenſionem militare auxilium a Gubernatore, civitateque Boniaeris tempeſtive per literas petiit. Hæc ſeptuaginta equites provinciales ſpopondit, ſed ne unus quidem unquam comparuit; Ille negavit ſe opem ferre poſſe, etſi quam maxime id cuperet; legionarios milites, qui id temporis ſibi ſuppeterent, nec ad portus, caſtrique Boniaeris ſecuritatem ſufficientes ſibi videri, ingenue affirmavit. Ab Hiſpanis, quorum maxime intererat hæc oppida tueri, repulſam paſſus Pater, hoſtem magnis itineribus propinquantem, quem repellere haud potuit, cum ſuis fugiendo eluſit. Relicta oppida, oppidorum greges, & armenta. Verum minime pœnitenda beſtiarum jactura, qua tot hominum vitæ ſervatæ, quibus ira, numeroque formidabiles barbarorum turmæ minitabantur. Catechumeni, ac Neophyti, quotquot ſincero in religionem, amico in Hiſpanos erant animo, ad conceptionis oppidum, ceu ad portum, cum Patribus ſeſe receperunt. Verum & hæc colonia quotidianis hoſtium incurſionibus fatigata, ab Hiſpanis præſidiariis ſegniter defenſa tertia decima Februarii anno 1753 penitus deſerenda fuit, damno urbis luculentiſſimo; Nam, quia jam barbaris equitibus impune graſſari, quaqua libuit, licuit, ad quadraginta ab urbe leucas prædia cuſtodibus, agrique circa pagum Magdalenæ ab uberrima tritici meſſe celeberrimi cultoribus mox deſtituti ſuis, ad tutiora ſcilicet loca metu dilapſis. Intra urbem

ipſam, quæ muris, foſſis, portisque caret, ſæpius Turpiſſime trepidatum eſt, interdum ob hoſtis periculum, alias ob ſolam periculi ſuſpicionem. Circum jacentibus in campis, prædiisque per aſſilientes barbaros pecoribus, opibus, vita ſpoliati quam plurimi. Deſultoriis equitibus, qui rure excubare juſſi, hoſtemque coercere, ſtrages cruentæ iterum, iterumque illatæ. Plauſtra argento, quod ex Peruvio advehebatur, onuſta per viam toties direpta, militibus illorum cuſtodibus, vectoribusque miſerandum in modum contrucidatis. Ad ſinum fluminis argentei Barragan, ubi naves majores ſubducuntur, reficiunturque, habitantibus iidem barbari ſæpe exitiales, ſemper formidabiles extiterunt. Qui ad ſalinas ſalem advecturi magno numero Auſtrum verſus abierant, cæſi aliquoties ad unum omnes. Tum denique coloniarum Auſtralium utilitatem Hiſpani perſpexerant, poſtquam illas, ſpemque easdem reſtaurandi amiſere. Tot Indorum, qui ad Auſtrum degunt, millia ſuis in tenebris conſepulta jacent! Digna lacrymis, ſi quæ alia, Cogitatio. Ecquis non deploret ſociorum noſtrorum, his qui populis operam navarunt annos complures, extremas miſerias, itinerum moleſtias, rerum neceſſariarum penuriam, vitæ quotidiana diſcrimina, tantosque labores, qui omni prope caruerunt fructu, præterquam, quod infantulos ſacro latice a ſe tinctos plurimos, qui occubuerant, & adultos non paucos in cœlum tranſtulerint. Primis, antequam boves, ovesque ad eos alendos mitterentur, temporibus Patres equina Carne, quotidiana Indorum illorum dape, veſcebantur. Pater Thomas Falconer, Anglus campos omnes cum Indis pervagatus equinæ carni ſcindendæ, cum orbem e ſtanno, vel ligno non haberet, orbis loco ſemper pileum ſuppoſuit ſuum, qui demum pinquedine infectus eſt tanta,

ut

ut illo dormiente a canibus ſylveſtribus, queis campus ſcatet, devoraretur. Me in Boniaeris urbe agente alium ſibi mitti pileum per literas petiit, canum accuſans voracitatem. Patris Matthiæ Strobl tugurium, neſcio, quis nebulo ſuccendit. Stramineum tectum conflagraverat jam, ipſe quoque altum dormiens haud dubie flammis erat interiturus, ni a fido homine expergefactus incendio ſeſe ſubduxiſſet. Illud auſim affirmare, alias atque alias quotidie moleſtias Patribus illis ab Indis allatas, ſed multo plures, acerbioresque ab Hiſpanorum vulgo, a vini cremati, aliarumque recularum nundinatoribus, a quibus, cum arcerentur, tricæ, fabulæ, calumniæ non raro profluxere. Quanta hoc loco ſcribi poſſent, quæ ad celebrandam Patrum patientiam momenti plurimum haberent. Conceptionis oppidum ſitum erat in 322 gr. 20 minuto longitudinis, in 36 gr. 10 minuto latitudinis. Oppidum Noſtræ dominæ a columna diſtabat ab oppido conceptionis ſeptuaginta leucas Meridiem inter & occaſum, ab urbe Boniaeris decem facile ſupra centum; Ab oppido Matris derelictorum ſolas quatuor leucas.

Neque putes, velim, curam cicurandi, erudiendique Auſtrales nationes ad noſtram usque ætatem neglectam fuiſſe. Hoc negotium ſuperiore jam ſeculo & catholicis Regibus, & noſtris ſociis cordi erat. Omnes nequidquam aditus tentati ad illas gentes Chriſto, Regique Hiſpano adjungendas. Ut cætera taceam, Patres Nicolaus Maſcardi, & Joſephus Quillelmo, iſtic religionis ſanctæ impigri Doctores, ab efferatis immorigeriſque diſcipulis necati ſunt. Nihil territi hac barbarorum ferocitate noſtri tum Chilenſes, tum Paraquarienſes Socii nullum non moverunt lapidem, ut extremos illos meridionalis Americæ an-

gulos Evangelica Luce collustrarent, sed irrito semper conatu, ac nullo prope operæ pretio, nisi immortalis gloriæ, quam Apostolica sibi magnanimitate, invictaque semper laborum tolerantia promeruere. Nam ardua vel tentasse, fructus licet optatus haud respondeat, nunquam non honorificum putabatur. Anno 1745. a Philippo quinto Rege navis, cui a sancto Antonio nomen, Gadibus in Paraquariam expedita est hunc in finem, ut litora Magallanica, terræque illis finitimæ omni cum solertia inspicerentur. Si quis portus, vel statio opportuna offerret sese, adversus exteros hostes communiretur illico. Si quæ barbarorum Stativa detegerentur, colonia illis, ac religionis schola concederetur. Quapropter Jesuitæ tres ad expeditionem periculi plenissimam a Rege destinati: Pater Josephus Quiroga matheseos, rerumque maritimarum scientia clarus ab ipsa Matritensi aula designatus. Pater Josephus Cardiel, & Pater Matthias Strobl amborum antistes, linquarum, quarum istic usus est, gnarus. Navi summa cum potestate præfuit Joachimus de Olivares Gaditanus. Gubernatores navis (Pilotos vocamus) Didacus Varela Cantaber, & Basilius Ramirez Hispalensis fuere, in arte nautica versatissimi. E præsidiariis militibus urbis Montevideo 25 delecti sunt ad navis, navigantiumque tutelam, illisque militaris præfectus salvator Martin del Olmo additus. Sublatis in portu Montevideo anchoris decima septima Decembris 1745 navigatum est ut velis vento secundo, sic animis spe plenissimis. Ubi applicandæ ad ripam navis opportunitas oblata, exscensio in terram facta est.

Quidquid usquam terrarum, aquarumve in Conspectum venerat, diligenti oculo lustratum, atque in itineris ephemerides curatissime relatum fuit a Patre Qui-

Quiroga. Hic ſcapha vectus maris portus, ſinus, flumina, lacus, aquarum ſeu altitudinem, ſeu brevitatem, inſulas, ſyrtes, ſcopulos his interjectos, & quidquid Hiſpanorum navigationi porro vel periculoſum, vel commodum videbatur, ſagaciter exploravit, adnotavitque quotidie. Patres Strobl, & Cardiel interea pedeſtri itinere in varias diviſi vias cum militum aliquot comitatu remotiores a litore campos percurſarunt, illorum naturam, &, ſi quod habitationis humanæ ſeu indicium, ſeu opportunitas uſpiam ſe proderet, ſolertiſſime ſpeculabantur, hoc fine arduis ſæpe montibus conſcenſis. Non raro multas a litore, ac ſociis leucas receſſerant detegendorum Indorum ſpe ducti maxime, poſtquam in ſepulchrum incidêre, ubi binarum mulierum, virique unius corpora necdum putrida deprehenderant. Circa ſepulchrum, tugurii in morem ſtructum, tectumque ſex hinc vexilla lanea varii coloris, inde quinque equi ſtipitibus altis affixi pendebant. Cadavera ſingula ſingulis e lana tapetibus involuta, fœminæ unius caput lamina, inauribusque ex aurichalco ornatum; E quibus indiciis hoc loco ſepultos Indos Puelches fuiſſe, plerique arguerunt. Nemo omnium fuit, qui lætitia non geſtiret, quod barbarorum tuguria haud multum jam abeſſe putarentur. Verum ante victoriam triumphum cecinere, de conjecturæ vanitate mox edocti. Pater enim Strobl ad quatuor leucas progreſſus, cum nec hominem, nec humanæ habitationis veſtigium deprehendiſſet, ſpe omni abjecta per militem Patrem Cardiel longius diſtantem ad ſe accerſit. Huic leucas permultas emenſo, & tanta ambulatione fracto: Prudentiæ legibus, ait, contrarium ſibi videri, cæptum iter porro proſequi; Timendum ſane eſſe, ne numeroſa equitum barborum turma occurrat, cui non niſi pauculos, ac viribus

exhaustos pedites queat opponere, haud dubie internecione delendos. In religionis negotio occumbere sibi equidem in votis dudum fuisse; sed vitas alienas in tantum discrimen conjicere, se nec velle, nec posse. Absit hoc periculum, absint hostes, consumptis jamjam cibariis, continuatoque itinere & sibi & sociis inedia pereundum esse. Hæc Pater Strobl pro suo officio providenter suggessit. Pater Cardiel ad omnia semper intrepidus, qui nec futura pericula suspicari, nec præsentia timere consuevit, reditum dissuadet, ulterius urget iter, propinquas esse barbarorum habitationes contendit hoc potissimum argumento, quod canem albicantis pili suos pertinaciter allatrantem viderit, qui subinde diffugit ad suum, utiquidem credi potest, properans herum. Verum his nequidquam oppositis ambo Patres suis cum comitibus ad navem rediere. Hic re prudenter discussa, navis etiam præfectis omnibus consultis ea demum lata est sententia: liceat Patri Cardiel, illud avide cupienti, iter repetere hac tamen lege, ut cum quatuor & triginta tum militibus, tum nautis, qui quidem ultro se sequi voluerint, & annona ad octiduum his suffectura instructus proficiscatur. Vigesima Februarii iter cæptum. Quotidie septem circiter leucæ confectæ. Plerumque per semitam angustam Indorum, sed jam pene oblitteratam ambulatum. Aqua poculenta passim in promptu fuit. Præter struthiones, & huanacos (animalia cervo affinia cum Cameli Gibbo) aliquot nil ferarum usquam videbatur. Quarto itineris die sub Vesperum Collem editiorem conspicati sunt, e cujus vertice campus detegebatur, arborum, graminisque omnino expers. Frigus nocturnum omnibus visum intolerabile; quamvis enim præsto essent ad alendum focum virgulta, dum igni admotum caleret latus alterum, alterum vento gelidissimo obver-

sum

ſum conglaciari videbatur. Neque id mirum, ſi Cœli plagam, ſub qua verſati ſunt, animadvertas. E ſinu enim S. Juliani, qui in 49 gradu, & 12 minuto latitudinis ſitus eſt, iter ingreſſi fuere occidentem ſolem verſus aliquamdiu profecti, unde nivoſis ex alpibus chilenſium vicinorum aſperrimi adſpirant venti. Hæc inter frigora animi militum in dies magis, magisque incaleſcere, corpora tamen deficere ſenſim fatiſcereque obſervabantur. Multi illorum, attritis viarum aſperitate calceis, nudis jam pedibus, non pauci etiam ſauciatis reptârunt. Pater Cardiel, animos omnibus inſpirare ſolitus, nephriticis primum doloribus, mox pedum debilitate tanta excruciabatur, ut, niſi grallis ſuffultus, ne greſſum quidem figere poſſet. His tamen omnibus ardens barbarorum ſtativa detegendi cupiditas minime refrixit. Omnia nobis poſſe videmur, quæ impenſe volumus. Verum annona octiduano duntaxat itineri deſtinata, ac per quinque dies itineris magna jam ex parte conſumpta acceleratum reditum ad navem imperavit. Quidni modeſte ſubriſerit Matthias Strobl, dum heroes audaculos vacuis manibus, pedibusque miſere mulctatis redeuntes ſua ex expedltione conſpexit, quâ oleum & operam perdi dudum præſenſerat. Is tamen Calamitoſæ profectionis fructus exſtitit, quod evidenti oculorum experimento conſtaret denique, barbarorum contubernia a mari longiſſime abeſſe; Terrarum litori accubantium immenſos tractus ne habitari quidem poſſe, quia vel aqua dulci, vel gramine, vel arboribus, vel hls omnibus nudas adeo, ut præter paucos ſtruthiones, & huanacos vix aliud feræ genus iſtic deprehendas. Ex quo palam fit, ſemitam illam, quam Cardiel viderat, humanis pedibus tritam, tria item cadavera, & equos Indorum fuiſſe, qui Chilenſi e territorio, quod equis abundat, ad ſalem illis

ex salinis asportandum venerint, eorumque aliquot, fors aquæ poculentæ penuria, aliove subiti morbi genere extinctos, itineri immortuos esse. Circumspectis itaque omnibus cum coloniæ pro Indis, munitionisque pro Hispanis erigendæ opportunitas deesset, concordi omnium sententia de reditu cogitatum ita tamen, ut redeuntes facta iterum iterumque exscensione ea loca diligenter perlustrarent, quæ in itu non potuêre. Quarta demum Aprilis vergente in occasum sole in Boniaeris portu anchoras jecerunt, per mare, si quod aliud, procellosissimum sæpe, multumque periclitati, omnia, quæ ad complendas Regis voluntates facere videbantur, quam curatissime speculati, navigatione in quartum omnino mensem protracta. Nam 52 gradum 28 minutum latitudinis attigerant, unde ipsum fretum Magallanicum 14 duntaxat leucas abest Et vero verissime dici potest, neminem eorum, qui arduæ huic navigationi intererant, partibus suis defuisse; omnes qua agendo, qua patiendo durissima quæque egregium Regi suo obsequium præstitisse, e quo ingentes in patriam ipsam utilitates redundarent aliquando Quotidianæ equidem litorum, portuumque observationes, quas Josephus Quiroga & fecerat, & calamo expresserat, mox typis Matritensibus vulgatas, rerum præcipuarum iconibus æri incisis, maximo sane erunt usui Hispanis per hoc mare adeo turbulentum posthac navigaturis. Incredibile enim, quot erroribus scateant tabulæ, relationesque nauticæ, ab exteris olim in lucem editæ, qui Magallanicum mare fugientium instar transiêre, atque adeo res maximi momenti obiter duntaxat, & ut ajunt, per transennam obseruaverant, vel solam earum superficiem adnotaverant, cortice contenti, nucleo neglecto. Istorum errores passim refellit Quiroga oculorum testimonio fretus, industriisque, queis ute-

utebatur, confiſus. Iſtius ephemerides Matriti Hiſpanica lingua editas Ulyſſipone claſſem abituram præſtolatus in latinam traduxi. Illas hiſtoriæ Paraquaricæ Xaverii Charlevoix inſertas habes; In ejusdem traductione germanica, quæ lucem vidit, paſſim corruptæ, ac mutilatæ ſunt, uti multa alia, quæ in eadem toto cœlo ab authoris Galli mente aberrant. Corollarii loco accipe: P. Joſephus Cardiel, cum navali, pedeſtrique itinere illos Magallanicæ terræ barbaros haud invenerit, ad illos quærendos equeſtre iter terra ſuſcepit, ſociis aliquot ſibi adjunctis. Sed caſſus perinde, ut prior, labor ejus fuit. Multum, diuque per illas camporum ſolitudines peregrinatus conſumpta jam, quam attulerat, annona in eas redactus eſt anguſtias, ut ferarum more, nî mori mallet inediâ, Gramine veſceretur. Fames extrema claſſicum fuit, quo in urbem Boni aeris revocabatur, rebus quidem infectis, ſed ob inſignem tolerantiam, magnimitatem, Apoſtolicumque ardorem admiratione, imitationeque digniſſimus. Mocobiis quoque, Abiponibus, & diutiſſime Quaraniis populis operam navavit, immortali Petro de Zevallos non abs re percharus.

Anno 1765 mercatoria navis ingens, cui a conceptione nomen fuit, quæque merces aliquot millionum pretio æſtimatas vehebat Limenſi portui Callao deſtinata, in litore inſulæ ignis (la ysla del fuego) Vadis illiſa periit. Homines ſcaphâ in inſulam evaſerant feliciter, navi ſenſim fluctibus hauſtâ. Annonæ portio aliqua, tormenta, aliaque ad vitam ſervandam neceſſaria ex fatiſcente navi providenter aſportata ſunt. A' naufragis Hiſpanis vicinus mari collis occupatus, ac machinis bellicis neſcio, quot, munitus eſt. His exploſis Indorum, qui inſulam habitant,

tant, accurrentium agmen eminus ſpectabatur. Toto nudi corpore ventrem utraque manu ſinguli fricuêre. Exploſo rurſus tormento humi procubuêre omnes, neque tamen a fricandis ventribus deſtiterant. Ridicula hæc barbarorum actio ſuſpenſos tenuit Hiſpanorum animos, num amicitiæ, num belli apud illos ſignum eſſet, ignorantium. Cumque illorum linguam nemo calleret, blandis vocibus, amicis nutibus, monſtratis munuſculis allecti, & ut poſito metu accederent, invitati appropinquârunt denique Hiſpanorum ſtationi, ventris tamen fricatione nunquam interrupta; Qua conſuetudine moti Hiſpani, hos barbaros jam *Raſcabarrigas* appellant, quod ventris fricatores ſignificat. Ad cicurandos, demulcendosque inſularium animos telæ elegantes, Cibaria, munuſcula varia porrecta ſunt, ſed præter globulorum vitreorum faſciculos ab iis acceptatum eſt nihil, fraudes, neſcio quas, advenarum forte ſuſpicantibus, cæterum pacatis, placidisque, ut adeo citra noxæ, inſidiarumve hoſtilium formidinem Hiſpani inter illos verſarentur, de ratione ſolum, occaſioneque ad ſuos quamprimum renavigandi ſolliciti. Fixum illis erat pro modulo ſuo, ac naufragorum numero naviculam fabricari. Hinc omnium nomine conceptis verbis Deo voverunt: ſi incolumes portum Montevideo attigerint, ſe illam naviculam ſacris Divi Franciſci Aſſiſiatis ædibus illic dono daturos, quo ſcilicet deprecatore eam ſibi felicitatem a ſupremo Numine flagitabant. Arbores navis fabricæ idoneas inſula paſſim obtulerat. Neque fabri, neque ad ſcindendas tabulas inſtrumenta deſiderabantur. Ipſi Indi, quo loco ligna ſeu duriora, ſeu latiora ſuppeterent, fideliter indicarunt, quin & voluntate quam utilitate majori in ſecandis, dividendisque trabibus adjumento fuere Hiſpanis, ſed ad ternos, quaternosve ſecuris ictus, vel

ſerræ

ſerræ ductus fatigati receſſerunt, operi faciundo ſcilicet nunquam aſſueti. Indorum ſegnitiem Hiſpanorum ſedulitas ſupplevit, patrio quippe ſolo inhiantium. Prompta, parataque omnia. Clavi ferrei ad navis compagem firmandam defuere. Sed en! dum mare de more æſtuans varias ex ſubmerſa jam navi ciſtas in litus evomeret, illas inter una reperta eſt clavis neceſſariis plena; Quod quidem eximium propitii Numinis beneficium interpretati ſunt omnes. Aliqua, quæ ad navalem ſupellectilem pertinent, ex navi pereunte providenter extracta magno uſui fuerunt. His ſubſidiis ſuprema demum manus navigiolo eſt impoſita, quo millenas circiter timendi ſemper æquoris leucas, nec pauciora pericula feliciter emenſi portum urbis Montevideo Soſpites attigerunt denique. Felices ſibi utique videbantur vel eo nomine, quod navi, mercibusque amiſſis vitam ſervarint, maritimos inter fluctus, ac barbarorum inſularium in contubernio ſemper illæſam. Quod mirandum ſane, cum iidem Indi olim ſeptemdecim Batavos nil ſibi noxios diriſſime contrucidaverint, diſcerpſerint, ac binos illorum devorarint, qui Scapha ad contemplandam inſulam ignis miſſi a ſupremo Navarcho Jacobo l'Heremite claſſis Batavæ, authoritate Principis Mauritii Naſſavienſis ad fretum Magallanicum, aliasque orbis plagas anno 1623 expeditæ, cujus itineris commentarium in opere, cui titulus: *Hiſtoria antipodum*, a Joanne Ludovico Gottfriedt edito, typisque dato Francofurti anno 1655, invenies. Hæc omnia, quæ de Hiſpanorum naufragio, ac navigationes ſcripſi, a ſene cantabro navis demerſæ fabro, periculorum omnium ſocio, ac navis, quæ in illa inſula condita fuit, architecto relata ſunt in urbe ſanctæ fidei. Anno 1758 me in Boniaeris urbe cum ſociis navigationem in Europam expectante navis ad Inſulam ignis cum duobus mo-

monachis ſacerdotibus ex illo portu ſolvit, qui rebus omnibus ex Regio ærario liberaliter inſtructi in inſula memorata ſedem figere, incoláſque religionem docere jubebantur; Verum, re infecta, eadem navi ad Boniaeris portum haud multo poſt rediere. Quid iſtic actum, tentatumve fuerit, quæ cauſæ accelerati reditus exſtiterint, haud ſcio. Genitus tamen audivi Hiſpanorum nobiliorum, Jeſuitas ſibi ad hanc maximi momenti expeditionem peroptantium; Hi equidem eodem anno ad Europam (cauſam novit Deus) remiſſi fuere. Succedentibus forte annis cordi fuit Hiſpanis illam ignis inſulam ſubigere, ac erudire, quæ inſulæ Maloinæ in gradu 51. 30 minut. latitudinis Auſtralis & 60 grad. 50 minut. longitudinis occidentalis a meridiano Pariſienſi ſitæ propinqua. Iſta ab urbe Britanniæ minoris ſancti Maclovii, vulgo St. Malò nomen ſortita, opera, ſumptibus Ludovici Antonii de Bougainville peditatus tunc Tribuni (cujus ſæpe memini) & Dominorum de Nerville, ac de Arboulin illius cognatorum occupata, familiisque Acadienſibus Chriſtianiſſimi Regis, laborisque amantibus, qui illam excolerent, tradita anno 1763, vel quod probabilius, 64. Triennio poſt anno ſcilicet 1767 octingentis (ſic in nrbe Boniaeris tunc ajebant) ſcutorum Hiſpanicorum millibus Catholico Regi Carolo tertio vendita fuit, qui hanc exterorum coloniam, opulentiſſimis auro, argentoque provinciis Peruvianæ, ac Chilenſi vicinam, ſi quando diſſuta Hiſpanorum, gallorumque amicitia bellum impendéret, Monarchiæ ſuæ periculoſam exiſtimavit. Familiis Gallicis in Europam translatis Hiſpani habitatores ſuffecti ſunt tales plerique, qui criminum rei vel carcere, vel ſupplicio dignos ſe reddidêre. Vix erit unus omnium, qui carcerem, mortemve celerem præ inſulæ hujus quotidianis, diuturnisque calamitatibus ſibi non præoptaret.

ret. Illi gubernandæ Philippus Ruizius Puente navis bellicæ *la liebre* (leporis) Gubernator deſignatus, qui incolas novos, bellicam ſupellectilem, annonamque advexerat. Comes illi iverat alia navis bellica *la Eſmeralda* (ſmaragdus) dicta, a Matthæo Collao gubernata. Idem navarchus (vir & optimus, & nauticæ peritiſſimus, licet in nautas aliquando rigidior) eadem navi ex Maloina inſula ad portum Montevideo redux me cum 152 ſociis in Europam transportavit. Nerville Gallum præfectura infelicis illius inſulæ defunctum nobiscum habuimus, ex quo, uti & ex Hiſpanis, qui ibi verſati ſunt, pleraque didici, quæ de hoc argumento conſcripſi.

Infelicem perquam meditate voco inſulam, inſulis fortunatis licet a Gallis quibusdam par jactetur; Neque id mirum cuiquam videatur. Laudamus enim venales, quas extrudere volumus, merces. Audi, quæ ex idoneis authoribus de Maloina inſula accepi. Nec ab Indis, neque a feris quadrupedibus habitari unquam potuit, rerum omnium, quæ ad vitam tolerandam pertinent, omnino expers. Juncos paluſtres pro arboribus, muſcum pro gramine, paludem, limumque pro terra, frigus rigidiſſimum ſemper pro aere, noctem fere perpetuam, nebulas, caliginem pro ſole offert habitatoribus novis. Dies enim longiſſima pauciſſimarum hararum eſt. Furentibus Auſtris, quippe polo antarctico propinqua, turbinibus ſæviſſimis, tempeſtatibusque horret plerumque. Gelu, continuis fere nivibus ſociatum, eo intolerabilius, quod in tota, quæ quidem minime ampla eſt, inſula nihil ligni ſeu ad focum alendum, ſeu ad condendum tugurium usquam ſuppetat, niſi navi ex inſula ignis non ſine periculo adferatur. Navis la Eſmeralda nivibus ſemper tecta illo in portu ſteterat, ut

nautæ

nautæ Hiſpani mihi affirmabant, fatebanturque ſibi, tanto e frigore congelaſſe manus, ut, niſi vini cremati crebro hauſtu incaluiſſent identidem, funibus tractandis, & quibusvis demum, quæ navis offert, functionibus impares ſe viderent. Capræ, quas Galli attulerant, pabuli ſeu penuria, ſeu noxio ſucco confeſtim enectæ omnes. Triticum, quod iidem in ſolo ſcilicet uliginoſo ſeminarunt, nunquam ad maturitatem pervenit, quin culmo ſemper curtiſſimo vix in ſpicam pubeſcentem adolevit. Hinc commeatu Europæo jam jam conſumpto frequens eſuries miſeriis cæteris ſæpe acceſſit. Annonæ ſupplementum volucres aquatiles fuerunt. Cygni referunt aliquam ſimilitudinem, ſed majores, nam librarum duodecim pondus ſæpe æquant. A Gallis D'outarde, a Batavis Anglisque Pinguins, vel Penguines dicuntur. Panis loco nitratus pulvis, glandesque plumbeæ Gallis militibus, cæterisque dabantur, ut illis aves, avibus famen mactarent. Hæ quamvis ſub Gallorum adventum maximo eſſent numero, quotidianis tamen Sclo·porum ictibus partim conſumptæ, partim fugatæ ſunt adeo, ut ſuccedentes Gallis Hiſpani hoc etiam ſteriliſſimæ inſulæ unico beneficio deſtituerentur. Utilem nihilominus illis hanc eſſe inſulam, licet habitatoribus calamitoſam, fateamur, neceſſe eſt, quod navibus tempeſtate jactatis perfugium, portumque claſſi non maximæ parem, & aquandi opportunitatem offerat. Loca aggreſſioni, exſcenſionive hoſtili opportuna aggere, ſuggeſtuque tormentario munita fuerunt. Paucis præſidiariis Antonius Catáni peditum id temporis tribunus præficiebatur. Id monitum te velim, lector, dari & aliam inſulam Maloinam illi, de qua mihi ſermo fuit, vicinam, quam annis abhinc non multis Angli poſſident, ac Falkiandiam appellant. Hanc Boniaeris Gubernator Franciſcus de Paula

Bucca-

Buccareli circa annum ſeptuageſimum labentis ſeculi occupari, ſed paulo poſt Anglis, Rege Catholico jubente, reſtitui curavit, ne ex parva ſcintilla ingens bellum exardeſceret. At hem! de vaſtatis Paraquariæ oppidis diſſerens Magallanicas in terras me abripi paſſus ſum. Fateor equidem longiuſculam fuiſſe digreſſionem, ſed ſpontaneam, nec inutilem. Viſum enim mihi eſt res illas commentariis meis inſpergere data occaſione, quarum obviis in hiſtoriis nulla fit mentio. Sed jam in viam redeamus.

Infiniti temporis, laboriſque negotium foret, ſi ſingula, quæ per omnem Paraquariam everſa ſunt, Indorum oppida, everſionis cauſas, tempora commemorarem. Idem, quod de Troja, repeti poteſt de multis coloniis Paraquariæ: Nunc ager, aut ſylva eſt, ubi templa, domusque ſtetere. Oppida quadringentis plura, quæ deſtructam hodie Tucumaniæ urbem Quadalcazar olim circumſteterant, penitus intercidiſſe, ex annalibus liquet. Intra limites urbium Cordubæ, Riojæ, ſancti Jacobi, S. Michaelis Tucumaniæ, Correntinæ, & Aſſumptionis innumeræ, prope dicam, Indorum coloniæ interierunt. Pauciſſimæ, quæ ſuperſunt, oppidorum umbræ ſunt, pauculis, & fere miſeris incolis, quia Hiſpanorum privatorum ſervituti mancipatis, conſtant. De re mihi toties viſa loquor. Nam provinciam illam iterum, iterumque peragrans & oppidorum adhuc ſuperſtitum incredibilem omni ex parte miſeriam, & everſorum rudera hisce oculis ſpectavi. Vaſtitatem, quæ multis Quaraniorum noſtrorum oppidis per Mammalucos, Braſiliæ incolas, quondam illata eſt, priusquam enarrem, ſine me aliqua præfari. Primi ex Hiſpania advenæ milites terras, genteſque Paranæ, & Paraquayi litoribus dutaxat propiores ſibi ſubdide-

re; Ad remotiores conquirendas non animi, ſed copiæ illis deerant. Evangelica luce per Seraphicos potiſſimum patres Quaranii non pauci illuſtrati, & in coloniis, ſi res tulit, locati ſunt. Divus Franciſcus Solanus, & Ludovicus Bolaños eximia virtute clariſſimus, noſtriſque hominibus peramice familiaris apoſtolicis ea ætate expeditionibus eminuerunt maxime, ambo Seraphicæ familiæ, Paraquariæque lumina; ſed ſociis ſui ſimilibus, ſucceſſoribusque deſtituti tantæ, quæ ad manum erat, meſſi impares. Infinita ſiquidem Quaraniorum multitudo intra ſylvarum, litorumque receſſus latitabat paucis tunc Hiſpanis, quoties poterat, infeſta, ſemper formidabilis, ac periculoſa. Anno 1610 Ferdinandus Arias Aſſumptionis una, una Boni aeris gubernator ſtrenuus cum numeroſo militum agmine ad expugnandos Uruquayi accolas Quaranios excurrit, ſed illorum & numero & truculenta atrocitate perculſus, deque victoria deſperans in urbem ſe recepit. Eadem ſæpius alibi ab aliis gubernatoribus infeliciter tentata eſt alea. Non ignivomis militum armis, ſed ſuavi patrum eloquentia, amore ſcilicet, non timore vinci poterant Quaranii. Eventus id docuit. Eodem anno equidem Pater Marcellus Lorenzana Hiſpanus collegii noſtri in principe Aſſumptionis urbe tunc Rector a Quaraniis Paraquayum inter & Paranam turmatim palantibus id demum impetravit, ut in amplo, quod divi Ignatii Loyolæ nomine inſignitum, iis condiderat, oppido ſacra romana amplecterentur, cumque Hiſpanis amicitiam inirent. Oppidum floret etiamnum. Rectius dicam, floruit nobis Europam repetentibus. Quid enim poſt noſtrum abitum acciderit, haud mihi exploratum. Sub idem prope tempus ſocii noſtri patres Joſephus Cataldino, Simon Mazzeta Itali, Antonius Ruiz de Montoya Hiſpa-

nus

nus Americanus, & qui annis ſuccedentibus ſuppetias venerant, patres Rochus Gonzalez Hiſpanus Paraquarienſis, Petrus Romero, Didacus Boroa &c. heroo omnes ſpiritu, Apoſtolicisque virtutibus inſignes tum provinciam Quayram, tum Uruquayum flumen verſus inacceſſas Hiſpano militi montium, nemorumque latebras excuſſere, ubi multa Quaraniorum millia detecta, & conditis, ubi poterant, coloniis collecta Deo, Regique catholico adiuncta fuerunt. Proſperas ſociorum noſtrorum Quaranios inter expeditiones juſtis voluminibus hiſtorici dudum complexi ſunt.

Rapidiſſimos hos rei chriſtianæ progreſſus Mammaluci e vicina Braſilia, maxime ex S. Pauli oppido irrepentes tantum non ſtiterunt, certe miſerabilem in modum retardarunt. Mammaluci colluvies ſunt ex Luſitanis, Batavis, Gallis, Italis, Germanis, fœminisque Braſilis prognata, bombardæ uſu, latrocinandi dexteritate celebris, & ad quidquid audendum projecta, atque inde Mammalucorum peregrino nomine olim inſignita. Maffeo enim teſte, folio 69 hiſtoriæ Indiarum. *Mammaluci, Ægypti robora, milites optimi*; Juxta alios: ſclavi Soldani Ægypti fuere. Hos vero iſtorum in Braſilia nomine appellatos Mammalucos *orci ſatellites* cum Paulo tertio ſummo Pontifice citra injuriam dixerimus, quippe quorum inſtitutum fuerat, Indos in libertatem filiorum Dei a patribus aſſertos in diriſſimam ſervitutem abripere. Repetitis per annos plurimos illorum incurſionibus everſa oppida: Aſſumptionis in ỹyuỹ. Omnium ſanctorum in Caarõ. SS. Apoſtolorum in Caazapaquazù. S. Chriſtophori in oppoſito litore ỹgaỹ. S. Joachimi ibidem. S. Barbaræ in ripa occidentali Paraquaỹ. S. Caroli in Caapi. Harum coloniarum

 in-

incolæ Quaranii, paucos, qui fuga evaſerant, ſi demas, catenis, funibus vincti in Braſiliam pecorum inſtar gregatim abducti, ad æternos in ſacchari, mandiocæ, Goſſipii, foſſarum mineralium, tabacæ officinis labores damnati fuere. Proles lactentes, quod iter retardarent, ac oneri eſſent, matrum e ſinu avulſæ, crudeliterque per viam ſolo alliſæ ſunt. Senio, morboue imbecilliores jam ferro, jam plumbo necati, quia impares diutinæ profectioni. Incolumes alii, ne tenebris ad fugam abuterentur, noctu in paratos ſcrobes conjecti ſæpe. Multi inedia, itinerisve ad multa leucarum ſpatia producti moleſtia per viam occubuere. In hoc Indorum venatu jam vi aperta, ut lupi, jam aſtutia, ut vulpes, uſi ſunt; utrobique crudeliſſimi. Plerumque, dum collectus in templo ſub divinis populus, in oppida longo agmine irruebant, viis, angulisque omnibus obſidione clauſis, ne ullus miſeris pateret effugii locus. Inde conſuetudinis, quæ ſemper dein apud nos viguit, origo, & veluti lex, ut Indi Quaranii omnes vel haſta, vel ſagittis armati templo interſint, ne ſubita Braſilienſium latronum aggreſſione inermes opprimantur deinceps. Sæpe Jeſuitas mentiti, illorum more roſariis, crucibus, toga nigra inſignes Indorum, queis externa ſpecie deceptis nil doli ſuboluit, agmina per ſylvas collegerunt, Oppida complura Mammalucorum inſidiis obnoxia, uti lauretanum, & S. Ignatii &c. tutiora in loca plurium menſium itinere, incredibili & patrum, & Indorum labore translata ſunt. Neque noſtris Chiquitorum, Moxorumque coloniis, neque aliis, quæ Hiſpanorum in territorio a ſacerdotibus ſecularibus, monachisque procurabantur, Mammaluci pepercerunt. Oppida Indorum ad ripas yeyuy in Curuquatenſi territorio ſtabilita, ſcilicet Mbaracayù, Terecany, cande-

delaria, & ybirapariyara, ut plura alia taceam, a Mammalucis omnino deſtructa fuere. Eodem prope fato Hiſpanorum urbes Xerez, Quayra, (ciudad real) & Villarica &c. deſierunt. Illatas Paraquariæ ſtrages ecquis tandem enumeret ſingulas? Vaſti id materies voluminis foret; quin immo fuit pluribus. Enim vero quisquis unquam de Paraquariæ rebus ſcripſerat, tragica Mammalucorum hiſtoria ingentes paginas implevit, & cum ſcripſerit multa, plura tacuiſſe videtur. Hoc equidem bellum, quod per tot annos, tanta virium contentione crudeles Mammaluci, ferro, plumboque armati Quaraniis prope nudis, ac inermibus, certe ſolo ligno tunc repugnantibus moverunt, & diuturnitate temporis, & cæſorum, captorumque Indorum numero cum maximis Europæ bellis conferri poteſt, quin & aliqua ratione iis præferri. Audi, ſi ſine horrore potes, quid literæ ædificantes, & curioſæ recenſione 25 hoc de argumento dicant. *Aſſeritur*, ajunt, *quod prope incredibile, a Mammalucis Braſiliæ* 130 *annorum ſpatio duos Indorum milliones cæſos, vel in captivitatem abreptos; Et plus, quam mille regionis leucas ad Amazonum flumen usque incolis exhauſtas fuiſſe. Ex literis authenticis* (ſunt a Rege Catholico — — 1639 anno, 16 Septemb. datæ) *conſtat, uno quinquennio trecenta Indorum Paraquarienſium millia abducta fuiſſe in Braſiliam.* Petrus de Avila Boniaeris Gubernator anno 1639. 12 Octobris ſcripto teſtatus eſt: Se vidente in urbe Braſiliæ fluminis S. Januarii (Rio de jeneiro) Indos a Paulopolitanis palam fuiſſe venditos; Et ab anno 1628 usque ad annum 1630 in ſola hac urbe ſexaginta Indorum millia vendita fuiſſe. Ex hoc facilis eſt conjectura, in aliis Braſiliæ locis multo plura infelicium Quaraniorum millia, quos incolæ Cananeæ &c. aliique Indorum venatores avidiſſimi ceperant, tot annorum ſpatio venumiiſſe.

Verum non ſemper impune tulerunt hanc ſuam rapacitatem. Poſtquam enim, Rege indulgente, Quaraniis arma ignivoma procurata ſunt, iterum iterumque profligati, repulſi, cruentis cladibus fuerant affecti. Memorabilior cæteris, ac prope incredibilis ea fuit victoria, quam quatuor Quaraniorum Neophytorum millia ad fluvium Mbororè, ubi Uruquayo miſcetur, de numeroſa prædonum Braſiliorum claſſe reportârunt. Trecentis lintribus aderant quadringenti Paulopolitani, & bis mille ſeptingenti Tupies, ferociſſimi Braſiliæ barbari illis fœderati. Quaranii Ignatio Abiazù duce, qui gentis illius princeps fuerat, dum quinque navibus obvii hoſtes deſtinato tormenti ictu ſalutant, tres illorum lintres de primunt, Braſilorum compluribus vel proſtratis, vel ſauciatis. Qua ſalutatione inopinata perculſi e lintribus in litus deſiliunt plerique, deſperata navali pugna Quaraniorum aciem per inſidias a tergo adoriuntur. Verum acriter omni ex parte repulſi, paſſim contrucidati ſunt, quin ad unum omnes internecione delendi fuerant, nî nox incumbens & pugnæ, & victoriæ finem impoſuiſſet. Poſtridie hoſtium per ſylvam fugitantium reliquias ferarum inſtar undique inſectati ſunt eo ſucceſſu, ut pauciſſimi ſuperſtites, caſtris, lintribusque amiſſis, trepidantes, nec uno vulnere ſaucii domum properârint. E Quaraniis victoribus tres duntaxat ſub pugnæ initium cæſi, quadraginta vulnerati fuere, ut adeo illuſtrem victoriam propitiis ſuperis, non armis ſuis in acceptis referrent. Quo quidem eventu ſupra omnium vota proſpero Quaranii jam animoſiores a Paulopolitanis porro timeri, ſuſpicique cæperant. Pax, ſecuritasque illis oppidis reddita, res chriſtiana magnis acceſſionibus ubique aucta fuit, quam perpetuæ Mammalucorum incurſiones non perturbarunt modo, ſed prope profligarunt.

Ne-

Neque putes, per calumniam de Brasiliæ incolis ab Hispanis scriptoribus hæc spargi, exaggerarive. Ipse fidelissimus Rex Josephus primus decreto 6 Julii anno 1755 edito, & codici novo juris lusitanici inserto fatetur: Multos milliones Indorum destructos fuisse, & hac ætate pauca superesse Brasiliæ oppida, paucos oppidorum habitatores. Causam hujus adjicit: Quod Indis libertas non sit permissa secundum leges lusitaniæ. Indos declarat liberos. Captivis libertatem jubet restitui &c. Alii quoque pientissimi, qui hunc præcesserant, Hispaniæ, & Lusitaniæ Reges Indorum raptum, venditionem, oppressionem, insectationemque qualemcunque iteratis legibus, acerrimis comminationibus interdixere dudum. Multi provinciarum Gubernatores Regiorum decretorum observationem urgebant, sed raro impetrarunt. Innumeris equidem, qui Indorum captivitate, ac obsequio quæstum faciunt, major opum, quam conscientiæ, vel decori cura est. Regis, quem longe abesse nôrunt, Deique legibus procaciter neglectis Indorum e miseria ditescere procurant, etsi maleparta male dilabi quotidie experiantur, ac præter insignem paupertatem hæreditatis nomine nihil plerique posteris transmittant. Istiusmodi hominum adversus Indos immanitatem vivis, verisque coloribus expressit Regius diu Ulyssipone concionator, mox Brasiliæ Apostolus quatuordecim concionum suarum voluminibus in lucem datis, innumeris barbaris ad religionem traductis clarissimus Pater Antonius Vieira, nostræ tum societatis, dum ob defensam Indorum libertatem ab Indorum insectatoribus e Marañone provincia exturbatus coram Ulyssiponensi aula Regia de hoc argumento verba fecit anno 1662. Hic ejus sermo tomo quarto illius operum Ulyssipone typis datus 1685, lectuque sane dignissimus.

Cum ne Regiis quidem legibus mos gereretur in Brasilia, Indos capiendi, afflictandique nefaria consuetudo Pontificiis, ad Regum preces, minis, atque pœnis erat coercenda. Paulus tertius, Urbanus octavus, & demum Benedictus quartus decimus Apostolico ictos fulmine, a Romanæ Ecclesiæ communione exclusos pronunciârunt illos omnes, qui ausi fuerint Indos in servitutem redigere (verba sunt Romanæ curiæ) vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus, vel filiis separare, rebus suis spoliare, & ad alia loca deducere, & transmittere, aut quomodo libet libertate privare, in servitute retinere, nec non prædicta agentibus consilium, auxilium, & favorem, aut operam quocunque prætextu, & quæsito colore præstare, aut id licitum prædicare, aut docere, aut alias quomodolibet cooperari. Hæc sub excommunicatione latæ sententiæ (a qua non nisi a Romano Pontifice & satisfactione præmissa absolvi possint) interdicuntur in favorem omnium Indorum tam in Paraquariæ, ac Brasiliæ provinciis, ac ad flumen de la Plata, quam in quibusvis aliis regionibus in Indiis occidentalibus, & meridionalibus existentium. Ista trium Pontificum summorum mens, ac, si substantiam attendas, verba sunt. Literæ Pauli tertii ad Cardinalem Taberam Archi-Episcopum Toletanum 23 Maji anno 1537 datæ fuerunt. Urbani octavi bulla, quæ incipit: *Commissum* scripta 22 Aprilis 1639. Authentica cum literis Regii senatus Matritensis, queis bullæ hujus executio mandatur, extabat in tabulario Collegii tunc nostri S. Ignatii in civitate Bonisaeris. Bulla Benedicti quarti decimi ad antistites Brasiliæ, aliarumque lusitani Regis provinciarum expedita extat in bullario Benedicti ejusdem tomo 1. c. 38 Ejus initium est: *Immensæ*. Pontificiæ, Regiæque contra Indorum vexationes literæ ad Hispanos

quo-

quoque corrigendos, terrendosque dirigebantur. Nam & hi, etſi ſegnius aliquanto, Indis capiendis inhiabant olim, vel eorum ſervitute contra Regias leges abuti conſueverunt. Ut ex multis paucula attingam, in urbe ſanctæ Crucis de la Sierra publicæ Indorum nundinæ palam celebratæ; ut alibi ovis cum agno, ſic iſtic mater Inda cum filiolo interdum vendebatur. Ejusdem urbis incolæ Indos venaturi excurrebant frequenter, trucidatis aliis, aliis in Peruvio, vel domi venditis. Incredibile eſt, quam improbo conatu chiquitorum, aliorumque barbarorum colonias a Patre Joſepho Arce, ejusque ſociis inceptas ſeu diſturbare, ſeu remorari perrexerint veriti ſcilicet, ne Indi ſylvicolæ, quos caperent, venderentque, ſibi porro deeſſent. Ex hoc enim Indorum commercio multa quot annis ſcutorum millia collecta; ſed barbari idcirco ab amplectenda religione, mirum quantum, abſterriti. Viderant equidem, ſi Chriſtiani, ſi Hiſpanorum amici fuerint, ſe amiſſa libertate ſervos æternum fore, ac miſeros. Sociis noſtris hunc religionis, quam promotum ibant, obicem acerbiſſime lamentantibus tandem Princeps de ſanto bono Peruvii Prorex exilium, facultatum, dignitatumque jacturam impiis Indorum emptoribus, venditoribusque decreto publico comminatus noxiam Indorum nundinationem ex hoc ſanctæ Crucis territorio exterminavit; utinam & in urbe Quayra (quam la ciudad Real civitatem Regiam appellarunt) Indorum Venatio, vexatioque refrenari potuiſſet! Quanta fuit noſtrorum hominum ſitis in conquirendis per immenſa nemora, Chriſtumque docendis barbaris, tanta erat illorum Hiſpanorum fames propriarum utilitatum, quas ex Indorum mancipatione nequidquam expectaverant, plerumque ad incitas redacti.

In cæteris quoque Paraquariæ urbibus Indos ab heris suis (Encomenderos dicunt) contra Hispaniæ leges duriter habitos, laboribus oppressos fuisse, Hispani historici passim conqueruntur, ipsique vidimus. Indi, miseriam pertæsi, qua qua poterant, ad avita nemorum suorum latibula rediêre; Lules certe, pedestris, frequensque in Chaco natio, a S. Francisco Solano salutaribus olim undis expiati, asperæque incolarum urbis Esteco servituti addicti in suas, quas quondam habitarunt, sylvas refugerunt, unde plurimis post annis a nostro Patre Antonio Machoni sardo reducti, incredibilique labore in Valle buena exculti sunt, atque in hanc diem perseverant in oppido S. Stephani. Locum Miraflores vocant indigenæ. Calchaquies bellicosissimi Hispanis relicti dominis servitutem miseram indignati patria spelæa repetierunt, unde identidem assilientes Tucumaniæ crebras, cruentasque strages intulere. Cives urbis conceptionis ad fluminis rubri ripas ab Indis intolerabili servitute exasperatis internecione deleti sunt. Sylva densissima urbis locum hodie occupat, ruderibus ipsis terra obrutis. Innatus scilicet Indis, quin & feris libertatis amor ad audenda extrema compellit. Hinc servitium illud, ut vulgo dicitur, personale Hispanorum, atque adeo religionem ipsam, quæ illos servos reddiderat, pedibus, manibusque refugiunt barbaræ nationes, ac totis animis aversantur. Jesuitæ, religioni amplificandæ intenti dum libertatem Indorum a Pontificibus, Regibus, legibusque stabilitam vindicare studuerunt, exilio sæpe, sæpe calumniis, contumeliisque pessime mulctati sunt superiore seculo ab illis, queis propriarum utilitatum, quam religionis, Regiæque dominationis augmentum plus cordi fuit. Oppida, quorum incolæ Indi privatis hominibus (Encomenderos) subditi vel dudum extincta sunt,

ut,

ut dixi, vel ad eam miſeriam, paucitatemque habitatorum redacta, ut umbræ oppidorum verius, quam oppida videantur. Dum e contrario oppida 32 Quaraniorum, 10 Chiquitorum, alia minora aliarum nationum, quod incolæ Regium juxta decretum ſoli catholico Monarchæ ſubditi ſint, magnis quotidie habitatorum acceſſionibus locupletata noſtra ſub diſciplina durarunt ſemper, ac floruerunt, quod Gubernatores Regii, Epiſcopique, oculati teſtes, datis toties ad Regem literis, conteſtati fuere. Haud inficior, nulla unquam ætate in Paraquaria, Braſiliaque defuiſſe Hiſpanos, luſitanosque viros divinarum, Regiarumque legum egregie tenaces, qui popularium ſuorum aſperitatem in Indos, avaritiamque execrati nullum non movebant lapidem, ut ſarta, tectaque maneret Indorum libertas, & religio ſancta magnis ſemper paſſibus progrederetur; Verum eheu pauciores illi (Nam neque Hercules contra duos) crudelium multitudini corrigendæ impares ſeſe viderunt, dolueruntque. Facultas illis defuit, voluntas nunquam. Ipſus ego novi Hiſpanos, quos Indorum non heros, ſed patres dicere auſim. Hoc argumentum diffuſius pertractaſſe tibi ſi videar, age, ipſos Paraquariæ hiſtoricos Hiſpanos inſpice, & mox fateberis, me hanc rem obiter duntaxat, ac, ut ajunt, extremis ſolum digitis attigiſſe.

De fluviis, qui chacum provinciam alluunt, per tranſennam injecta eſt mentio. De Parana omnium principe ac ſepulchro, cui ad Boniaeris limites fluminis argentei ſplendidum, ſed inane nomen obtingit, plurima ſane mihi ſcribenda ſuperſunt. In pleriſque, quæ ad ejus fontem, nominisque originem pertinent, hallucinantur hiſtorici. Putant equidem argenteum flumen ex Paraquayo flumine potiſſimum naſci;

nafci; Iftud vero lacui Xarayes primordia debere fua. Aft utrinque toto cœlo aberrant. Nam flumen argenteum re ipfa eft Parana ingens, fluviis Paraquay, Uruquay, aliisque innumeris per viam locupletatus. A' fonte fuo licet remotiffimo ad mare pacificum usque, cui illabitur, immenfa terram fpatia pervagatus, a Quaraniis indigenis nunquam variato nomine *Paranà* appellatur etiamnum, quod verbum rem mari cognatam, vel mari fimilem fignificat. *Parà* enim linqua Quaranica idem eft, quod latinis *Verficolor.* Cum itaque mare pro lucis, venti, fluctuumque ratione alium, aliumque colorem objiciat eminus id fpectantibus, *Para*, & frequentius *Paraquazù* res admodum verficolor ab illis appellatur. Quia igitur Parana flumen tum alvei laxitate, tum vaftiffima aquarum mole fluvios cæteros luculentiffime excellit, & ad pelagi fimilitudinem proxime accedit, *cognatus maris* Paranà honorifice dicitur. Vox enim *Anà* fimilitudinem, vel cognationem exprimit. Anno 1509 Joannes Diaz de folis ex Europa navigans Parana flumen detexit, illudque fuo nomine flumen folis vocavit. Anno 1527 Sebaftianus Gabotus, & Didacus Garzia illud flumen argenteum (rio de la plata) appellarunt, quod apud Indos accolas invenerint aliquot bracteas argenteas, a lufitanis, quos fpoliarunt, e Peruvio allatas, quas tamen Hifpani e fluminis hujus gremio, litoribusve erutas fufpicabantur; Nam poft tria prope fecula nil porro argenti iftic detectum unquam. En! ut magna fæpe nomina ex folis nafcuntur opinionibus, vanisque conjecturis. Magnum hoc, licet argento vacuum, & forfan, ut vulgo putatur, maximum orbis flumen a fuis inde incunabulis Paranæ nomen retinet hodiedum, etfi tot, tantisque, licet fe minoribus, fluviis per decurfum mifceatur. Ad amnem a conchis dictum (las Con-

chas)

chas) qui ab urbe Boniaeris ſex leucas abeſt, ubi ſcopulus inſignior (la punta gorda) aſſurgit, ab Hiſpanis flumen argenteum vocari incipit, poſtquam paulo ante Uruquayum jam fluvio nigro mixtum orientali in litore abſorpſit; Tanta aquarum acceſſione auctus Parana in loco a conchis dicto ad decem admodum leucas latitudinis porrigitur. Hinc naves per Paraquayum, Paranamque delatæ hac in ſtatione, ceu in portu conquieſcunt, exonerantur, onerantnrque denuo ante reditum. Neque enim tuto progrederentur naves minoris formæ, quales ex urbibus Aſſumptionis, Correntina, Quaranicisque ex oppidis venire conſueverunt.

Origo Paranæ fluvii perinde controverſa eſt, ut patria urbs Homeri. Qnidquid de illa ſcribitur, conjecturas inter, ac ſuſpiciones numerato. Hiſpani certe, qui ad ſubdendam ſibi Paraquariam primi aderant, per Paranæ ſeu undas, ſeu ripas quingentarum facile leucarum ſpatio progreſſi ad illius tamen fontem haud perveniſſe dicuntur. Indi Braſilienſes Paranæ originem putant lacum immanem ex Peruvianis alpibus ortum, & fortaſſis illum, qui lacus lauricocha dicitur, urbi Quanuco vicinus in undecimo circiter latitudinis gradu. Ex memorato lacu veriſimilius flumen Amazonum derivant alii, quamvis Indi contendant eodem naſci ex fonte & Amazonum flumen, & Paranam. Verum quis, amabo, in verba juret Indorum? Tot fluvii Peruvianis ex montibus manantes curſum identidem per ambages variant ſuum, aliique cum aliis commiſcentur; Quis in tanto amnium labyrintho Paranam a cæteris ita diſcernat, ut dubitandi locus non relinquatur? Martinus del Barco in poetico ſuo opere Argentina: Paranam gradum duodecimum inter, & tertium decimum lati-

titu-

titudinis oriri affirmat. Quod ſi ita, in confiniis Bahiæ omnium ſanctorum Braſiliæ metropoleos Paranæ cunabula deprehenderemus. Verum hic author hallucinatur in pluribus, ut conſtat; de verbis Hiſpanicis in numeros rhytmicos torquendis plus quam de veritatis cognitione ſollicitus fuiſſe mihi videtur. Ludovicus Bougainville in ſuo: *Voyage autor du monde* aſſerit: Paranam naſci juxta mare Atlanticum ex montibus, qui ſunt verſus Oſt-Nord-Oſt fluminis S. Januarii, indeque procurrere ad occaſum, denique ad Auſtrum. Nil repugno equidem tanto authori, quia reliquis recentiori; Neque tamen citra formidinem illi aſſentior, quia alienis relationibus toties decepto, ut patet ex ſingulis prope paginis, quas de Quaraniorum rebus, oppidisque conſcripſit. Quod de Paranæ ortu, flexibusque affirmat; haud ipſe vidit, ſed ab authoribus, neſcio, an fide dignis? accepit. Paucis: de Paranæ prima origine, quod quidem ſciam, certi, exploratique nihil. Id quod ſane fluminum principi honorificum, quod illius, ut familiarum illuſtriſſimarum primordia, detegi ægerrime poſſint. Illud quoque compertum, hoc flumen tot anfractibus flexuoſum leucas octingentis plures curſu emetiri ſuo, priusquam vaſto gurgite marinis in fluctibus conquieſcat. Longo itinere fluvios complures, amnes innumeros ſibi aſſociat, ſemperque creſcit eundo. Hanc fluviorum accedentium turbam quis enumeret? Memorabo, qui memoriæ occurrant, præcipuos. A' terris ſeptentrionem inter & ortum mediis Paranæ curſum ſequar.

In litore, quod occaſum reſpicit, Paranæ infunduntur fluvii: Ygayry. Ymuncina. Monicy. Amambay. Ygatimy navium mediocrium patiens. Ygurey. Yquairy. Acaray flumen illuſtre, Danubio,

bio, ut quidem Viennæ eſt, haud minus, fors majus etiam. Nam in ipſo litore ſex facile origias altus extra aluvionum tempora a me illum metiente deprehenſus eſt. Alveo fertur laxiſſimo, curſu, quem vix ſentias, tranquillo. Triginta variæ magnitudinis fluvios, quos, ipſus ſæpe transmiſi, per viam haurit, par certe majoribus navibus, ni hinc, atque illinc ſcopulis impediretur, labore fors non maximo tollendis, ac dudum, ſi ingentes navigationis utilitates Hiſpani perſpicerent, ſublatis. Herba enim Paraquarica, qua ſylvæ litoribus his incumbentes abundant, hoc fluvio ad Paranam, inde ad urbem Boniaeris transportari poſſet magno temporis, ſumptuumque compendio. Verum ſurdis canitur fabula. Incolæ egeſtatis, quam laboris ſunt patientiores. Monday', qui ex ſylvis Tarumenſibus prope oppidum S. Joachimi a me tot annos habitatum ſcaturit; Amnium ſubinde majuſculorum Ŷhu', Tarumay', yuquiry', quirahunguay', Cambay' &c. acceſſione mirum in modum auctus ſcaphis par evadit, lintribusque grandioribus, quibus Mammaluci olim, trajecto Parana, per fluvium Monday' irrepſerunt ſæpius ad Quaranios noſtros oppidi Jeſus in vicino Ybaroty' tunc conditi mactandos, capiendosque. Caapivary', Aquapey' arcti, ſed altiſſimi alvei, & ob monſtra aquatilia natantibus pertimeſcendus. Yaquaro', genus eſt tigridis aquatilis, equos ſæpe, mulosque nantes abripit Atingy'. Omnes hi, quos adhuc recenſui, minoris notæ, &, ut ita dîcam, proletarii ſunt fluvii. Aſt jam, dum 27 gradum 43 minutum latitudinis; 318 gradum 57 minutum longitudinis, locum ſcilicet, ubi urbs correntina quieſcit, attigerimus, ſubſiſte tantiſper, oculos, animumque adverte diligenter. Viden', ut magnus Paraquayus, tot fluviorum, quos per iter ſecum abripuit, comitatu tumidus obvio ſibi Maximo

Para-

Paranæ fit ſpolium, unaque nomen, quod geſſerat, illico deperdit! Pelagus enim illud ingens, quod ex utroque flumine commixto repente coaluit, a nemine jam Paraquayus, Parana ab omnibus & Hiſpanis & Indis nuncupatur, quod hic præ illo longe majorem aquarum vim advexerit. Verum easdem intra ripas, eodem alveo ambo licet decurrant flumina, Parana tamen limpidiſſimus turbidas Paraquayi aquas veluti dedignans diu refugit cum illo penitus permiſceri. Certe trium circiter leucarum intervallo utriusque aquas colore, ſaporeque differentes & aſpectu, & guſtatu diſcernas. Sed en! quantum poſſit ſociorum exemplum. Parana paulo ante ad occaſum decurrens Paraquayum ſecutus mutata via Auſtrum verſus flectitur, ad mare ſcilicet fluviorum matrem pie feſtinans. In oppido S. Ferdinandi, & S. Franciſci Regis, quod Abiponibus Yaaucanigis condidimus in occidentali Paranæ ripa, urbi ſcilicet correntinæ adverſa, dum eſſem, canalem ut latum, ſic profundum, longumque obſervavi, rebusque omnibus circumſpectis cepi cogitare, per hunc olim vel Paraquayum ſolum, vel cum Parana jam conjunctum occidentem ſolem verſus decurriſſe; ſed arenis per inſolentem alluvionem iſtic congeſtis viam ſibi novam, veteri impedita, ſibi aperuiſſe demum. Hanc tu ſuſpicionem vanam ſi autumas, mihi quidem veriſimilitudo ſemper videbitur. In territorio ſancti Jacobi de Storea fluvius & dulcis & ſalſus alveum toties hac ratione mutarunt ſuum. Canales illorum veteres, & aliorum fluviorum alibi ſæpius conſpexi. In urbe S. Jacobi divus Franciſcus Solanus ſodalibus ſuis (quos obſervantes vocant) domicilium, templumque nitidum condidit ea ratione, ut illius porta non forum civitatis, ſed campum reſpiceret. Id ægre ferentibus fratribus reſpondit vaticinio clarus archi-

architectus Solanus: Expectarent tantisper. Futurum aliquando, quod nunc futurorum nescii peroptassent. Aliquot post annis fluvius dulcis, qui urbem alluit, alveum mutavit suum. Mutanda fuit civitas. Hac mutata templi porta forum respexit, respicitque etiamnum. Eventus vaticinationi respondit, quam indigenæ Hispani, dum illic essem, mihi retulere. Sed ad Paranam redeundum est.

Illius litus orientale magna ex parte arduum, saxosumque, occidentale e contrario depressum, limosum, & alluvionibus adeo pervium, ut campis, sylvisque quaquaversum submersis navigantibus duntaxat, vel natantibus, nequaquam equitibus, peditibusve transitus isthac pateat. Omnis hæc, quæ trans Paranam occasum spectat, provincia vastissimis, variisque arboribus ad navium, plaustrorumque fabricam aptis, lætis pascuis, campis hinc in planitiem, inde in suaves colliculos excurrentibus abundat, vix tamen uspiam stationem humanis habitationibus, oppidisque stabilibus opportunam invenias ob aquam jam nimiam, jam nullam, vel quod idem mihi est, salsam, amaramque. Quod si Paranæ litoribus inædificaveris coloniam, alluvione proxima, quæ ad binas alicubi leucas protenditur, aquis innatabit; Si duas, ternasve leucas a litore illam removeas, & incolis, & bestiis siti pereundum erit. Fluvii enim cæteri, qui omnes in magni Paranæ amplexus ruunt, tales sunt, ut imbre continuante tumidi omnem late viciniam in paludes convertant, deficiente protinus arescant, vel aquam ne bestiis quidem tolerabilem obtrudant. Hinc in Abiponum coloniis sanctis Hieronymo, Ferdinando, Carolo dicatis, etsi singulæ fluvios ejusmodi in conspectu habuerint, aqua stagnans, putida, tepida, lutulenta, hyrudinibus scatens nobis

potanda fuit ex lacuna ſcilicet, quam equorum, boum, canum, oviumque catervæ frequentabant quotidie, inquinabantque. Per ſexennium talis mihi lympha unicum levandæ ſitis remedium fuit. Putei, qui labore incredibili cavabantur, vel imbre ingruente collapſi ſunt protinus, quia nullis lapidibus ſuffulti, cum ad centum facile leucas lapidem nusquam deprehendas, vel undam multo ſale, ac amaritie aſperſam præbuerunt.

Minoris nominis, incertæque durationis fluvii, qui Paranæ cum Paraquayo jam conjuncto accedunt, ſunt: flumen nigrum, viride, album, rubrum, rio negro, verde, blanco, rubeo, fluvius de Gomez. Atopehenra lauatè, ſeu hoſpitium porcorum aquatilium. Alcaray. Cayman. Embalzado. Rio del Rey, ſeu fluvius Regis, Abiponibus Ychimaye. Malabrigo, Abiponibus Neboquelatèl. Eleyà. Saladillo. Ineſpin, Abiponibus Narahaquem. Rio S. Martini. Salado. Carcaranal. Tortugas fluvius teſtudinum. Matanza. De los arrecifes. Areco. Lujan. De las conchas. Attigimus portum, in quo naves quæ ſeptentrionali, vel orientali ex Paraquaria venerant, ſubſiſtunt periculi metu. Hic equidem Parana tot fluminum acceſſu, ingentis Uruquay, Nigrique fluvii pariter prægrandis ſocietate jam inflatus pelagi faciem refert. Sed hem! dum maris cognatum Parana oſtentat ſe ſe, amiſſo Paranæ nomine hic ſubitò Flumen argenteum incipit vocari. Eccur illud? Num argentum ſuo fovet in ſinu, aut litore uſpiam? Ne micam quidem, ac præter lutum nihil. Uti tamen Scipio a Vaſtata Africa Africanus dictus, eodem ſic jure Paranam ab argento Peruviano, quod hauſtis ſæpe navibus hauſit, argenteum dixeris. Denas hic leucas latus, nedum tamen magnitudine contentus

ſua

ſua reliquos, qui ad occidentem occurrunt, amnes, etſi ignobiliores, ſibi adſciſcit. Memoratu dignior ex illis eſt, quem Hiſpani *Riachuelo* vocant. Hic enim quotidiana maris æſtuantis acceſſione tumidior ſtationem tutam, viamque, qua litori propinquent, ſcaphis præbet (lanchas appellant) quarum maximus per hoc flumen eſt uſus.

Luculentiores, qui orientali ex ripa Paranæ advoluntur, fluvii ſunt, ſi a ſeptentrione incipias: Añemby̆. Parana panè. Quibay̆. Y̆quazu e Braſilia oriundus, per quem ſæpe Mammaluci, Quaranicas prædaturi gentes olim venerant. Fluvius hic non contemnendæ molis, lemborumque majorum patiens. Quatuor a Paranæ ripa leucas emenſis Cataracta occurrit. Triginta ulnas alta, ex qua formidabili cum murmure fluvius præceps gradatim devolvitur, tanta aquarum copia reſiliente, ut ſpiſſus vapor nubis inſtar illi loco incubans a quatuor jam leucis ſemper videatur. Hac in vicinia nullos commorari piſces, ajunt, immani ſcilicet aquarum ſtrepitu territos. Navigantes, cum Cataractæ (Hanc Hiſpani *Salto*, Quaranii *Y̆tù*, ſeu aquam per ſaxa venientem appellant) tranſitus inſuperabilis ſit omnino, terra iter faciunt, lintresque manibus trahunt aliquamdiu. Tribus a Cataracta leucis fluvius leucæ unius latitudinem retinet. Ex quo conjice, illum jure Y̆quazu fluvium grandem nuncupari Ybiraytў. Yabebiry̆ oppidis Quaranicis S. Ignatii miri, & virginis Lauretanæ intercedit, anguſtus ſed multi gurgitis. S. Ambroſii. Rio de los Aſtores. Fluvius S. Luciæ. Per ultimos hos fluvios Payaquas piratas crudeliſſimos ad vaſtanda Hiſpanorum prædia, incolasque trucidandos irrepſiſſe frequentius novimus. Fluvius corrientes mediocribus adnumerandus. Oritur

 e vi-

è vicino lacu ўberà, quem olim lacum de los Caracaras appellarunt. Dicitur is lacus quadraginta circiter milliaria longus, ſed latitudinis exiquæ, variæque. Plures inſulæ, quas complectitur, Indorum ex oppidis transfugarum latibula ſunt noſtra ætate, & proxime lapſo ſeculo illas inſediſſe ſcribunt Caracaras Indos Hiſpanis mire perniciofos, ac prope inexpugnabiles. Jubente tamen Boniaeris Gubernatore, Joanne de Garay duce a Quaraniorum noſtrorum agmine oppugnati, expugnatique feliciter ſunt, hoſtium plerisque omnibus vel cæſis, vel captis, poſtquam inſulas ſingulas pertinaciter tuiti eſſent. Hæc victoria num chriſtianis Quaraniis glorioſior, an Hiſpanis utilior fuerit, haud ſcio. Audi reliquorum, qui Paranæ hic miſcentur, fluviorum nomina. Quanquilarò. Eſpinoſa. Alcaràz. Hernand Arias. Pardia, Rio de los Charruas. Pacu. Verum hi omnes minorum gentium ſunt fluvii. Jam paulo majora canamus.

Locum attigimus, ubi Uruquay*, primæ magnitudinis flumen, Paranæ ſe ſubdit. Nomen a Cochleis, ſeu limacibus accepit, qui pugno majores ſua in concha aſſati ab Indis eduntur. In alpibus Braſiliæ gradum viceſimum quintum inter, & viceſimum ſextum latitudinis in Capitania ſancti Vincentii (ſi Bougainvillio habenda fides) natus, ducentas facile leucas percurrit; Multis hinc atque hinc ſcopulis, cataractisque impeditus, quæ navigationem ſcaphis etiam mediocribus perdifficilem reddunt. Cataracta omnium maxima ad oppidi Quaranici Yapeyù totum claudit flumen, ſcaphisque, quæ e Boniaeris portu veniunt, tranſitum interdicit undique. Lintres vero, proſequi cœptum iter ut poſſint, nautarum humeris terra transportari ſolent. Navigii genus, quod apud

Uru-

Uruquayenſes Indos in uſu, & hiſpanico vocabulo balſa dicitur, juvat hoc loco explicare. Lintres duo prægrandes, interdum ſeptuaginta pedes longi, ſtipitibus transverſis valide copulantur. His arundidines diligenter connexas pavimenti inſtar ſubſternunt. In medio tuguriolum arundineum pellibus bubulis ad arcendas cœli injurias tectum aſſurgit. Remis, non velis & adverſo & ſecundo flumine navigatur, ſecuritate, quam velocitate, majori. Remigibus adhæc opus eſt ſat multis; Quaqua verſum inſulæ circumſtant, palmis, malis citrinis, perſicis, & quibus non arboribus opulentæ; ſed & tigridibus, ſerpentibus, feris aliis ſeu noxiis, ſeu eſcis abundantes. Immanes ſcopuli, e quibus illa cataracta componitur, ſubjecto nitrati pulveris cuniculo in auras ejecti ſunt olim, ſed in flumen recidentia ſaxa viam, qua tranſitus vel naviculæ pateret, omnem penitiſſime obſtruxerunt. Ita nimirum remedia ipſò morbô ſæpius ſunt nocentiora.

Fluvii, quos Uruquayus occidentali ex ripa ebibit, memoratu digniores ſunt: Yapucà. Piquiry̆, vel Pepiry̆ ob limitum controverſias Hiſpanos inter ac luſitanos notus. Quanumbacà. Acaranà. Mbororè a victoria, quam Quaranii a Mammalucis (ut ſupra retuli) reportarunt tam celebratus, ut lacus Thraſimenus, & fluvius Trebia a Clade, quam Hannibal intulerat Romanis. Si tamen fas ſit in rebus parvis grandibus uti exemplis Aquapey̆. Miriñay̆ ex lacu Ybera profluens. Nota, errorem haud diſſimulandum irrepſiſſe hiſtoriæ P. Xaverii de Charlevoix in Germanicum 1768 traductæ, ubi perperam dicitur, fluvius Miriñay̆ cum Parana, fluvius corrientes cum Uruquayo miſceri. Hic equidem recto curſu Paranam, ille Uruquayum petit. Oculos teſtor

meos; Nam hæc fluviorum litora ipſus peragravi. Vaccaretâ. Timboy̆. Gualequay̆. Rio de los Topes. Yaquary̆ quazù. Singulis his fluviis fluvioli minores per viam illabuntur. Ad ortum uruquayo ſe conjungunt: uruquay̆ miri. Uruquay̆ pità, ſeu uruquay̆ parvus, & ruber. Y̆ribobà. Rio S. Juan. Ñucorà. Yaguarapè. Yyuy̆. Piratiny̆. Y̆cabaqua. Mbutuy. Toropy̆ mixtus jam cum ybicuy̆ controverſiis limitum cauſa Hiſpanos inter, & luſitanos clarus. Quaray̆. Tebiquary̆. Lechiguana, dictus a favo mellis, quod apes in apice virgultorum, vel graminis altioris conficiunt. Rio San ſalvador. In hac vicinia Rio negro (fluvius Niger) aquæ præſtantia, ubertateque celeberrimus Uruquayum ingreditur mox cum Parana, ubi ſcopulo grandiori (la punta Gorda) horret, conjungendum. Ex tanta fluviorum coeuntium multitudine ecquid pronum cuique erit Uruqnayi magnitudinem conjectare? Aquæ illius ſalubritatem, omnium ore celebratam, experientia mea ipſus exploratiſſimam habeo. Ultra annum cibi faſtidio, inſomnioque vexabar. Inedia, vigiliisque exhauſtus vix jam oſſibus hæſi. Eam ob rem ex calamitoſis Abiponum coloniis ad Quaranica oppida translatus, & licet in pluribus iſtorum, quæ Paranæ accumbunt, aliquamdiu commoratus, nil levamenti unquam habui. Paucis hebdomadibus in oppido S Mariæ Majoris ad Uruquayi ripas exactis penitiſſime convalui. Quod Uruquayenſibus in coloniis cantores pueri vocis amænitate excellant, id aquæ tribuendum putant, quippe quæ ad abſtergenda pectoris, gutturisque phlegmata valeat plurimum Flumen hoc, ſi quod aliud, piſcoſiſſimum eſt præterea. Piſcibus certe non ſolum innumeris, ſed & maximis, & ſapidiſſimis abundat. Sunt, qui in Uruquayo monſtra marina, terribiles viſu formas vidiſſe ſe, referunt. Ego

iſtud

iſtud nec negare auſim, neque affirmare. Flumen hoc a me navigatum tantiſper equidem, non, ut ab aliis, enavigatum fuit.

Tot barbaris fluviorum nominibus tuas obtundi aures, fatigarique ſenſim oculos, dudum ſuſpicabar. Verum ut Paranæ magnitudinem rite noveris æſtimare, fluviorum, a quibus augetur, minuta opus fuit recenſione. Nam & Geographi illi, maxime bello ardente, omnem ferunt plauſum, qui non urbes modo, & oppida, ſed & pagos, ac ſolitarias arces ſuis in tabulis adnotarunt; Ex his enim ſingulis, quam vaſta ſit provincia, quam culta, edocemur. Hinc auſculta porro tantiſper; Nam de Paraquayo flumine, præcipuo Paranæ incremento, nolis, velis, mihi eſt jam differendum. Vox *Paraquaỹ* fluvium coronatum, vel coronarum ſignificat Quaraniis. *Parà* enim, ut dixi, rem verſicolorem. *Qua* circulum. *Paraquà* coronam e pſytacorum diſcoloribus plumis contextam denotat, quali iſtorum litorum accolæ utebantur. Alii a florum, qui his litoribus paſſim innaſcuntur, varietate nominis *Paraquaỹ* etymon derivant. Neque reticenda eſt recens alterius opinio, qui hanc circuli, vel coronæ appellationem huic fluvio inde congruere putat, quod fere per ambages procurrat, & continuis hac, illac flexibus veluti circulos efformet pro riparum, quas alluit, ratione. Tanta lis cum ſit de nomine (de lana caprina, vel de umbra aſini contendere, mihi videntur) major eſt de origine Paraquayi. De hoc plurimæ in hiſtoricis monumentis opiniones, conjecturæque recurrunt, quibus, cum argumenta ſolida deſint, nec aſſentiri poſſum, neque repugnare. Illud extra dubium hodie, hallucinari omnes, qui flumen hoc ex lacu Xarayes prognatum ſcribunt. Hic error & antiquus, &

communis, non tamen a Jesuitis Geographis (quod bona Bougainvillii venia dictum sit) sed a primis Paraquariæ expugnatoribus Hispanis in Europam invectus est, nostraque ætate detectus. Constat equidem, Hispanos, qui primis illis tardius successerant, eodem Paraquayi fluminis alveo ad sexaginta leucas ultra illum lacum navigâsse. Ex quo patet, in remotioribus Boream, ac Orientem inter, montibus Paraquayi fontem quærendum esse. Hunc non nulli in decantato lacu del Dorado inveniri, autumarant. Bougainvillius Paraquayum oriri asserit gradum 16 & 15 inter latitudinis Australis æquali prope intervallo a mari Australi, & Boreali in ipsis montibus, ubi fluvius Madera oritur, qui demum cum Amazonum flumine se conjungit. Hanc Galli opinionem lusitanis recentioribus, qui illic versati sunt, examinandam libenter relinquo. Quidquid sit, illud sat exploratum, Paraquayi ex lacu Xarayes ortum fabulosum esse, cum talis lacus non nisi Geographicis in tabulis existat; Illa enim aquarum congregatio, quæ istic aliquando visitur, non Paraquayi fluminis mater, sed Paraquayi superfluentis est filia. Id audacter affirmo authoritate Patris Josephi Sanchez labrador nixus, qui, ut superius memini, rerum naturalium sagax investigator Indis Mbayis, quos in oppido Belen excoluit, viæ ducibus utramque Paraquayi ripam iterato perlustravit, ac per eam, quod tot alii nequidquam tentârunt, ad Chiquitorum oppida pervenit anno 1767, illisque meditabundo oculo peragratis 27 Septembris ejusdem anni ad Bethlehemiticum suum oppidum incolumis rediit. Oppidum Chiquitorum divo Xaverio dicatum præ reliquis septentrioni propinquat magis, nam, ut idem Sanchez adnotavit, in gradu 16 latit. 313 grad. longit. situm. Oppidum sanctissimi cordis Jesu in grad. 16 latit. & 319 longit. lito-

litoribus fluvii Paraquayi maxime finitimum, & ab urbe Assumptionis centum nonaginta leucas distat. Audiant jam Geographi, quid sæpius laudatus Sanchez de imaginario illo lacu de Xarayes, ac de commentitia insula de los Orejones sentiat in suis de Paraquaria commentariis.

Paraquayus (ait) unum in alveum collectus a septentrionibus decurrit aliquamdiu, mox tria in brachia scinditur, quorum unum Paraquaỹ miri, id est parvum Paraquaỹ, duo alia Paraquaỹ quazù, id est, magnum Paraquaỹ appellant Indi. Alluvionibus solitis terna hæc fluminis cornua incredibilem in modum intumescunt, & extra ripas effusa ducentarum leucarum spatio terras planiores inundant. Hanc fluminis effusionem frequentiorem, hanc aquarum collectionem fere diuturniorem lacum putavere Europæi advenæ. In lacus imaginarii medio collocarant insulam de los Orejones dictam, illique triginta leucas longitudinis, latitudinis decem tribuunt. Tantundem scilicet spatii Paraquayus exundans istic occupare consuevit. Hanc Paradisi insulam vocârunt primi Paraquariæ expugnatores Hispani, quod improbis laboribus defuncti istic tantisper conquieverint. Locus hic inter gradum 15, & 18 est sub zona torrida. Quid ad hæc doctus Bougainvillius, qui Paraquayi primam originem 15 inter & 16. Australis latitudinis gradum constituit? Neque Lusitani, qui in Cuyaba, & Matto grosso locis illi situi vicinis degunt, neque Hispani recentiores, neque barbari indigenæ talem insulam nôrunt. Hunc in modum Sanchez ratiocinatur, qui in controversis illis territoriis præ quovis alio magis versatus, atque adeo dignus mihi videtur, cui credamus, lacum de Xarayes, ejusque insulam rebus, quæ non exstiterunt, adnumerari tutò posse. Per

Americam ignotam peregrinantes Europæi non raro falluntur. Menſibus pluviis aquarum, quas deprehendunt, congregationem, pro fluvio, vel lacu ſtabili habent, cum tamen vel imbrium præcedentium, vel nivium Peruvianis in alpibus liquefactarum, & immanis, quæ ex his conſequitur, alluvionis duntaxat illa fuerit partus. Plures, qui de Magallanico ſcripſêre mari, aſſerere auſi ſunt, portui S. Juliani vaſtum incumbere flumen ex lacu immani ortum, cui alius item ingens fluvius, Campana dictus, originem debeat ſuam. Id in ephemeridibus Architalaſſi Anglici Anſon affirmatur. Hiſpani, qui (ùt retuli) Philippo quinto jubente navi S. Antonii cum tribus Jeſuitis anno 1746 ad Magallanica litora perluſtranda miſſi, poſtquam terra, marique illum S. Juliani portum comminus inſpexiſſent diebus pluribus, omnem late viciniam pedeſtri itinere perſcrutati, ne umbram quidem alicujus fluminis detexerant. Illorum concordi teſtimonio hic portus æſtivis menſibus aqua dulci penitus deſtituitur. Lacus, fonteſque, qui aquam poculentam præbent, quatuor omnino leucas a portu recedunt. Aliis temporibus ſubitanei ex liquatis per montes nivibus amnes in mare præcipitant. Hi à nautis eminus ſpectati pro juſtis fluviis, ſtabilibuſque forte habiti ſunt aliquando. Idem de lacu Xarayes ſentiendum

Præcipui, quorum ex aquis diteſcit Paraquayus, fluvii ex litore occidentali occurrunt: Jaurù, qui gradu 16. minut. 29 latit. Auſtralis, ac 320 grad. 10 minut. longitudinis ab inſula ferro in Paraquayum devolvitur. Mandiy' infra illum ſitum, ubi lacus Xarayes fingitur. Fluvius viridis. Yabebiry'. Pilcomayo duobus brachiis aliquot a ſe leucas diſtantibus in Paraquayum effunditur, ut ſupra dixi. Fluvius

vius Timbò ſat amplus e duobus aliis minoribus in loco, qui la herradura dicitur, coaleſcens, & flumini Tebiquary, quod ad orientalem Paraquayi ripam eſt, e diametro oppoſitus. Hic colonia S. Caroli Abiponibus a me condita. Plura de hoc loco inferius. Rio grande, vel vermejo, fluvius magnus, vel ruber Parayquo, antequam cum Parana miſceatur, accedit. Orientali ex ripa, ſi a ſeptentrione incipias, Paraquayum intrant fluvii: flumen de los Porrudos, cui prius fluvius Villæ Luſitanicæ Cuyabà, & huic Cuchipò quazù, & Cuchipò miri, uti & fluvius Manſo ſe adjunxerant. Fluvius Taquary inferius tribus oſtiis, quæ interjectæ inſulæ efformant, Paraquayo illabitur, aquis fluvii Camapuã jam auctus. Per hos, aliosque fluvios Luſitani ex Braſilia lintribus navigant ad ſuas colonias Cuyabam, & Matto Groſſo, ubi ex amnium arenis auri micas legunt, quæſtu non pœnitendo. In Camapuã, loco intermedio, Andreas Alvarez luſitanus cum numeroſa Afrorum mancipiorum Caterva ſedem fixit, ac luſitanis ultro, citroque commeantibus ex agrorum ſuorum proventu annonam, plauſtra, neceſſariam penum ſuppeditat. Laborioſum hoc, ac periculi plenum eſt luſitanorum iter, quia vaſtas inter ſolitudines jam terra, jam fluviis variis continuatum multis menſibus. Hiſpani quietis amantiores haud equidem invident luſitanis tantillum auri, tantis miſeriis, periculisque emendum. Audi fluviorum, qui ſuperſunt, nomina: Mbotetey in terra Quaraniorum ytatinquarum, quibus noſtri ſocii hoc loco binas olim colonias poſuêre. Ygarỹpe. Mboymboy. Tareyty. Quaycuruy, cujus ripas Quaycurù, quos Mbayas vocant, Paraquayum transgreſſi inſederant, occupantque etiamnum. Corrientes, fluvius controverſiis ob Hiſpanorum, luſitanorumque limites, hiſtoriis, fabu-

bulisque insignis. Mbaerў. Ўpane quazù, olim Qnarambarè. Yeyuў lintribus majoribus, nî diutina siccitas præcesserit, ferendis par, multis scopulis impeditus, plurimis amnibus auctus, quos inter memorabilior Caapivarў, qui cum Yeyuў miscetur viginti circiter leucas ante, quam hic Paraquayo influat. Yeyuў, Caapivarўque litora circumstant sylvæ immensæ, quas herbæ Paraquaricæ seminarium jure dicas. Hujus ingens quot annis copia à Villæ Curuquati, aliis incolis Hispanis in Assumptionis urbem advehitur Garandumbis. Garandumba linter est ingens una ex arbore cavatus, cui tamen amplificando a lateribus tabulas utrinque inserunt. Sed progrediamur. Paraquayo adrepunt porro fluvii: Tobatў. Caañabè, Tebiquarў navium mediocrium patiens. Tot, tantorumque, qui tributum pendunt, fluviorum accessione in eam accrevit amplitudinem Paraquayus, ut per illum Hispani veteres iisdem, quibus in portu Gaditano conscensis Oceanum transmiserant, navibus ad Assumptionis urbem, quin ad remotiora loca pervenerint. Hodie nemo id audet naufragii metu In tantam equidem hoc flumen discedit latitudinem, ut ripam sæpe neutram, perinde ac si alto mari innatares, oculis assequaris. Multis intersecatur insulis, horret passim scopulis, brevibusque, ac syrtibus. Nefas sit sine moderatore fluminis gnaro (Practicum vocant) navigare. Hic magno stipendio conducendus lintre navim præcedens fundum bolide explorat identidem. Noctibus singulis tuta in statione quiescitur. Ingruente turbine portus anxiè quæritur. Verum eheu industriis omnibus exhaustis inter brevia sæpe, ac vada (expertus id loquor) naves adhærescunt, e quibus nautarum humeris evolvendæ, vel cymbæ auxilio magnam partem sunt exonerandæ. Plerique enim quæstus aviditate naves mercibus onerant

rant tantis, ut vix duos ligni palmos ex aquis videas prominere. Vento furente mox fluctibus hauriuntur. Hæc tot naufragiorum causa. Lucrari dum volunt multum, perdunt omnia. Duplici ad hæc Charybdi infame est hoc flumen. Remolino chico, y' grande, vortex major, & minor ab Hispanis dicitur. Sunt duo loca, ubi, vento etiam nullo, aquæ in circulos contorquentur, quorum centrum vorago est, quæ rapta absorbet. Sed, ni stupidissimi sint nautæ, citra discrimen transitur. Plus periculi habent variæ stationes, ubi flumen fulmineo decurrentium aquarum impetu præcipitat, navesque in saxa abripit, vel Syrtes. Adverso flumine solo remorum nisu, ni vela simul pandantur, vix progredi licet. Ex his conjice, navigationem per hoc flumen periculo nunquam, nunquam justo metu vacare. Decem prope menses maritimis in itineribus consumpsi. Sæpe, diuque Paraquayum flumen navigavi. Frequentius me in hoc, quam toto in Oceano trepidasse, fateor. Idem prorsus de se mihi fassus est in urbe Corrientes Anglus quidam, vir strenuus, qui omnem prope ætatem in mari contrivit. Omnem navigationem maritimam prope tot pericula, quot momenta numerare, haud nego. Sed extra controversiam quoque est, maritimis in navibus plura, certioraque suppetere præsidia, quibus maris pericula seu declinari queant, seu superari. Navis moles, ac firmitas compagum. Navarchorum peritia. Nautarum dexteritas, & promptitudo, quæ omnia in navibus Paraquariensibus fere desiderantur. Coorta tempestate, quæ præsentissimum exitium minetur, præter vociferationem tempestate ipsa formidabiliorem, præter inutilem gentis nauticæ concursationem sæpe videbis nihil, quod in præsenti discrimine expediret. Consultatur, quid facto opus sit; Interea saguntus perit.

Para-

Paranam ex tot, tantisque fluminibus, quæ ſorbet, dum conflari legis, immanem ejus granditatem nullo negotio argues. Jam mira quædam, illique ſingularia accipe. Primo utique loco memoranda venit Cataracta, ſeu præcipitium fluminis longe maximum, quod ab Hiſpanis el ſalto grande dicitur, & in gradu 24 latit. 325 circiter longit. ad Quayræ urbis hodie everſæ confinia occurrit. Multa Plinius de Nili præcipitio. Plurima Pomponius Mela de præcipitio Araxis; utrumque longiſſime ſuperat Paranenſe hoc. Ipſus ego id nunquam vidi. Referam igitur hoc naturæ prodigium verbis Patris Jacobi Rançonier Belgæ, qui nomine Patris Nicolai Duran Paraquariæ tum Provincialis noſtri in annuis ejus provinciæ anni 1626 Roman datis illud curatiſſime deſcripſerat. Hic enim, dum nova Quaraniorum per Quayram provinciam oppida pro ſuo Provincialis officio inviſeret, hanc Paranæ Cataractam vidit, obſervavitque. Illius verbis perinde, ut meis oculis, acquieſco. *Præcipitium hoc* (ait) *inter res omnes, quæ in his provinciis ſui admirationem excitare poſſunt, locum facile principem obtinet. Enim vero haud ſcio, an quidquam in toto terrarum orbe mirabilius exiſtat. - - - - ut oculatus, & curioſus indagator rem hanc bene perſcrutatus ſum - - Fluvius vehementiſſimo impetu ex altiſſima ſe rupe præcipitat duodecim leucarum deſcenſu, atque ingentium rupium, horribiles figuras referentium juga declivi alveo ſtringit, a quibus aquæ reverberatæ in eximiam altitudinem reſiliunt, multisque in locis ob nimiam ſaxorum aſperitatem alveus interpolatur, ac per varia deinde itinera velut diſpenſatæ aquæ rurſus coeunt, ſtupendos vortices efficiendo. Alibi item aquæ deſilientes in ipſas rupes irruunt, atque aſpectui ſe ſubducere viſæ, diuque abditæ, rurſum velut ex variis fontibus conceptæ magnas rupium moles exſorbentes erumpunt. Denique tanta eſt aquarum violentia illo alvei decurſu ſe præcipitan-*

pitantium, ut toto illo duodecim leucarum itinere continens spuma videatur, quæ solis radios repercutiens intuentium aciem suo fulgore perstringit. Aquæ etiam delabentis, & ad saxa se collidentis murmur quatuor facile leucarum intervallo percipitur. Aspera præcipitii via confecta juxta ejus radices aqua in molliore solo videtur velle conquiescere. De die enim sæpius ibi leniter Stagnat, sed in horas pene singulas ingens murmur a causa occulta exoritur, atque aqua ad multorum cubitorum altitudinem resilit, quæ omnia curiosè aspexi, & peculiari cura adhibita observavi. Pisces illic ingentis magnitudinis visuntur, asservitque mihi Pater Antonius (Ruiz de Montoya Quaranicæ tunc gentis in Quayra Apostolus) *se piscem bovi æqualem vidisse, medio duntaxat corpore flumini innatantem. Neque hoc incredibile cuiquam videri debet; Nam postquam Quayranas Reductiones* (Indorum colonias novas intelligit) *visitavi, ad me scripsêre: Ab ejusmodi pisce fluviatili Indum esse devoratum, ac postea integrum in litus ejectum esse. Pedites itaque duodecim illas leucas confecimus; Sed multo plures fuêre ob varios viæ, ac montis flexus, atque anfractus. Sex omnino dies, incredibili membrorum defatigatione, ac sudore ex toto corpore dimanante in montis ascensu consumpsimus*; (P. Duran equidem Provincialis ætate fuit provectiore) v*ia enim ipsa ardua, saxis asperis, ac præruptis strata, alibi exiguis lacubus, alibi torrentibus, alibi arenis interjectis distinquitur. Neque alia orbis plaga ardore solis magis exæstuaret, nisi rivulis, atque arborum frequentium umbra mitigaretur. Sed ipsæ itineris angustiæ inter densas arbores, ac sentes præcipuo nobis erant incommodo. Iter hoc ineunte hic Vere, mense scilicet octobri confecimus - - sexto die evoluto, superato præcipitio Paranam flumen conscendimus &c.* En! viri religiosissimi ingenuam, simplicem, exactamque relationem, quam excerpsi ex literis annuis Provinciæ

Para-

Paraquariæ S. I. ad annum 1626 & 27 in lucem datis Antverpiæ anno 1636.

Inter Quaranicum oppidum de la Candelaria, & urbem Corrientes circa locum Mbaequà, ubi pecorum pascua, Cataractam aliam minorem scopulis prominentibus horridam navigantibus objectat Parana, qui nisi diuturnis imbribus, vel annuis alluvionibus ita turgescat, ut saxorum longa series ab aquis transcendatur admodum, nullum cuicunque navi transitum impune concedit. Eadem omnino rupes multas sub terra leucas procurrens vulgo putatur Cataractam istam Paranæ, aliamque Uruquayi circa Yapeyu (ut dixi) constituere. Neque dubium mihi in longissimo Paranæ cursu Charybdes, atque Voragines occultas passim latere. Sine, experimento recenti opinionem hanc tibi reddam credibilem. Anno 1756 me in oppido lauretano versante e vicino S. Ignatii oppido ad conficiendam remotioribus in sylvis herbam Paraquaricam Quaraniorum turba adverso Parana lintribus navigare cæpit. Pauculas ultra oppidum Corporis Christi leucas progressi periêre omnes unico, qui casum funestum nunciaret, servato. Sub meridiem, ajebat iste, tympanis, tibiisque personantibus strenue remis impellunt navim, e binis majoris formæ lintribus compositam. Cœlo sudo, aere quieto, flumine placido, nemine sinistrum quid suspicante, prora navis columnæ instar in altum repente erigitur, puppi depressa; Verum ex alto recidens situm recuperat convenientem. Hoc terrori subito, non periculo finem imposuit. Nam exigua mora intercedente prorâ rursus occulta vi sursum elatâ navis cum nautis omnibus uno momento hauritur, quin vel horum, vel illius vestigium superesset. Unicus, quem dixi, fati tristissimi sociorum nuncius natando evasit.

Fac-

Factum ſcimus, cauſam certam ignoramus. Occultæ tamen voragini, quam nemo antea in flumine trito detexerit, id tribuendum plerique omnes mecum putaverunt. Vaſtis in fluminibus ſæpe, ſæpius latiſſimo in oceano loca navibus exitialia hodiedum deprehenduntur, quæ ſeculis pluribus ſagaces navigantium oculos fugerunt. Nocent ſæpe pericula, quia non declinantur. Non declinantur, quia neſciuntur. Cognita demum alios faciunt cautiores.

Innumeris diverſæ magnitudinis inſulis Parana abundat. Veteres demolitur ſæpe, ſæpe novas condit. Iſtarum Geneſim, illarum interitum navigans frequenter obſervavi. Annuæ ſcilicet alluviones, ubi decurrentium aquarum major impetus, arenas accumulant; Has ventus permeans ſalicum maxime ſeminibus liberaliter aſpergit; Hæc in mollibus arenarum aceruis radices agunt promptiſſime, humorisque copioſi ſubſidio protinus adoleſcunt. Pauliſper expecta, & inſulam ſalicibus, aliisque arboribus conſitam, ceſpite veſtitam, a volucribus, quadrupedibus feris, amphibiisque frequentatam videbis. Inſulæ aliæ aquarum impingentium vi paulatim ſubruuntur; Submergi aliquas vidimus, aliquas vento, fluctibusque navis inſtar nutare, ac quaquaverſum circumferri, donec ab aquis exeſæ in fruſta diſſiliant denique, ac hauriantur. Ejusmodi inſulam errantem, ſeu, ut cum Vegetio, ac Plinio loquar, ambulatoriam P. Franciſcus Burgeſius, meus olim Collega, in oppido S. Xaverii, quod Mocobiis ad Paranæ brachii margines conditum primo fuit, aliquamdiu vidit. Variante vento variavit ſitum ita, ut jam illi oppido a fronte, jam a lateribus eſſet, dum aquis, ceu cuniculo, ſubruta demum mergeretur. Inſulæ majoris nominis ſunt: Martin Garzia. Las dos hermanas, duæ ſorores. Sancti Gabrielis. La ysla de flores, inſula

florum, non a floribus, ut quidam ſcripſerat, ſic dicta; Nam præter ſcopulos habet nihil; ſed, quia die Natali Chriſti Servatoris detecta, quem la Paſcua florida Paſcha floridum Hiſpani vocant. La ysla de lobos luporum aquatilium, quibus abundat, inſula. Binas quot annis Parana patitur alluviones. Major æſtiva Decembri menſe plerumque incipit, totoque continuatur Januario, interdum non niſi Februario exeunte deſinit. Minor altera hyberna fere circa medium Junii ingruit, triceniſque admodum diebus definitur. Utraque alluvione inſulæ omnes (Aliquæ trium leucarum) adeo ſubmerguntur, ut ſumma celſiſſimarum arborum culmina duntaxat promineant.

Tigrides, cervique hujatibus ſimiles, quorum illic ingens numerus, in litora emergunt. Ubi præaltis ripis non coercetur flumen, ad plures ſe leucas effundit. Memini, me navi velis, remiſque inſtructa penes oppidum S. Ferdinandi palmas inter diu circumvectum fuiſſe in campo, quem eques alias laxis habenis percurri. Æquor videbatur, quod nuper ceſpes erat. De piſcibus, quos Parana & plurimos & nobiliſſimos alit, loco dicetur ſuo. Arbores Paranæ illapſæ frequenter lapideſcunt. Quod & alibi ſæpe per Paraquariam uſuvenit. Ligna tam dura, quam mollia, cornua, oſſaque bubula, arundines ſolidas in ſaxum, aliquando in ſilicem, vel marmor converſa paſſim vidi maxime in terris urucutiy oppido S. Joachimi propinquis. Aquam Parana vehit limoſam, at, ſi in Cantharo ſubſidat, oppido ſalutarem indigenis; Advenis enim, dum denique huic aquæ aſſueſcant, diarrhœam ciet, quæ quatuordecim ſociorum meorum, dum in urbe Boniaeris ex diverſis provinciæ locis congregati navigationem Europæam præſtolabamur, lethalis fuit, meque eodem in do-

domicilio decumbentem in extremum vitæ diſcrimen conjecit. Æſtus maris, præſertim Auſtro ſæviente, ad centum facile leucas per Paranam propagatur; Aquam tamen dulcem hic retinet ad ſexaginta circiter a maris oſtio leucas.

Argentei fluminis immerito nomine jam inſignis Parana portus navibus maritimis quibuscunque offert quinos, ſed nusquam perfectam ſecuritatem. In Boniaeris portu naves tribus a terra leucis conquieſcunt, ventis, procellis omnibus patentes. Auſter, qui hac in plaga furit maxime, exitium præſens minatur, ni anchoræ, rudentesque eximia polleant firmitate. Myoparones hoc in flumine uſitati (lanchas vocant) per amnem Riachuelo terræ propinquant maris aeſtuantis acceſſu durante; Nam mari recedente neque his patet acceſſus ob fundi brevitatem. Colonia ſacramenti, quæ orientali ex litore urbi Boniaeris objicitur, ad quindecim circiter leucas (tanta enim cenſetur fluminis latitudo) ab illa diſtans ſtationem terræ propinquiorem, tutioremque navibus indulget, quippe quam ripæ altæ hinc, illinc S. Gabrielis viciniſſima inſula adverſus Ventos tuetur aliquantum, quamvis ipſa inſulæ propinquitas, & latentes ſcopuli magnopere timendi, quia naufragiis non paucis infames. Ex Europa appulſi per biduum hoc in portu fœdiſſime jactabamur vento pertinaciter debacchante. Nautis diu noctuque plurimum erat & negotii, & periculi, dum immanes inter fluctus ſcapha circumvecti retrahendis anchoris usque fatigabantur, quæ ob fundum limo lubricum & arenarum expertem à loco, ubi jactæ fuerant, identidem receſſere. Eadem S. Jacobi navis luſitanica, poſtquam Ulyſſipone nos in Paraquariam transvexit, binis, ternisve in Europam itineribus defuncta hoc in portu S. Gabrielis inſulæ

allisa aliquot post annos demum interiit. Ligna, navis istius reliquiæ, ad focum alendum, assandasque carnes consumpta sunt ab Indis Quaraniis; quorum aliquot millia anno 1762 Regio in exercitu Petro Zevallos duce oppugnationi coloniæ lusitanæ strenuam operam navarunt. Melior, & ut rem dicam, unicus portus in eodem litore est Montevideo a Colonia 30 circiter, a mari totidem leucas distans, tormentariis suggestibus, castroque, quod quingentos præsidiarios capit, commodè defensus. Hic sinus ab ostio leucam fere unam, ac dimidiam longus, propemodum rotundus ab altis litoribus, ab eminentissimo monte ad octo leucas spectabili contra ventos protegitur, Austrum si excipias, hoc loco cum primis formidabilem. Navibus etiam bellicis recipiendis par est, quæ tamen hic suum instar limo insident. Cuniculorum exilis insula (la ysla de los conejos) portum accupat. Pro immensis sumptibus, quos aula Matritensis expendit, tam pusillum est hic loci castrum, ut verius Castelli nomen illi congruat. Mihi sane è navi prospectanti fornax Calcaria eminus videbatur. Insula Maldonati (Maldonado) novem circiter a maris ostio leucas distans, totidem fere a Montevideo, luporum inter & florum insulas media navibus quantæcumque molis opportunam præbet stationem, & adversum Ventum Sud-Ost perfugium est. Hunc sinum Petrus Zevallos Gubernator novis aggeribus, ut potuit, communivit. Præclarum hoc situ portum, maximique ad Provinciæ securitatem momenti formari posse, rerum periti existimant. si ars naturam adjuvaret. Opposito in litore occasum versus sinus Barragan, 12 leucas a Boniaeris urbe remotus, resarciendis navibus opportunitatem præstat, securitatis parum. Nam ripis undique humilibus cingitur, ventisque omnibus patet. Ingressus ipse periculo non

vacat.

vacat. Sinus late quidem patet, ſed cum fundi ſit modici, majores naves binis a terra leucis ſubſiſtunt. Locus omni munitione nudus, pauculis, miſerisque è corio, & junco tuguriis definitur. Auſtrales barbari cruentas hic non raro ſtrages incolis inermibus intulerunt, poſtquam conceptionis oppidum illorum, quorum id conſervare intererat, deſidia interiit.

Ut paucos, eosque non tutiſſimos portus numerat argenteum flumen, ſic trecenta paſſim pericula navigantibus comminatur, ſereno quamvis Cœlo, vento ſecundiſſimo præ quovis mari reformidandum ob brevia, vadosaque, quæ hinc atque illinc occurrunt, loca. Memorabiliora ſunt duo, quorum ab Anglis alterum, alterum ab Ortiz nomen habet (El banco Ynglès. El banco Ortíz) Ambo ad plures leucas longe, lateque procurrunt. Augent periculum latentia ad luporum, florumque inſulas ſaxa, & cumprimis ingentes in Montevideo portus vicinia ſcopuli, quos ob, neſcio, quam cum plauſtro ſimilitudinem, las Carretas de Montevideo vocant eo periculoſiores, quo minus ſpectabiles. Careat nauclerus penitiſſima fluminis cognitione, uſum bolidis frequentiorem negligat, de naufragio nil dubita. Intra arenarum altos tumulos ſepelietur navis, vel ſaxis illiſa fatiſcet. Id eo certius expectandum, ſi a procelloſo Auſtro concitatum flumen gubernaculi uſum impediat. Haud equidem credibile, quanti hic montes volvantur aquarum tempeſtate ſæviente, quanta fluctuum violentia. Ternæ, quaternæve anchoræ vix, ac ne vix quidem navim retinent, ut nos experti ſumus. Naucleri plurium annorum navigationibus feliciter perfuncti, dum Gadibus, vel Ulyſſipone ſolvunt, Paraquariam petituri, non oceanum, flumen duntaxat argenteum ſibi pertineſcendum putant. Matthæus

Collado, vir longo rerum ufu eximius, navis bellicæ *la Efmeralda* Gubernator, dum nos ex Montevideo in Hifpaniam reveheret, hoc in flumine fæpius exclamare auditus eft: *Sim procul ab hoc dæmonio, & jam mihi videbor Gaditanum portum attigiffe.* Tot navium, quarum recens adhuc memoria, interitus quem non timore percellat? In portu Montevideo ex Europa navigantes Hifpanicam navim prægrandem (*El foberbio* fuperbus dicebatur) malis omnibus nudatam deprehendimus, quos fcilicet extremo in difcrimine fecuribus refectos in flumen abjecerant, ut navis, imminuto pondere ex fcopulis emergeret, queis implicata & jam jamque confringenda aliquamdiu hærebat. Navis alia mercatoria (la Luz, lux) pluribus fcutorum Hifpanicorum millionibus onufta in ejusdem portus Montevideo confpectu demerfa eft, me in Paraquaria dudum agente. Bellica alia (San Eftevan, fanctus Stephanus) ex claffe Architalaffi Hifpanici Pizarro, contra Anfon Anglum miffi, nefcio, qua ratione in oppofito fluminis litore, quod occidentem refpicit, interiit fuperioribus annis. Alia bellica minor velis, remisque inftructa (jabeques id genus navium vocant) quæ tormenta, variamque ad bellicos ufus fupellectilem Gadibus advexerat, brevibus Anglicanis anno 1768 haufta eft, nautis fcapha ad Maldonati vicinum portum translatis. Naufragia feu antiquiora, feu minoris momenti brevitatis ftudio haud memoranda putavi. Parum profecto abfuit, quin navium infelicium numerum noftra, qua Ulyffipone venimus, augeret. Rem dicam paucis.

In lufitania magno ftipendio conductus eft a Feliciano Velho, navis domino, Brafilus ex æthiope & lufitana natus (Mulatos vocamus tales) quia argentei fluminis peritum, feu ut vulgus ait, Practicum

fe

ſe venditabat; Re tamen ipſa illius erat ignorantiſſimus. In ipſo fluminis ingreſſu Navarchus Joſephus Carvalho de Pereira navis gubernationem omnem, ut moris eſt, illi committit, ceu itineris duci; Sed is jumento quovis rudior ipſo in limine hallucinatus eſt periculoſè. Ab orientali litore, quod in conſpectu habere ſemper oportebat, tantum navim abduxit, ut præter aquas, cœlumque oculis nil obverſaretur noſtris. Quo viſo, heus tu! exclamavit navarchus: Priusquam ſol occumbat hodie, meam tu perdes navim. Dictum repentinum prope vaticinium exſtitit. Nam ſecunda a meridie hora dum navis margini incumbens inſolitos undæ reſilientis motus quodam loco diutius obſervarem cum ſocio, quod erat, ſuſpicatus ea de re Navarchum admonui; Is maxima, qua potuit, pernicitate majorem conſcendit malum, e quo proſpectans nos curſu rectiſſimo ad brevia Anglicana proxime accedere vidit, proramque orientem verſus flecti imperavit confeſtim. Perimus, ajebat trepidans, ſi momentis porro aliquot cæptam proſequimur viam. Adeo fatali arenarum, noſtroque ſubinde tumulo propinquavimus. Ex vicinis nempe, quod mihi ſuboluit, ſyrtibus illa aquarum repercuſſio orta eſt. Sub veſperum jacta primum anchora tantillo in fundo (vix quatuor cubitos æquabat) ægerrime jam fluitare navis ut poſſet. Solis occaſum tempeſtas fœdiſſima excepit. Cœlo horrendis tonitribus identidem remugiente Auſter furibundus flumini decumanos fluctus, extremum nobis periculum ciet, ne navis lutulento in fundo, anchoræ parum tenaci, locata vel hinc in cautes inſulæ florum, vel inde Anglicanas in ſyrtes abriperetur; Hæ ſiquidem ad ſiniſtram, illæ ad dextram modico a nobis aberant intervallo. Hinc nocturnus, diurnusque in anchoris retrahendis, firmandisque rudentibus

tibus nautarum labor. Miſeret me mei, meorumque ſociorum, quoties triſtiſſima noctis illius imago recurrit menti, quæ Nato in Bethlehem ſervatori ſacra omnium exhilarare animos conſuevit, mille inter timores in tanto elementorum omnium tumultu a nobis exacta. Formidabilis hæc procella biduum ipſum tenuit. Die ſancto Stephano ſacra poſt meridiem viſum eſt Navarcho a periculoſa vicinitate recedere. Sed poſt breviſſimam momentorum aliquot navigationem præcipiti anchorarum jactu repente ſiſtenda fuit navis; Nam propinquas arenas bolis detexit.

Ex Hiſpanis, qui noctu ad nos explorandos (bello ſcilicet, ut putabant in America, adhucdum vigente, re tamen ipſa jam finito) ex Montevideo ſcapha venerant, didicimus, periculoſo nos ſitu locatos, ſcopulisque (las Carretas de Montevideo) proximos eſſe. Fluminis gnarus, qui viam porro nos doceret, ex illo portu nequidquam omnium votis deſideratus. Nullam iſtic, qua is uti poſſet, ſcapham ſuppetere, ajebant, adeſſe tamen navarchum luſitanum cum decem nautis ſuis cras ad portum coloniæ abiturum, qui ſcapha ſua præcedens navim ducere poſſet noſtram. Illius navis paucos ante dies ad promontorium ſanctæ Mariæ in ipſo fluminis ingreſſu cum aliquot Afrorum mancipiorum Venalium centuriis fluctibus hauſta eſt, paucis illis nautis ſuo cum navarcho ſcapha ſervatis. Hunc viæ ducem poſtridie expectavimus, ſed cum nusquam compareret, vento ſemper procelloſo fors territus, iter proſecuti ſumus, ut cæci ſolent, usque errando. Syrtes illas Ortizianas jam nobis a tergo eſſe rati, etiam noctu citra periculi ſuſpicionem navigavimus. Sed en! maximum in ſecuritate periculum. Sub auroram illis

illis ſyrtibus, e quibus dudum jam emerſiſſe nos, putaveramus, puppis immerſa hæſit ea tenacitate, nullis ut artis nauticæ induſtriis per biduum avelli, moverique loco potuerit. Tempeſtas ſecunda nocte coorta eſt ſane atrociſſima. Puppi ſemper immobili, quia arenis impacta, reliquæ navis partes tanta jactabantur vehementia, ut tabularum compages quovis momento ſolvenda videretur. Sub idem tempus Auſter pertinax, Cœlo ſemper tonante, aquarum vim tantam e mari intruſerat argenteo flumini, ut primo mane navis ex arenarum abyſſo tandem extricata rurſus fluitaret. Eodem vento, nobis ſecundo, provecti coloniæ portum incolumes ſub meridiem ſubivimus. Biduum illic morati, jactatique liberaliter ad Boniaeris urbem translati ſumus. In hoc fluminis quindecim circiter leucas lati trajectu plus, quam in toto oceano, a pluribus trepidatum, plus etiam vomitum fuit. Scapha vehebamur, cum alia in promptu non eſſet, omni ex parte ob vetuſtatem putrida, carioſa, ruinosaque. Vix jam pars parti cohæſerat. Nauclerus ipſe poſtremum hoc ſcaphæ iter fore, ante abitum nobis palam edixit. Quis adhæc nobis animus fuerit, conjice. Metum, periculumque auxit venti tumultuantis ferocia, qui, quia nobis adverſus, obliquatis nimium velis, ſcaphaque ex uno latere depreſſa erat navigandum. Verum nihil hæc omnia. Conclamatum de nobis videbatur denique, dum ſcaphæ gubernaculo in arenas impacto, elata in altum prora aliquamdiu hæſimus. Terrore perciti vociferabantur complures, quos trimeſtri per oceanum navigatione ne hiſcere quidem audivi. Aſt quis fando explicet dulcem lætitiam, qua litoris conſpectus, portusque tribus menſibus quæſiti ingreſſus nos perfudit.

Fuſius de hoc argumento diſſerui, ut intelligas, non artis tantum, ſed & felicitatis eſſe eximiæ proſperam hoc in flumine navigationem. Sit firma navis, ſit peritus, vigil, dexter, accuratus navarchus, noverit periculoſas fluvii ſtationes ad unam omnes, ſecuritati necdum ſat cautum eſt tuæ. Furat Auſter, arte, ſcientia, experientiaque longa nil proficientibus, abripietur navis in loca, ubi pereundum, certè periclitandum, trepidandumque erit. Anno 1767 ſcapha omnium, quæ in portu Boniaeris proſtabant, optima, a naucleris eadem in urbe præſtantiſſimis Gubernata, procellæ Auſtralis impetu ſyrtibus illiſa, nucisque inſtar, fiſſâ carinâ, duas in partes diviſa interiit, Jeſuitis decem (Provinciæ Chilenſi deſtinatis) pyrobolariis Hiſpanis compluribus, reliquis omnibus demerſis, ſolo pyrobolariorum centurione ſuperſtite, qui cum decenni puero cymbula forte arrepta incolumis litus adverſum, a naufragii loco decem facile leucas diſtans, eſt aſſecutus, ſtupentibus univerſis. Qui naucleri imperitiam, ſocordiamque accuſaret, nemo unus fuit. Tempeſtatem teterrimam noctu obortam naufragii originem noverunt omnes. Nauticis e tabulis, documentisque conſtat equidem, Canalem fluminis ſeptentrionalem anguſtiorem eſſe, ac profundiorem, meridionalem è contrario latiùs patere, ſed fundi eſſe brevioris; Quo loco ſyrtes Anglicanæ, ac Ortizianæ, quo ſcopuli dudum cogniti lateant, omnes nôrunt. Verum ecquis vel divinare queat nova brevia, novos arenarum tumulos, quos vel flumen alluvionibus, vel æquor cum impetu in flumen irruens paſſim congerere ſolent. Continuo bolidis jactu recentiora hæc brevia deteguntur quidem, ſed ſæpe ſero, dum evitari jam nequeunt, fluctibus ſcilicet artem, induſtriamque omnem eludentibus. Quare eò formidabilius hoc flumen, quo

latius

latius ad utramque ripam effunditur, marique magis propinquat. In hoc uno alveo flumen argenteum evolvitur inter promontorium ſanctæ Mariæ, & ſancti Antonii, quod & promontorium album (cabo blanco) vocant. Audi, quid Cyriacus Morelli presbyter, vero nomine, Pater Dominicus Muriel meus in Paraquaria Collega, navigationisque ex Europa ſocius, theologiæ olim in academia Cordubæ Tucumanorum magiſter publicus, in opere ſuo: *Faſti novi orbis*, Venetiis anno 1776 typis dato, de fluminis argentei oſtio ſentiat: *Quod argenteum flumen vocamus, immanis revera ſinus eſt maris, in quo convolvunt ſe ſe Paranæ, Paraquayi, & Uruquayi aquæ.* Cæterum de latitudine fluminis argentei, ubi cum mari conjungitur, varii varia ſcribunt. Huic oſtio plerique Hiſpani ſexaginta leucas hodie tribuunt, alii pauciores, non nulli etiam ſeptuaginta. Quin Ægydius Gonzalez de Avila in theatro Eccleſiaſtico Indiarum tomo ſecundo faucibus octoginta leucas latis flumen argenteum mare ingredi, affirmat. Crede, quod lubet.

Ego illud oſtium bis transgreſſus, ſed, ultro fateor, nunquam dimenſus ſum. Idem factitant navarchi: Princeps eorum cura eſt, illud, quam fieri poſſit, celerrime, feliciterque transmittere; Nec vacat, nec lubet illius latitudinem metiri. Illud certum, hac fluminis vaſtiſſimi latitudine, quæ litoris utriusque conſpectum oculis ſubtrahit, decipi non raro navarchos minus cautos, vel pluſculum credulos. Fallacibus obſervationum ſuarum calculis nimium tribuentes in oceano verſari ſe etiamnum putant, velis liberaliter expanſis, bolide non conſulta audacter progrediuntur; dum denique in ſyrtes impingunt, cum flumine argenteo ſibi jam

rem

rem eſſe, ſero intelligunt denique, ſæpeque pereunt. Noſtro id ſcribo ductus experimento. Die ſancto Thomæ Apoſtolo ſacra navis cœlo ſereno, vento, qui optari poſſit, ſecundiſſimo, velis omnibus procurrit. Aviculas, nusquam alias per oceanum viſas advolare, gramen, arborum frondes natare, aquæ colorem mutari obſervavimus, è quibus facile erat terræ propinquitatem conjicere. Iterum, iterumque de his per nos admonitus navarchus luſitanus, vir cætera & optimus, & cautiſſimus; Aſt obſervationibus confiſus ſuis, ſententiæque tenax: Terram a nobis longe abeſſe, affirmabat identidem, huncque, quem tenuit curſum, velis omnibus proſecuturum ſe ad ſeptimam horam noctis usque, palam edixit. Perimus, ſi ejus dicto factum reſpondiſſet. Sole enim in occaſum vergente turbo brevis (ut intra tropicos ſolet) ſed vehemens irruit. Contrahuntur de more vela omnia. Navim a lupis marinis ſtipatam undique cernimus. Hi vitæ noſtræ ſervatores, in flumine argenteo, periculi pleniſſimo, certe in fluminis limine nos conſiſtere, prodiderunt. Haud equidem alto in mari hæc conſpicaberis unquam amphibia, queis quotidianum eſt ex aquis in ripam exire. Luporum indicium ipſa quoque bolis confirmavit, quæ pauciſſimorum cubitorum fundum detexerat. Lentè hic feſtinandum duxit navarchus erroris priſtini utique convictus. Incudem inter & malleum hæſimus, dum primum illum turbinem mox horrenda tonitribus, ac Auſtro tumultuoſiſſimo fœta tempeſtas excepit. Ne navis ad vicinum ſanctæ Mariæ promontorium, vel in ſyrtes raptaretur, ſic ſibi oppoſita ſunt vela, ut ventus in alterum velum incidens ab altero repellatur (quod Hiſpani, *ponerſe à la capa*, dicunt) quo fit, ut navis eodem loco fluitans progredi haud poſſit. Ad propitiandum Numen præſentiſſimo in diſcrimine

publi-

publica Navarcho præeunte comprecatio expanſis brachiis, flexis genibus ſuſcepta. Navis jactatio, maris, aerisque fremitus, cœli fulgurantis horrifica tonitrua mortis terrorem omni ex parte injecerunt. Sub mediam noctem, vento tantiſper mitigato, velo unico lentiſſime, ac ſuſpenſo, ut ajunt, pede navigatum. Dubia adhuc ſub auroram luce terrarum tractus incogniti oculis obverſabantur. Evaneſcente demum nebula vix tormenti ictu à celſis rupibus promontorii ſanctæ Mariæ nos abeſſe, non ſine trepidatione vidimus. Auctus terror, dum jacta identidem bolide fundum non niſi ſex orgyas altum deprehenderant nautæ, luculentiſſimo navis periculo. Nam aquis mari æſtuante per momenta magis, magisque decreſcentibus, malacia impediti a vicinis recedere cautibus neutiquam poteramus, illis vel illidendi, ſi Auſter redeat, vel in vado hæſuri, ſi malacia perduret. Saluti nobis, ſolatioque incredibili fuit ſol in ipſo meridiei puncto aſpectabilis, è cujus obſervatione, ubi verſemur, demum patuit. Binis poſt meridiem horis aura pertenuis inſinuabat ſe ſe, quæ licet vela haud impleverit, noſtra tamen implevit vota. Levi ejus afflatu e vadis, ac minaci illo litore altum in mare regrĕdi paulatim licuit. Vento poſt ſolis occubitum nobis faventiore in ipſum fluminis alveum irrepſimus eo ſucceſſu, ut die appetente inſulam luporum, luposque ſuis cum catulis colludentes læti ſpectaremus. Aſt bvevem hanc lætitiam tot errores, tot pericula, quæ paulo ante memoravi, eodem die funeſtarunt. Quam timenda ſit argentei fluminis latitudo navarchis quantumvis longo rerum uſu præclariſſimis, ex dictis argue.

Si porro tantum aquarum gurgitem, alveique ad ſexaginta minimum leucas patentis latitudinem

per-

perpendas, haud ægre feres, ſi argenteum flumen cum cæteris quibusque per antiquum, novumque orbem fluviis conferendum, quin & omnibus forte magnitudine præferendum dixero. Verum haud is mihi videor, qui ferre poſſit ſententiam. Nemo tamen à me impetrabit, ut credam, quod Gotthardus Arthus Dantiſcanus in ſua Indiæ orientalis hiſtoria auſus eſt ſcribere: *Fluvius Ganges, ait, qui in ſacris literis Physon vocatur, omnium toto orbe maximus creditur.* Veteres equidem hiſtorici aſſerunt: Triginta amnes cum Gange confluere. Minimam ejus latitudinem per octo paſſuum millia, maximam per viginti patere. Altitudinem, ubi vadoſiſſimus eſt, ad centum pedes extendi. Ex quibus liquet, magnum eſſe quidem Gangem, haud tamen orbis maximum, cum America longe majores oſtentet. Celebrentur licet Euphrates, Indus, Nilus, Araxes, Iſter, Rhenus, Tyberis, Padus, Bætis, Tagus, Boryſthenes, Tameſis &c. haud tamen tantum ſuperbiunt, cum argenteo flumine in comparationem venire ut auſint. In controverſiam tamen jure vocatur, num argenteum hoc flumen, ut ſol aſtra minora ſuperat, reliquis Americæ fluviis amplitudine excellat.

De palma cum illo contendunt fluvius Urinoco in novo regno Granatenſi, & Maragnon, ſeu fluvius Amazonum in Braſilia. Hic ab origine ſeptentrionem verſus procurrit leucas prope centum, inde ad orientem flectitur, ac deinde per quatuor & octoginta oſtia, quorum quodvis ad leucam fere patet, cum mari ſe ſe conjungit, per triginta tamen leucas jam mari mixtus aquam poculentam conſervat, ut aſſerit P. Samuel Fritz noſter, qui obſervationes hujus fluminis anno 1698, & 91 a ſe curatiſſime factas in publicam lucem dedit, literis, ut vocant, ædifican-

ficantibus, & curosis tomo 12 insertas. Clarissimus item condamine ejusdem fluvii descriptionem Geographicam suis ex observationibus, quas cum aliis Patris nostri Joannis Magnin in Quitensi provincia apud Indos Maynas missionarii, & Academici honorarii Parisiensis contulerat, edidit. Pater Antonius Vieira noster, Regum lusitaniæ sacer orator, & subinde Brasiliæ, Maragnonisque expertissimus Apostolus sermone, quem feria secunda Paschatis in urbe Bethlehem provinciæ Maragnonis dixerat, videtur litem diremisse his omnino verbis: *Magnus iste fluvius* (Maragnon) *omnium mundi fluviorum princeps, qui nomen civitati vestræ, & toti provinciæ dedit &c.* Neque tamen scio, num tam vere, quam magnifice hanc de Maragnonis fluvios inter principatu sententiam pronuntiaverit Vieira, à se forsitan vel suspendendam, vel refellendam, si ut in Maragnone, in argenteo flumine perinde versatus fuisset. Qui tria flumina Urinocum, Maragnonem, & argenteum Geometrico rigore dimensus fuerit, illius sententiæ lubens acquiescam. Alienissimus sum a partium studio, illorumque consuetudine, qui rebus illius provinciæ, ubi versati sunt diutius, prærogativam adjudicant, atque adeo apotheosim decernunt. Quatuor licet, & amplius lustra consumpserim in Paraquaria, nunquam mihi tamen in mentem venit propter magnitudinis principatum Paranæ tribuere aliis forte repugnantibus. Argenteo, vel quod nomen plus illi congrueret, luteo flumini haud alio seu nomine, seu beneficio obstrictum me video, nisi quod me sinu suo sæpe, diuque circumvectum non hauserit, suosque inter fluctus nunquam contumularit; Quod latronum beneficium appellamus.

Sed

Sed erit forte Britonum, vel Gallorum quispiam, qui flumen sancti Laurentii in Canada provincia argenteo flumini haud dubie præferendum dixerit? Prægrande illud est, quis inficietur? Longissime enim, latissimoque fluit alveo, ac fundo tam alto, ut naves etiam primi ordinis patiatur. Ad urbem Quebecum usque centum viginti leucas a maris ostio distantem naves bellicæ iter continuant suum; Inde vero ad Montem regalem, quod sexaginta circiter leucas Quebeco abest, onerariæ non mediocres commeare solent. Sed qui istius fluminis magnitudinem refers, cave, triumphum canas. Longius enim vero fluminis argentei navigatio porrigitur. Naves Hispanicæ etiam majores, quæ Gadibus solverant, ad ipsam Assumptionis urbem appulere quondam, a maris ostio leucas circiter quadringentas remotam; Quin ad portum Candelariæ, qui longissimo spatio aberat ab Assumptione Anno 1753 me in Paraquaria agente Hispani duce Emanuele de flores, lusitanique limitum definiendorum causa ad flumen Jaurum usque pervenere, quod gradu latitudinis Australis 16 minuto 25 longitudinis vero 320 minuto 10 ab insula ferro Paraquayo fluvio associatur Naves, queis vehebantur, ad maritimarum normam conditæ, velis instructæ, tormentis, annona pluribus mensibus destinata, militibus oneratæ molis sunt non spernendæ. Hoc navium genere (lanchas vocant) utuntur Hispani Boniaeris per flumen argenteum, quin alto sæpe mari impune se committunt, si breviora sint itinera, portusque viciniores. Crede de argenteo flumine, quod lubet. Maris, non meus, cognatus est Parana. Mihi istic nec seritur, nec metitur. Salva maneat veritas. Hic scriptionis meæ scopus. Absurdissime scripserunt multi multa de hoc flumine. Multi erro-

res

res paucis verbis refelli nequeunt. Hinc nolui hoc de argumento brevis eſſe, ne fierem obſcurus.

Argentei fluminis nomine per Europam percrebreſcente Hiſpanorum plurimi ad Paraquariam convolârunt olim; Verum ubi opes expectaverant, præter inopiam denique invenerunt nihil. Paraquaria Chilenſi, Peruviana, Quitenſi provinciis cingitur, quæ auro, argento, gemmis, lapillisque pretioſis abundant. Nihil horum per omnes Paraquariæ fines ſuppetere, & advenis, & indigenis hodie certum eſt. Repertum iri horum quidpiam, inquies, ſi rite quæreretur. Ne hoc quidem credidero. Novi equidem Hiſpanos ut perſpicaci ingenio, ſic odoratu acerrimo pollere ad theſauros, ſi qui telluris in gremio lateant, inveſtigandos, & liceat ſic dicere, ſagaciter odorandos. Cum igitur auro, argentoque eruendo vel nullam hactenus, vel inutilem operam dederint, nullum usquam latere, mihi ſemper perſuaſi. Quo diutius in illa commoratus ſum provincia, eo luculentioribus argumentis, experimentisque mea opinio firmabatur. Riſi ſæpe hiſtoricos vel rudes, vel nobis malevolos, qui Paraquariam auream, argenteamque ſomniant, quam nos luteam ſemper, ligneamque vidimus tot annis. Pluribus in locis aliqua latentis metalli indicia ſe ſe prodiderunt aliquando, quæ tamen omnia non ad ditandos Hiſpanos magis credulos, verum ad illorum crumenas vacuandas plurimum valuerunt. Referam ingenue, quæ de factis metallorum tentaminibus, opinionibusque ridiculis memoriæ occurrunt. In urbe S. Jacobi de Storea familiariter novi opulentum olim mercatorem, id temporis ad incitas redactum. Cræſum ſe fore, ſperans curas, animum, opesque ſuas omnes ad metalla detegenda convertit. Emiſſarii ære conducti, qui in loca



metallifera, ubiubi demum, indagarent. Neque deerant venales homines, a quibus aurei montes illi ſponderentur. Magno ſumptu ſuſcepta ab illo itinera ad Gubernatorem Tucumaniæ longiſſime abſentem, a quo metalli fodiendi jus ſibi impetraret. In operas, mulos, commeatus, inſtrumenta alia ſcrutandis terræ viſceribus neceſſaria ingentem nummorum vim toties expendit, nullo prorſus operæ pretio, niſi quod opes, quas poſſederat, conſumpſerit, quas ſub terra ſibi pollicebatur, nunquam viderit inops ſubinde, urbisque univerſæ fabula. Agendo omnia nihil egit. Spe ſua deluſus identidem necdum ſapuit. Noverat octoginta circiter leucarum ab urbe S. Jacobi intervallo locum eſſe, cui dudum a ferro nomen. Is in longam planitiem excurrit, ubi Gleba pinquis undique. Sylvæ vicinæ melle optimo, & cera ſcatent, ad quam legendam maximi Hiſpanorum fiunt concurſus. Lapidem, quin ne lapillum per illam vicinitatem usquam deprehendas. Ex ipſo campi ceſpite hinc menſa, illinc arboris truncus prominet, ferri ſpeciem referentes, niſi quod intermicante ſplendore ad argenti ſimilitudinem aliquantulum accedant. Videbatur ſibi vir bonus votorum metam attigiſſe. Enimvero argentum ferro immixtum hic latere juravit, cæteris pleno ore cachinnantibus. Metalli hujus portiunculam, quam avide decerpſerat, fabro liquandam in urbe tradit. Hiſpani præſentes argenteos nummos aliquot fornaculæ injecerant clanculum. Dum ergo maſſam liquatam ex argento, & illo ferri genere compoſitam e fornace profluentem ſpectavit, triumphum geſtiens cecinit, mortalium ſe feliciſſimum ratus. At vero ſociorum ludificatione circumventum ſe, liberaliterque exploſum intelligens, in furias actus fraudis authoribus diriſſima quæque comminabatur. Cæterum exoticum illud,

quod

quod dixi, metallum faber Europæus, a ſe diligenter igni exploratum, quoddam ferri genus eſſe, ſed tam rigidum, tamque vitri inſtar fragile, nulla ut arte flecti, elaborarique, ac nulli eſſe uſui poſſit, mihi affirmavit. Et vero nemo omnium fuit, qui de illo metallo eruendo, elaborandoque porro cogitaret. Huic prope affinem adjicio eventum.

Cordubæ Tucumanorum mercator quiſpiam in maximis rei domeſticæ difficultatibus verſabatur. Suæ ut mederetur inopiæ, mercatu repudiato medicinam, quam nunquam rite perdidicit, profitetur. Metamorphoſis Europæorum hominum per Americam minime rara. Nautæ, milites transfugæ ſi opificium, inſigni licet cum quæſtu, exerceant, fæminam, quæ illis nubere velit, nullam invenient in Paraquaria. Conſilium in arena. Mercaturæ addicunt ſe ſe. Officinam ſuam velis ſebaceis, caſeo, cultellis, acubus, forficibus, lineis, laneisve Strophiolis, aliquot vini cremati lagenis inſtructam quis habeat, jam mercator audit, jam nobilis evadit, quovis vulgo ſuperior, nuptiis, magiſtratibus quibuscunque par habetur. Ad incitas redacti e mercatoribus repente medici fiunt. Nihil hôc frequentius. Qui vix barbam radere, venam pertundere, unques reſecare, cucurbitulas cuti applicare, enema injicere, unguentum illinere nôrunt in Europa, oceanum emenſi jam, quoties viſum, pro Galenis ſe venditant in Paraquaria, horis ante, & poſtmeridianis ægrotantes impune, ac pro arbitrio mactant ficti hi medici, quavis peſte periculoſiores. Hujus, niſi vehementiſſime fallor, furfuris erat Bartholomæus, de quo mihi ſermo. Ex alienis morbis, ac mortibus ſuam nil intumeſcere crumenam expertus, formidatusque paſſim, mutato demum conſilio, relictis pharmacis ad metalla, ſpei ſuæ ultimam an-

choram, animum applicuit. In vicinis cordubæ alpibus auri latentis indicia proſtare, vagus, neſcio quorum, rumor vulgaverat. Conſultis rerum peritioribus, obtenta a Præfectis Regiis licentia, conductis foſſoribus, emptisque ſola pretii ſponſione ad eos alendos pecoribus, terræ rimatur latrebras aliquamdiu, ſed fructu nullo, detrimento luculentiſſimo, ſumptu intolerabili, cum ligna, aquaque neceſſaria multas per leucas mulorum tergo fuerint advehenda. Ære alieno, quod auri ſpe contraxerat, oppreſſus miſer documento fuit cæteris, in ſuperficie telluris tutius, quam in ſubterraneis montium cordubenſium cavernis aurum quæri. Et vero nulli poſthac, quod quidem ſciam, in mentem venit iſtic in auri venas inquirere. Rumor quoque, ſed fors rumor tantum, per vulgi circulos circumfertur, Indos quondam ante Hiſpanorum adventum ex alpibus, quæ urbem Riojam ambiunt, aurum eruiſſe. Omnis tamen conatus Hiſpanorum, qui nobili huic metallo eodem in loco inſidiabantur, ſemper irritus fuit. In montibus, qui urbi Montevideo imminent, auri particulas detectas fuiſſe noſtra ætate, ipſe mihi Boniaeris Gubernator Andonaegui, dum ejus menſæ accumberem, ſignificavit anno 1749 ineunte. Id Regi catholico etſi nunciatum eſſet, nec tamen Regio unquam, neque privati cujusdam nomine in ſcrutandis, cavandisque illis montibus laboratum eſt, quod parum ſpei, rei forte nihil illis ineſſe putaretur. In propinquo urbeculæ Montevideo amne Roſario inventos fuiſſe amethyſtos aliquot neſcio quis ſparſerat. Verum illos aut non genuinos, aut aliunde allatos fuiſſe, cum pluribus aliis eodem in amne quærendis nemo operam dediſſe audiatur, exiſtimavi.

Quay-

Quayram provinciam, quæ ad ſeptentriones hinc plurimum vergit, inde Braſiliæ fines ad ortum attingit, ac a Parana alluitur, primi habitatores Hiſpani metallorum divitem opinabantur perperam, ſibique lapidum pretioſiſſimorum meſſem uberem promittebant. Neſciverant equidem, non omne, quod ſplendet, aurum, vel admantem eſſe. Ad Paranæ litora reperti ſunt aliquando lapides, quos Cocos de mina appellarunt. Figuræ ſunt jam rotundæ, jam ovatæ. Superficie vulgarium lapidum inſtar aſpera, & dura. Colore obſcuri. Mole ſua granatum malum, ſeu Punicum, caput humanum aliquando æquant. Suum intra corticem claudunt lapillos coloris varii, & magni, ſi imperitorum oculis ſpectentur, pretii. Hi putant Cryſtallum nitidam, amethyſtos, pyropos, ſmaragdos &c. ſe videre. Sed luduntur oculi. Apud artis peritos eodem, quo Bohemici quidam lapilli, habentur loco. Lapidem hunc, coco de mina, lapillis ejusmodi prægnantem ingenti cum tonitru, quale a machina bellica editur, crepare, ac disrumpi, ajunt, ut primum maturus eſt, quem ſinu gerit, eorum judicio nobilis fœtus. Hanc figuram, has proprietates illi vulgo tribuunt, qua fide, neſcio. Ego quidem, licet majorem Paraquariæ partem, & cumprimis Paranæ litora attentis in naturam oculis peragraverim, ejusmodi lapidem nusquam vidi. Hoc lapidum genus, coco de mina, in aliis Americæ provinciis, ubi gemmas genuinas naſci conſtat, ſuum fors habere pretium non auſim negare, nego tamen audacter vel unum Paraquarienſium hoc ditatum fuiſſe. Stupida quorundam ex fallaci hoc Gemmarum ſimulacro opes ſperantium credulitas inſigni paupertate mulctabatur, ut omnes novimus. Xerez, la ciudad Real, la villa rica Quayrenſes olim urbes, quæ pro metallorum, divitiarumque fontibus habebantur,

miſeriæ, indigentiæque ſeminaria exſtiterunt. Auri ſacra fames quot non Europæorum millia delirare coegit in Paraquaria! Ea illorum in mentibus altiſſime defixa eſt opinio, Paraquariam theſauros poſſidere ſuos, ſed hactenus Celaſſe in terræ viſceribus. Petrus Stephanus de Avila Boniaeris Gubenator Paraquariam metallis gravidam Regi depinxit anno 1637. Idem ſenſiſſe videtur Ruiz Diaz Melgarejo urbis villa rica Conditor. Verum Emanuel de Frias Ruizii gener ac dein' Gubernator Regem certiorem reddidit, omnibus induſtriis exhauſtis Ruizium nihil omnino metallorum detexiſſe, & qui Matritenſem ad aulam ſcripſerant, Quayrenſibns in territoriis metalla latere, implacabili in Jeſuitas odio infames ad conflandam illis invidiam talia ſcripſiſſe; Verum ejusmodi homines, quippe calumniatores, ad ferendum teſtimonium inhabiles, fide indignos utique eſſe. Quæ villa rica, ſeu urbs dives vocabatur, ſolum nomine, ac metallorum ſpe, nunquam re opulenta exſtitit.

Cum illis in terris Paraquariæ, quas pedibus emenſi, oculis contemplati ſunt, auri, argentive nil deprehenderint, hæc metalla Quaraniorum, quos Jeſuitæ imbuendos religione ſuſceperant, nativo in ſolo deliteſcere ſibi, immo & aliis perſuaſerunt. Ex futili hac conjectura quot paſſim mendacia procuſa, quantæ in nos vibratæ calumniæ! Et vero, cum Philoſopho authore falſa ſint ſæpe veris probabiliora, calumniis non raro fides adhibita ab iis, quorum intererat calumniatores plectere, minimum refrænare. Authoritate Regia, Jeſuitis non optantibus id modo, ſed & petentibus, miſſi ſunt olim homines, qui, num quid metalli Quaranicis in territoriis extaret, diligenter circumſpectarent. His exploratoribus quadam in urbe viæ dux additus Quaranius transfuga, homo

homo venalis fidei, nulliusque frugis. Iſte equidem furcifer a Jeſuitarum inſectatore donis, amplisque promiſſionibus captatus edixerat: Aurifodinas Quaraniorum in oppidi Conceptionis agro ad Uruquayi litora ſibi perſpectas, huncque locum caſtri inſtar propugnaculis, bellicis machinis, numeroſoque præſidio munitum eſſe. Illuc igitur via recta acceleratum iter. Pauculas jam leucas ab aurifera illa, ſi ſuperis placet, ſtatione aberant. Indus veterator mendacii, quod poſtridie detegendum præviderat, poenas male metuens, noctu fugam cepit. Sed in oppido Yapeyù deprehenſus ab ipſo Miſſionario noſtro vinculis, cuſtodibusque provide adhibitis ad illos, a quibus profugerat, Hiſpanos fideliter, celeriterque remiſſus eſt. Undique fraus de commentitiis illis auri fodinis, munitionibusque patuit. Detracta fabulæ, calumniæque larva. Omnes locorum angulos longe, lateque ſpeculati Hiſpani: Nihil iſtic metallorum extare, quin conſiderata ſitus natura nequidem expectari prudenter, aut procreari poſſe, concordi, publicaque voce teſtabantur. Indus perfidiam luit ſuam. Accuſatores Jeſuitarum Hiſpani quidam Regio nomine caluminatores declarati, bonorum confiſcatione, perpetuæ infamiæ nota mulctati, ad quasvis demum præfecturas inhabiles pronuntiati fuêre. Repreſſa quidem his Regiæ ſententiæ fulminibus tantiſper calumniandi licentia; Haud tamen de metallis apud Quaranios ſepultis ridicula ſuſpicio penitus extincta, quin ad Europæos male credulos propagata fuit.

Idem error luſitanorum in Braſilia animis altiſſime inſederat, qui noſtris ad Uruquayum flumen miſſionariis dicere auſi ſunt aliquando: Hoc ſolum omne, quod veſtris calcatur pedibus, aurum eſt.

Auri ſpes fuit, quæ notiſſimum Gomez Freire de Andrade fluminis S. Januarii in Braſilia Gubernatorem impulit, ut aulæ Ulyſſiponenſi permutationem Coloniæ ſanctiſſimi ſacramenti cum ſeptem Uruquayenſibus oppidis perſuaderet. Hæc expulſis triginta duobus Quaraniorum millibus eorum incolis, ut ſuperius retuli, Hiſpani jam jam ex pacto tradere volebant, ſed a luſitanis non fuere acceptata. Hujus rei præter alias cauſa paſſim vulgabatur in Paraquaria: quod luſitani diligenter nunc inſpectis, & belli occaſione luſtratis ad uruquayum terris nullum prorſus metalli cuju cunque indicium iſtic deprehenderint, ubi quondam ſolis nixi ſuſpicionibus aureos montes ſibi ſomniarunt.

Riſum mihi moverunt perſæpe Hiſpani Quaranicis in oppidis hoſpites. Lapillos quosvis triviales, in quos per viam inciderant, avide, ſoliciteque collegerant, & pro varietate coloris jam pro ſmaragdis, jam pro amethyſtis, vel pyropis habitos aſportarant. Monui illorum non paucos: Ejusmodi exoticæ figuræ, re ipſa tamen vulgaribus lapillis fluviorum ripas paſſim, viasque adeo ſcatere, ut non navibus duntaxat, ſed & claſſibus onerandis ſufficerent. Sed fruſtra hæc. Quidquid Quaranico in ſolo inventum, pro auro, pro gemmis habendum putaverunt, a gemmariis, & chryſopoiis turpiſſime explodendi. Phantaſia crepundiis quibusvis pretium ſæpe fingit. Adamantes, quos toti late Paraquariæ negavit natura, calumnia, Jeſuitarumque inveteratum odium Quaranicis terris liberaliter affinxit, ephemeridumque Europæarum publicos ſcriptores circumvenit. In ejusmodi pagina Matritenſi (Gazeta de Madrid) hæc legi aliquando: *ſcribunt* (titulus loci erat londinum) *ex Braſilia, Jeſuitas Paraquariæ ſuas adamantum fodinas*

ad tantum perfectionis gradum perduxisse, ut magnopere timendum videatur, ne pretium adamantum Brasiliensium dein vilescat. Hanc pagellam Carolo Morphy Paraquariæ Gubernatori Hyberno, bellica virtute, scientiisque clarissimo, dum ad me in S. Joachimi oppido inviseret, legendam porrexi. Perlegit alta voce, risu, an indignatione majori, nescio. Circumstantibus sociis Hispanis, viris militaribus, in Paraquaria natis, & illius provinciæ rerum scientissimis somnium, deliramentumve scriptoris Matritensis id videbatur, sed scilicet citra culpam suam ab impudenter mendacibus decepti. Quam prurit mihi calamus ad recitanda istorum nomina! Tales sunt plerique, ut mendacium in illos cadere non posse videatur. Adamantis vel tenuem particulam quocunque pretio empturiebam semper ad vitra in varios templi usus findenda, sed, qui venderet, qui haberet, repertus est nunquam. Silex adamantis loco usque mihi adhibendus fuit. Ex hoc, quid de Jesuiticis illis adamantum fodinis sentiendum, conjice. Hi in calumniatorum, vel stupidorum commentariis duntaxat, in Paraquaria nunquam exstitere. Si Barbari ad fretum Magallanicum metalli quid habeant, illud ex alpibus chilensibus impetrarunt, ubi metalla inveniri, nemo ignorat. Sed Chilensis provincia a Paraquaria differt perinde, ut Austria a vicina Hungaria. Hæc auro, argento abundat, illa caret utroque. Lusitani in Cuyaba sita in 14 gradu latitudinis meridionalis, & 322 gradu longitudinis, in Mato Grosso, & in propugnaculo seu munitiuncula sanctæ Rosæ (la estacada) ex amnibus variis arenas, ex arenis micas auri, seu psegmata, legunt, Hispanis olim conniventibus, nunc post ultimam pacis sanctionem palam consentientibus; Memorata enim territoria intra Brasiliæ fines contineri lusitani contenderunt semper, Hispanis ea

vel Paraquariæ, vel Peruvio ſuo adnumerantibus. Illam auri ſcobem ex arenis rivorum Paraquarienſium ſeu ab Hiſpano, ſeu ab Indo quopiam quæri, invenirive, nunquam audivi, nusquam vidi. Neque ſcio, num rivorum ſterilitati, an Paraquarienſium deſidiæ id ſit tribuendum. Luſitanos enim in rebus omnibus ſolertiores, ſed & auri ſitientiores experti ſumus in America, quod ne Hiſpani quidem inficiabuntur.

Ad veritatem eorum, quæ hoc de argumento ſcripſi, ſtabiliendam magni ponderis mihi videtur clariſſimi Bougainvillii teſtimonium, qui licet ſuas Paraquariæ notitias ex authoribus tunc noſtro nomini periculoſis & forte infenſis hauſerit, aperte, intrepideque affirmat: In illa provincia nec aurum, neque argentum procreari. Cum plura alia veritati ſimul, ſimul famæ noſtræ adverſa, perperam edoctus, adnotarit, nil ambigo, ſcripturum quoque illum fuiſſe de auri, argentique venis, ſi quas in territoriis, ubi Jeſuitæ verſabantur, exiſtere vel eminus intellexiſſet. Illius ſilentium præ quavis Rhetorica plus valet ad fidem mihi conciliandam. His accedit aliud invictiſſimum omnino argumentum, quo vel ſtupidiſſimi de veritate convincantur: Ab anno 1767 a ſuis, quæ condiderunt, conſervaruntque, Indorum oppidis, a collegiis, prædiisque ſuis abſunt Jeſuitæ, per varias adhucdum Europæ provincias ſparſi. Hiſpanorum dominio, arbitrio, oculis, manibusque relicta omnia. Tredecim jam poſt noſtrum abitum fluxere anni. Si quid metallorum, gemmarumve usquam extaret, illorum profecto ſagaces oculos neutiquam fugiſſet. Dudum a centum famæ buccinatoribus per omnes Europæ angulos id fuiſſet pervulgatum. Verum nemo hactenus de Paraquaria vel hiſcere auſus. Mihi quidem, qui ephemeridum folia diver-

diverſiſſima legere conſuevi, in hunc usque diem nil ejusmodi ſeu lectum, ſeu auditum fuit. Tot auri, famæquæ noſtræ inſidiatores avidos nobis dudum abſentibus nil detexiſſe, haud miror; Defuiſſe, qui id fingeret, hominem malignum, ſtupeo, cum tanta nobis adhuc præſentibus affinxerint jam errore, jam malitia, invidiaque ducti. Quam ingenus ſim, ut perſpicias, naturæ in Paraquariam liberalitatem candide exponam. Videbis, ridebisque ejus theſauros.

Superiori ſeculo exeunte P. Antonius Sepp Tyrolenſis, vir antiqui moris, muſica arte, virtutibus eximiis clarus, ac de Quaranica natione optime meritus ex lapidibus, quos ytacurù dicunt, in camporum ſuperficie paſſim obviis aliquantulum ferri extorquere didicit, ope ignis acerrimi, perque viginti quatuor horas continuati. Verum vix imitatores habuit. Labore enim tanto, tanto ligno tantillum ferri conſtat, ut nullum videatur operæpretium. Lapides illi ex lapillis minutiſſimis concreti, fuſci coloris, punctulisque nigris maculati ſunt. Noſtra ætate pluſculum ferri navibus Hiſpanicis allatum eſt, pretio tamen Europæis vix credibili venditur etiamnum. Securis enim, ſi ex ferro eſt Suecico, vel Styriaco, quatuor florenis Germanicis, ſi ex ferro Hiſpanico ſeu Cantabrico, octo florenis venditur. Qui ſapit, duplicato pretio emet ſecurim Cantalabricam, quia diutius, quam binæ ſecures ſeptentrionali ex ferro, duraturam. Singulis adoleſcentibus Quaraniis ipſo, quo nuptias celebrant, die; Conjugatis ſingulis plerumque Calendis Januarii culter vulgaris, qualis in menſa adhibetur, ab oppidi parocho Jeſuita dari conſueverat. Sola hæc cultri donatio plus, quam Europæi credant, ſumptuoſa eſt, cum oppida pleraque quatuor capitum millia, aliqua ſex, vel ſeptem nu-

me-

merent, quod alias dixi. Adolescentes, puellæque fissa arundine carnem bubulam secare, vel dentibus discerpere solent. Tanta licet sit ferri Caritas, raritasque, nemini nostrûm in mentem venit unquam, ex illis lapidibus Ytacurù improbo labore ferri portiunculam emendicare. Sunt, qui experientiis nixi suis, opinantur, ædes ex lapidibus ejusmodi structas fulminibus maxime obnoxias esse; Quid? si a ferri particulis intus latentibus attraherentur. Anglus certe honesto loco natus, neque scientiarum expers Gadibus mihi asseruit: Gentiles suos marsupium, gladium, & quidquid metalli secum circumferunt, abjicere, tempestate sæviori ingruente eo, quod fulmina a metallis attrahi suspicentur. Quam quidem Anglorum suspicionem vix ausim aspernari memor eventuum, quos in America expertus sum aliquando. In oppido S Joachimi tertia post meridiem hora excussum fulmen penes cubiculum, ubi necessaria ferri supellex pro fabri officina asservabatur, ortum inde incendium, & 20 horas sæviens totam prope domum, cubiculum meum si excipias, in cineres redegit. Montes altissimi, qui in Cordubensi territorio vallem Calamuchita circumstant, magnetem fusci, melius dicam, plumbei coloris producunt. Per autumni ferias illuc rusticatum missus cum sociis intellexi, paucos ante menses fulmen in illud domus nostræ cubiculum incidisse, ubi secures, serræ, aliaque e ferro instrumenta fabrilia reponebantur; His magneticam vim impressit fulmen; nam acus, & quidquid ferri est, validissime sibi attrahebant. Nec mirum: fulmen ex vaporibus illarum alpium magnete copioso prægnantium procreatum magneticam virtutem exeruit; Id quod & aliis quibusque fulminibus in Europa proprium esse, ut magneticum quid

habe-

habeant, afferitur. Id omne phyficis, naturæ fpeculatoribus, arbitrandum relinquo.

Ex alpibus Cordubenfibus eruitur aliquando Talcum, quod latini lapidem fpecularem, vel lunarem, Græci aphrofelenum, vel felebitem, Germani frauenglaf appellant. Eft fpecies lapidis blandioris, coloris candidi, leviffimi ponderis, nullius firmitatis. Compingitur ex tenuibus foliis. In tenues bracteolas cultello dividi ut poffit, aquis immergendus eft aliquamdiu. Leniter uftus papyri mollitudinem, coloremque argenti induit, parandis ad fallendos oculos icunculis, aliisque pro templorum pauperum ornatu figuris concinnandis adhibetur. Ex multis, quæ hoc ex lapide evelluntur, foliolis pauciffima invenias undique nitida, ac pellucida; Pleraque enim maculis jam flavis jam nigris obfcurantur. Meliora in feneftris, lucernisque vitrum fupplent, cujus, dum anno 1748 Paraquariam attigi, ingens ubique & paucitas, & pretium. In præcipuis provinciæ collegiis, Quaraniorumque oppidis feneftram vitream ne unam quidem deprehendi. Quisque fibi ex talco (cum rarum fit, raro impetratur) ex papyro, ex tela linea feneftram fibi ftruit fuam, & cum a quovis imbre, vel vento importuniori hæc difcerpatur, identidem redintegrare cogitur. Poftremis tamen, quos in Paraquaria egi, annis vitri multitudo navibus Hifpanicis advecta eft. Imminuto ejus pretio feneftris vitreis cubicula, templaque paffim refplenduêre. In templis, qua parte Auftrum refpiciunt, feneftræ vitreæ loco lapis collocatur, qui, alabaftritis fpecies, durus, candidi coloris eft, & lucis aliquid transmittit. Magnis fumptibus ex Peruvio, nativo ejus folo, adfertur. Aufter namque Meridionali in America furentiffimus primo, unoque impetu, quidquid vitri

habet obvium, perrumpit, cum & domos integras ſternat ſæpe, ingentium navium vaſtiſſimos malos confringat, ac Cœlo minitantes Cedros evulſis radicibus præcipites agat. Lapides, Calci cæmentariorum parandæ idonei per omnem prope Paraquariam in promptu ſunt; In Quaraniorum tamen, & Abiponum territoriis omnino deſiderantur. Paraquayi, aliorumque fluminum litora Gypſum paſſim offerunt. Quaranii, qui ab his litoribus abſunt longius, cochlearum aquatilium, vel limacum terreſtrium conchis in calcem crematis, vel creta, quam tobaty vocant, terræ Tripolitanæ ſimili ad parietes dealbandos utuntur. Cum neque hujus mihi copia eſſet in oppido Beatæ Virginis Roſarii, & ſancti Caroli a me condito, ſacram ædiculam, tuguriumque meum cineribus bubulo ſanquine ſubactis livi, ne parietes e ligno, arundine, limo, bubuloque fimo coagmentati oculos offenderent. Ad Tebiquary majoris ripas marmor nigrum maculis viridibus diſtinctum, ſed exiquæ molis, videram aliquando. Num alia alibi marmora, ſaxave inſigniora ſub terra deliteſcant, ignoro. In Parana, quin & in ſylvis, campisque ligna, cornua, oſſaque lapideſcere, ſupra dixi, ipſusque vidi. Nulli tamen illic ſunt uſui, neque, ut apud Europæos, magni fiunt, quia minime rara, quia domeſtica. Adeo ſcilicet ubique gentium raritas, peregrinitasque rebus pretium addit, atque admirabilitatem. Ex oppido S. Joachimi per urucuty terras iter faciens in colliculo, quem, viciniam ſpeculaturus, cum duobus Quaraniis pedes conſcendi, lapides vulgares per terræ ſuperficiem undique ſtratos inveni, variæ quidem magnitudinis, ſed ejusdem prope figuræ. Singuli enim ore, naribus, binis oculis inſigniti humanæ faciei imaginem non illepide exprimebant. Rei novitas riſum nobis multum, ſed plus

plus admirationis attulit. Aquarum pluviarum impetu, frequentiaque cavatos hos lapides, nil hæſitans adverti; Æqualem tamen vultûs figuram illis inpreſſam, hoc ſolum loco, non alibi obſervatam, demiratus ſum. Huic colli nomen: *Yta robà lapides faciei* mox Indi Qnaranii indiderunt. Silices rubri, nigrique coloris, igne copioſiſſimo fœti, ac ſclopis inſigniter idonei multis in locis, præſertim ad Uruquayi ripas, proſtant. Verum deſunt inſtrumenta, quibus ſcindi, ac ad ſcloporum uſum aptari poſſent. Num Paraquaria alumen, ſulphur, Mercurium usquam procreet, haud ſcio; Nitro tamen plures campi abundant, illi maxime, quos palmæ, Caranday dictæ, circumſiſtunt. Aqua pluvia ex illarum foliis decidens per contractam ex iis ſalſuginem nitri videtur eſſe ſemen. In non nullis lacubus, nemine adlaborante, aqua in ſalem concreſcit poſt longiorem ſiccitatem. Aliis in locis nitrum collectum ollis teſtaceis coquitur, & in ſalem abit. In omnibus Quaraniorum territoriis nulla omnino ſalis copia. Hiſpanorum e coloniis longo itinere, maximis expenſis apportatur. Teſtudines, queis fluvii, rivi, quin apud Chiquitos etiam ſylvæ ſcatent, non ſunt ex illarum genere, quarum concha Europæis pretioſa, & operi faciundo idonea. Arundines, quas Hiſpanicas vulgo Germani, Indicas Hiſpani vocant, & pro baculis adhibemus, ignorat Paraquaria, etſi tot alia variæ formæ, & magnitudinis arundinum Genera numeret.

Aſt quorſum, amabo, has tibi minutias commemoro? Meam ut ſinceritatem, fatendique omnia, quæ Paraquaria profert, deſiderium ut tandem agnoſcas. Næ! inſigniter ſtolidus ſit, ac perfrictæ frontis, qui mihi teſti oculato minus fidei tribuendum

putet,

putet, quam putidis illorum libellis, qui ſeu rerum ignoratione, ſeu aliis rationibus ducti Paraquariam auri, argenti, margaritarum ſeminarium mentiuntur. Hallucinati ſunt complures, qui in ipſa Paraquaria de Paraquaria ſcripſere. Theſauros illi liberaliter tribuunt, non quod illos poſſideat, ſed quod illos in metallorum inope provincia ſibi ſomniaverint. Cæcus ſomniavit ſe videre (Hiſpanorum eſt adagium) & ſomniavit id, quod deſideravit. *El ciego soñaba, que veia, y soñaba lo, que queria.* Horum e numero eſt Martinus del Barco in urbe Boniaeris Archidiaconus, qui in ſuo poemate: *Argentina, y conquiſta del rio de la plata*, rhytmis Hiſpanicis ſeculo ſuperiore ſcripto præter alia fide indigna affirmat: In lacuna aliqua, circa quam Abipones nunc habitant, uniones procreari. Indorum ſeniſſimi, experientia, veracitateque magis conſpicui, in illa vicinitate nati, verſatique annis plurimis: Nil unionum usquam a ſe viſum, nil hac ſuper re a majoribus ſuis auditum, uno omnes ore reſponderunt. Hi barbari cum ad ſe ornandos Globulos vitreos ex Europa allatos, ſphærulas e cochlearum teſta fictas, fructuum variorum ſemina, nucleosque, avium unques, & quas non quisquilias e collo, e brachiis, e ſuris ſuſpendant quotidie, quidni unionibus inhiaſſent ſitienter, naturâ lucidis, ſi in illorum aliquando oculos, manusve incurriſſent. Hanc igitur lacunam, unionum feracem, fabulis jure adnumeramus, hiſtoriarum e numero dudum a prudentibus expunctam. Quam abſurde creduli, quam ſuſpicioſi fuerint in rebus omnibus, quæ ad metallorum famam pertinent, ipſi indigenæ, colliges ex ipſis Patris Nicolai Duran verbis, qui poſtquam Quaraniorum oppida recentia in Quayrenſi regione (jam luſitanici juris) Provincialis viſitaverat, teſtis oculatus hæc refert: *Rupes etiam ibi ingens*, *viſitur*, ait, *cujus*

fama

fama omnes hasce terras pervasit, & pauper rupes per antiphrasim appellatur; Quod omnes existiment ditissimam illic auri fodinam latere, immo totam rupem auream esse dicunt. Rupes est admodum monstrosa, vario colore distincta, ac fulgore ita micante, ut solis radii haud secus in eam, atque in speculum incidant, ac reflectantur. Quo fit, ut metallum aliquod prædives esse suspicentur. Quotquot in his partibus vel Gubernatores, vel milites degunt, incredibili aviditate rupem hanc reperire affectant; Sed propter periculum, ne aberrent, ac pereant, non eo audaciæ procedere audent, ut se viæ committant ab eo præsertim tempore, quo triginta eorum balsæ (naves e duobus lintribus compactæ) *dum eam quærerent, periêre. Ego illac transiens, quid rei subesset, tentavi, ac merum esse saxum reperi, quod ab arenis, quæ ex flumine a vento illuc feruntur, adeo lævigatum, ac tersum est, ut vitro, quam saxo similius videatur. Atque is ut plurimum humanæ spei portus, atque exitus esse solet.* Sic ad verbum dictus Nicolaus Duran folio 92 in annuis literis Paraquariæ anni 1626 & sequentium, Antverpiæ editis. Rem ita se habere, ut scripsit, mihi palam est. Quayranas enim terras, ubi decantata illa, & jam explosa rupes, plurimis ab hinc annis lusitani obtinent; Hi naturæ beneficio ut perspicaces, sic intrepidi molestiarum, periculorumque contemptores nil unquam intentatum relinquunt, ut latentia metalla detegant, detecta suos in usus quantocunque labore convertant. Si rupes illa præter lapides nobile quid sinu gestasset suo, dudum ab illis expugnata, spoliataque fuisset. Verum nulla de hoc unquam facta mentio. Istudne vicina lusitanis Brasilis Paraquaria ignorasset?

Argentea vasa Hispanorum in ædibus, argentea passim in templis urbium supellex visitur. Quaraniis in coloniis non altaria modo, sed ipsa alicubi tem-

plorum laquearia auri foliis veſtita ſunt. Nil horum inficior. Noveris tamen, aurum, argentumque id omne non in Paraquariæ viſceribus natum, ſed ex Peruviana, chilenſique provinciis allatum fuiſſe. Quaranii pro ſuis & pro Hiſpanorum templis prægrandes campanas ex ære fundunt; Verum æs Chilenſes ſuppeditant. Nulla vel Regis vel alterius nomine cuditur moneta per omnem Paraquariam. Hinc exſibilatus a prudentioribus Europæis malignus, ſed ſtolidus Veterator, qui Nicolai, quem Paraquariæ Regem confinxerant, nomine monetam edidit, re ipſa in Quitenſi provincia cuſam. Sed rudiores duntaxat, queis parum cerebri, multum in nos bilis eſt, decepit. Paucas ſi urbes excipias, quibus vel cum Europæis navibus, vel cum Peruvianis, Chilenſibus, Luſitanisve confiniis negotiatio eſt, nullus, certe rariſſimus viget monetarum uſus; Rerum permutatione, ut apud veteres olim, hic ſuppletur. Equi, muli, boves, ovesque, tabaca, Goſſipium, herba Paraquarica, ſaccharum, ſal, triticum varium, alii ſeu agrorum, ſeu arborum fructus, animalium pelles &c. pro nummis ſunt in Paraquaria, quibus & neceſſaria a ſingulis emuntur, & Epiſcopis, Parochis, Præfectis Regiis ſtipendia ſolita, vectigaliaque perſolvuntur, maxime in Aſſumptionis urbis territorio. Rebus omnibus, quæ natura proveniunt, fixa ſunt a magiſtratu pretia, quæ ementes, vendentesque probiſſime norunt, ac obſervant. Hiſpana hera candelis ſebaceis indigens ſervæ ſuæ Africanæ calathum, vel fiſcellam tradit, ubi goſſipii, tabacæ, herbæ Paraquaricæ, ſacchari, ſalisve repoſita eſt portio. Horum aliquid pro arbitratu, juxta publicas tamen pretiorum leges, accipit qui candelas vendit. Nulla hic altercandi occaſio emptori cum venditore. In pauculis urbibus, ubi monetarum uſus, triplex duntaxat

taxat nummorum argenteorum genus reperitur, ſcilicet: Un *peſo fuerte*, *peſo de plata*, *patacon*, qui imperialis, ſeu duorum florenorum Germanicorum pretium æquat. Un *real de plata*, & *medio real de plata.* Primus groſſis quinque Germanicis; Alter ſeptem cruciferis, & medio æquivalet. Nec aureos, neque æneos nummos usquam conſpicias. Indi in oppidis curæ noſtræ creditis omni monetarum genere carent omnino, nosque perinde, niſi quod in quovis oppido 14 nummos argenteos ſeu totidem reales, vel medios reales de plata in promptu habuerimus; Hi enim nummi juxta Eccleſiæ Hiſpanienſis ritum in publicis nuptiis a ſacerdote parocho ſponſo, ab hoc ſponſæ porriguntur ceu arrhæ; Sed mox parocho redduntur adeo, ut iidem nummi, iidem annuli nuptiales aliis, atque aliis ſerviant ſemper. Viginti duobus annis Hiſpanos inter, Indosque Paraquariæ verſatus monetam, quis credat? Auream, neque aliud quid ex auro fictum me vidiſſe, haud memini, præter Epiſcopi annulum; Hic quoque num aureus fuerit, non auſim affirmare; Nam ex metallo, quod tombaga vocant Hiſpani, auroque videntur præferre, plerique Epiſcoporum annulos geſtare conſueverunt. Quod Tacitus de Germania vetere ſcripſit: *Argentum, & aurum propitii, an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ Venam argentum, aurumve gignere. Quis enim ſcrutatus eſt?* Paragrapho quinto de moribus Germanorum; Id Paraquariæ prorſus convenire, exiſtimo. Si aurum, argentumque illic procreaſſet liberalis natura, arsque, ac induſtria detexiſſet, Hiſpani pecorum, herbæque celebris, quæ vicinis neceſſaria populis, culturam ſane moleſtam dudum abjeciſſent; Indi metallis fodiendis occupandi, religionem perinde, ac Hiſpanorum amicitiam, cum ſervitute conjungendam refugiſſent.

giſſent. Nunquam tot barbarorum, qui ſacra noſtra amplexi ſunt, millia numeraſſemus. Ut adeo metallorum ſeu inopia ſeu ignoratio divinis beneficiis, Paraquariæque felicitatibus adnumeranda mihi videatur.

Paraquaria omnis licet metallorum inops, certe inſcia ſit adhuc, cave, pauperem ilam, miſeramque dixeris. Rebus equidem ad vitæ humanæ uſus, omni præſertim pecorum genere abundat. Provinciam, ubi boum, equorum, mulorum, ovium copioſiora per campos oberrent agmina, nusquam terrarum detexeris. Singulæ illorum ſpecies ab Hiſpanis advenis Paraquariæ olim illatæ, & ducentorum annorum intervallo tum ob paſcua lætiſſima, tum ob perpetuam quavis anni parte diu, noctuque campos pervagandi libertatem incredibili ſobolis multitudine auctæ fuerunt. Bubuli pecoris tam numeroſa fœtura exiſtit, ut credi ab Europæo vix queat. Quinquaginta ante annos, cum campi omnes boum, qui primi capientis erant, catervis obſiderentur, iter facientibus per præmiſſos equites via aperienda fuit, qui obſtantes, cornibusque minitantes beſtias arcerent. Neque mirum idcirco, bovem adultum quinque Groſſis (un real de plata) id temporis paſſim veniiſſe, ut ex rationum libris vetuſtioribus liquet. Altare majus e ligno affabre ſculptum, quod in S. Franciſci Borgiæ ad Uruquayi ripas oppido demiratus ſum, triginta boum millibus, necdum auro veſtitum conſtitiſſe, dicitur. Opus fuit Quaraniorum oppidi lauretani, queis frater noſter Praſanelli Romanus ſculptor egregius magiſter artis obtigit. Hiſpanus quiscunque prædium amplificaturus ſuum, pauculis lineæ, laneæve telæ ulnis equitum conduxit manum, qui paucas intra hebdomadas octo, decem, plura etiam

vac-

vaccarum, taurorumque millia illi ex campo adducunt. Boum Paraquarienſium formam nôſſe cupis? Nam hoc a pluribus interrogatus fui. Proceritate Hungaricos boves æquant, corporis mole plerumque ſuperant, non ejusdem tamen, ut illi, ſed varii coloris. Feroci quadam arrogantia, capita alta gerentes, cervos imitantur, curſus etiam celeritate iisdem prope pares. Ni diutina cœli ſiccitate paſcua marceſcant, e bobus ſingulis, dum mactantur, præter ſebum copioſum tanti ponderis adipem colliges, ut illi aſportando viri duo robuſti interdum vix ſufficiant. Adeps bubulus butiri liquati in culina vices agit ſemper. Vaccæ enim, quia ferociores, rariſſime mulgentur; Illas circurare laborioſum eſt multi temporis negotium, hinc & Hiſpanis & Indis ſegnioribus inviſum. Cicuratæ non niſi ligatis pedibus, vituloque adſtante lac fundunt. Interdiu matres cum vitulis ad paſcua remittuntur, ſub veſperum domum redeunt ultro, noctuque, ne a vitulis lac exhauriatur, ſeparantur. Inde eſt, quod rariſſimum in Paraquaria univerſa lactis, caſeique uſum deprehendas, butiri prope nullum. Lanius, & macellum Carnarium ignota ſunt Paraquarienſibus nomina. Suos quisque jugulat boves pro arbitrio. Egentiores non libras carnis aliquot, ut in Europa moris, ſed bovis jugulati partem integram emunt, plerumque ex gratuita opulentiorum liberalitate aufferunt. Tauro vel furentiſſimo trucidando bini, ternive adoleſcentes ſufficiunt. Illius collo laqueum coriaceum injicit alter, alter pedibus poſterioribus, nervumque unius horum incidit, mox in tauri dorſum aſſiliens cultrum obvium ejus cervici infigit; ſic uno ictu exanimatus procumbit humi bos. Hunc morem ab Hiſpanis olim dominatoribus inductum vigere adhucdum in ſicilia, nuperrime intellexi.

Pellis bubula, quæ a capite ad caudam tres ulnas longa fit, & ab Hifpanis corium legitimum, feu legale appellatur (un Cuero de Ley) a mercatoribus fex florenis Germanicis paffim emitur, cum tamen bos ipfe vivus, & integer apud Hifpanos quatuor, apud Quaranios duobus duntaxat florenis hodie vendatur. Labor fcilicet, quo coria illa adhuc cruda conftant, illorum auget pretium. Claviculis ligneis, ut exficcentur, humo folerter affigenda, fub tecto in loco auræ recenti pervio, ne a tineis corrodantur, nudenturque pilis, provide affervanda, triduis, certe octiduis fingulis baculo pulvis excutiendus diligenter, tinearum fcilicet origo. Hic labor multis fæpe menfibus, dum vendantur denique aliquot eorum millia, continuatus magni æftimatur ab Hifpanis venditoribus. Incredibile eft, quibus artibus, induftriisque non nulli pelles recentes, aliquantulum breviores, ad trium ulnarum longitudinem extendant, quamvis papyri inftar extenuatæ cui demum ufui erunt Europæis coriorum fubactoribus? Ob illorum querelas haud pridem illa pellium extenuatio palam interdicta fuit; Mirabar fane centum abhinc annis illam confuetudinem profcriptam non fuiffe. Hifpani coriorum mercatum fibi longe quæftuofiffimum experti furore quodam corripiebantur, cæcaque boves, quotquot poffent, trucidandi cupidine. Hunc in finem expeditorum equitum turmæ hac, illac excurrere identidem in campos, qui armentis nullius dominio obnoxiis maxime turgebant. Conductis equitibus fingulis fingulæ eranr partes Aliqui pernicibus equis inftructi in boum agmen invehuntur, haftaque longa, cui mucronis loco falx acuta femilunam referens, defignatis ad cædem tauris annofioribus nervum pedis pofterioris incidunt; His e vulnere claudicantibus laqueum injiciunt alii, alii, qui pone

pone ſequuntur, captos tauros ſternunt, jugulantque. Pellibus nudare jugulatos, pelles ad præfixam ſibi ſtationem convehere, clavis ſolo affigere, linguas, ſebum, adipemque e cæſorum corporibus eximere, ac comportare, cæterorum eſt negotium. Reliquæ cadaverum carnes, quibus ſaturari aliquando numeroſus in Europa exercitus poſſet, in campo abjectæ remanent, a tigridibus, feris canibus, corvisque paulatim devorandæ, quin ex tot cadaverum acervo aeris corruptio vel orta ſit, vel metuenda videatur. Una ejusmodi aliquot hebdomadum expeditione aliquot coriorum millia illi obveniunt, cujus ſumptibus fuerat ſuſcepta. Hæ boum venationes, trucidationesque per ſeculum continuatæ campos prope omnes exhauſerunt armentis, quæ domino caruêre. Deſierunt publica illa, immenſaque boum innumerabilium agmina (las Vaquerias vocarunt) qui nullius, ſed omnium erant. Qui bovem unum, vel decem boum millia cepit, jure poſſedit, nemine repugnante. Illius temporis homines præſenti utilitate, quæ ex coriorum mercatu in ſe redundaverat, cæcati haud proſpexerant detrimenta, quæ eorum poſteri hodie patiuntur. Camporum tamen amplitudini, tellurisque ubertati tribuendum, quod Paraquarienſibus in prædiis tanta etiamnum ſuperſit boum frequentia, quam Europa noſtra invidere quidem poſſit, ſperare nunquam. Hac ætate bovem pinquem apud Hiſpanos florenis quatuor, binis apud Quaranios venalem eſſe, jam alias dixi. Primis, quos apud iſtos egeram, annis floreno paſſim vendebatur. Numero armentorum in dies decreſcente pretium, ut fieri aliis in mercibus aſſolet, illorum accrevit. Hiſpanos novi, qui centum circiter boum millia ſuo numerant in prædio. Oppidum Yapeyu, tribus Regibus dicatum, ad quingenta millia. Sancti Michaelis multo plura. Aſt

nil ſuperfluum. Septies mille (tot enim incolas ſingula hæc oppida numerant) Quaranicis ſtomachis Saturandis quadraginta minimum boves quotidie jugulantur, porrecta ſub veſperum ſingulis ingenti carnis bubulæ portione. His adde boves, qui ſeu in oppido, ſeu in prædio clanculum furtivo Indorum cultro cæduntur, qui a barbaris palantibus, a tigridibus, ab efferatis canibus, a Vermibus vitulorum umbilico innaſcentibus quotidie conſumuntur. Oppidum Caazapà, quod a Seraphicis Patribus procuratur, ſuis in prædiis annuum vicies mille vitulorum proventum habere, alio dixi loco. Mercatoriæ naves ſingulæ triginta, interdum quadraginta coriorum bubulorum millia in Europam transportare ſolent. Ecquis numeret coriorum millia, quæ pro texendis funibus, ſtruendis ſepibus, ædibus, ciſtis, ephippiis, pro herbæ Paraquaricæ, tabacæ, ſacchari, tritici, goſſipii, rerum aliarum involucris quotidie impenduntur. Vulgus Hiſpanorum nil, niſi corium bubulum humi ſtratum pro lecto habere conſuevit, uti & innumera æthiopum ſervorum turba. Minutatim hæc refero, ut ex pellium bubularum numero armentorum frequentiam conjectes. Caro bubula præcipuum, quotidianum, & ſæpe unicum eſt vulgi Paraquarienſis alimentum. Plerique certe non Indorum modo, ſed & Hiſpanorum, quin panem triticeum vel deguſtaverint unquam, vitam claudunt ſuam. Deeſt aliis ſolum tritici ferax; Plurimis patientia ad triticum ferendum, molendumque. Milium turcicum, varii coloris, ſaporisque batatas (raparum genus) mandiocam (arboris radicem) fabas diverſiſſimas, ſiliquas Græcas pro pane ſuo, ac opſonio habent. Horum omnium, cum plurimis ſæpiſſime deſint, ſupplementum Paraquariis Caro bubula eſt aliquando elixa, plerumque aſſa, rarius ſale conſperſa. Ea porro Carnis portio,

quæ

quæ Europæum Stomachum opprimeret, vix mediocriter ſaturabit Americanum. Paucarum horarum interjectu vitulus tener a Quaranio abſumitur. Quod ut hujatibus incredibile, ſic nobis ſane exploratiſſimum eſt. Ecquis Paraquariorum ſine effuſiſſimo riſu leget clariſſimum Americæ Hiſtoricum Robertſon, qui (perperam ſcilicet ab aliis edoctus) affirmat: Americanos lanquido eſſe ſtomacho, cibique appetentia deſtitui? Verius dixiſſet: Illos abdomine inſaturabili eſſe, voraciſſimos ſemper, ſemper famelicos. De Indis Americanis loqui ovidium 8. metamorphos. Crederem.

Ut vero eſt expulſa quies, furit ardor edendi,
Perque avidas fauces, immenſaque viſcera regnat.
Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poſcit, & oppoſitis queritur jejunia menſis,
Inque epulis epulas quærit, quodque urbibus eſſe,
Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni,
Pluſque cupit, quo plura ſuam demittit in alvum.
&c. &c.

Non poetam fabulantem audire, ſed edacitatis inexplebilis Americanorum imaginem mihi hic videor videre, Coloribus vivis belliſſime expreſſam. Indus jam jam dormiturus carnem, ſi in promptu ſit, aſſandam foco admovet, qua experrectus illico veſcatur. Sit præ manibus eſca, ſol oriens, occumbensque illius dentes occupatos, buccamque plenam videbit, ſtomacho tamen ſemper plura appetente. Carnis portionem triduano itineri ſuffecturam primo mox die abſumit, quid poſtridie eſurus ſit, nil omnino ſolicitus; Laudandus tamen præ omni Europæo, atque admirandus, quod cibo omni deficiente per viam patientiſſime ſine querelis eſuriat. Ex tanta

incolarum edacitate, ex quotidianis boum innumerabilium cædibus Paraquariam armentorum quidem seminarium, sed & charybdin, ac sepulchrum dici oportere, mecum existimabis. Ad excusandam Paraquariensium voracitatem dici fortassis posset; Carnes Americanas non tanta nutriendi facultate pollere, quanta Europæis Carnibus inest. Hoc mecum senserunt plures Europæi in Paraquaria quadraginta admodum annos versati. In triclinio religiosis singulis tam vasta carnis portio, quæ minimum quaternis Germanis, octonis Italis in Italia sufficeret, porrigitur. Stomachos Paraquariensium multi cibi avidiores, patientioresque esse, nemo sane dixerit, qui noverit illam provinciam cœlo magis æstuanti patere. Quo vehementius enim corpora solis calore inflammantur, sudoreque quo crebrius diffluunt, tanto imbecilliores fieri stomachos, calore ad artus exteriores regresso, ac in cibis coquendis lentiores evadere, pigrioresque; Id quod æstivis mensibus in Europa experimur universi. Hinc veri est simillimum, in calentissimis quibusdam Americæ plagis existere forsan populos cibi & minus appetentes, & minus patientes, stomacho scilicet nimiis cœli ardoribus labefactato. Alios item, qui ob pecudum, ferarum, frugumque inopiam piscibus, Crocodilis, quin & insectis, ut constat, spurcissimis a pueritia quotidie vescuntur, quæ quidem alimenta ad calorem stomachi extinquendum, minuendamque cibi appetentiam quid si conferant non parum?

Ut boum incredibilem multitudinem, sic equorum infinitatem educat Paraquaria innumerabilem, ab equabus septem, quas Hispani olim attulerant, oriundam. Tota illa camporum planities, quæ a flumine argenteo ad ducentas facile leucas quaquaver-

sum

ſum excurrit, equorum vagantium agminibus conſternitur, e quibus, quotquot libuerit, capere, ſuique juris facere cuique licet. Equites aliquot paucos intra dies equos millenis plures e campo domum abducunt. Modis variis ejusmodi venatio peragitur. Interdum equos ſingulos, qui magis arriſerint, coriaceo fune illaqueant. Verum iſti hamo piſcantes imitantur, multoque tempore parum capiunt. Alii piſcatoribus, qui retia jaciunt, ſimiles ſepem in campo exſtruunt, cujus porta manicæ inſtar latiſſime pateat, & equorum turmam, a reliquo ágmine avulſam, inter illam compellunt, ubi clauſi aliquamdiu fame, ſitique manſueſcunt, & equis cicuratis immiſtos, quo viſum fuerit, nullo negotio abducunt. Aliquando campi ſpatium aliquod crematur. Ad gramen novum iſtic ſuccreſcens turmatim, avideque accurrentes equos venatores circumdant undique, & abigunt. Fuere, qui captis equabus, ne porro diffugiant claudicantes, pedes poſterioris nervum leviter incidunt; Neque enim earum claudicatio procreandi fœtus, ad quod deſtinantur, eripit facultatem. Equus ejusmodi (cujuscunque ſit ſexus) e campo allatus, necdum freno, ephippiisque aſſuefactus quatuor, vel quindecim, aliquando decem cruciferis paſſim emitur. Hinnuli equarum emptoribus gratis dantur. Attonitus vidi, a ſex Hiſpanis equorum conquiſitoribus bis mille equos uno agmine ad prædium aliquod cordubenſe adduci venales. Illorum pretium fuere aliquot telæ laneæ ulnæ, quibus pallii inſtar convolutis, & ad ephippia alligatis ſummo ſilentio rediverunt domum venditores, qui tanto cum ſtrepitu horrendam inter pulverum nubem paulo ante adventarant. Exercitum propinquare dixiſſes. Viliſſimo cum veneant pretio equi, uno ſæpe in prædio illorum quinquaginta millia tum multiplicandæ ſoboli, tum

tum ferendis sessoribus destinata numerantur, quin tamen earum possessor sibi opulentus videatur. Communis est omnium prope ad omnia equorum usus. Summi æque, ac infimi non ad itinera modo, sed ad quotidianas per urbem, vel ad templum ambulatiunculas ad ligna, vel aquam e propinquo adferendam rivo equis, ut nos Europæi pedibus, utuntur. Equorum calcibus grana e tritici spicis excuti, molæ rotam ab equis, non ab aquis, per omnem Paraquariam circumagi videbis. Tot barbarorum millia citra ætatis, sexusve discrimen equis insident quotidie. Indi Australes (quis eorum inibit numerum?) equis non vehuntur tantum, sed & vescuntur horis omnibus. Innumeræ quot annis equæ trucidantur ab Hispanis, ut illarum adipe cervorum pelles rite subigere queant, & concinnare. Tigridum unquibus, serpentum mortiferorum dentibus, vermibus omnia corrodentibus, siti ex amnium siccitate orta innumeri pereunt equi. Cadaverum acervos ad fluviorum, lacuumque margines deprehendimus. Hinnulorum pars minima adolescit. Plerique vel equorum rapide currentium pedibus conteruntur, vel a vermibus, qui umbilicum humidum obsident, tigridibusque absumuntur. Tantus quantumvis sit, tam universalis usus, tamque multiplex equorum interitus, illis tamen Paraquariam abhucdum abundare ex vilissimo, diverso tamen, pro equorum ratione, pretio intelliges. Equus jam freni, ephippiorum, sessorisque patiens, ætate florens, ac omnino incolumis duobus passim florenis emitur, si succussator (ein Trabgänger) fuerit. Si vero gradarius (ein Paßgänger) quatuor constat. Si cursus celeritate, vel corporis præstantia emineat, majori etiam pretio interdum ab hippophilis quibusdam emitur. Hæc clarius explicanda.

Equis

Equis in Paraquaria pretium accreſcit, decreſcitque non ex pilorum coloribus tantum, ac corporis conformatione, ſed maxime ex nativa Greſſûs ratione, quam variam eſſe, ac, ut Hiſpani obſervant, quadruplicem, noveris. Plurimi ſiunt ii, quibus non vulgaris ille in curſu gradus ſuccuſſarius, ſed mollis, citataque alterno crurum explicatu glomeratio; Eques his inſidens tuto calicem plenum, quin Guttam effundat, manu geſtabit. Ejusmodi equos latini gradarios, tolutares, Aſturcones, quia olim ex Aſturiis allatos. Hiſpani: Aguilillas, de paſſo largo, andadores. Abipones: Yachacatà vocant. Tales vel naſcuntur, vel arte fiunt. Si mater equa gradaria ſit, etſi admiſſarius equus non fuerit talis, hinnulus plerumque gradarius evadit; Certius tamen, ſi uterque parens talis exſtitit. Hinc in prædiis equæ gradariæ ſeparantur ab admiſſariis vulgaribus. Equelli adoleſcentes artuum elegantia, roboreque præſtantiores deligi ſolent, & ſuavem, celeremque illum gradiendi modum docentur. Pedes illorum anteriores poſterioribus loro mediocri ita adſtringuuntur, ut ambulare quidem poſſint, haud tamen gradum, quem natura habent, ſeſſori moleſtum carpere, pedesque ſubſiliendo exporrigere. Alii ſingulis equelli diſcipuli pedibus lapidem globoſum, pelle obvolutum, alligant, quo cum ſuccuſſario illo greſſu crura feriantur, doloris metu ſuaviter, ac tolutim ambulare conantur. Alterutra induſtria paucos intra menſes Gradarii evadunt, nôruntque inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos, ut in Georgicis 3. Virgilius canit. In ſingulis Quaraniorum oppidis hæc viguit ſchola. Equus gradarius horæ unius ſpatio binas conficit leucas, ni viæ obſtet aſperitas. Neque illum vulgaris equus aſſequetur, niſi ad curſum mediocrem (Galop) ab equite concitatus. Equi, quos ſuccuſſatores latini,

Hi-

Hiſpani trotones, Abipones nichilicheranetà, Germani Trabgänger appellant, paſſu naturali, equiti moleſto gradiuntur; Pedes enim piſtilli inſtar cum violenta humani corporis ſuccuſſatione attollunt. Ejusmodi multum quidem moleſtiæ ſeſſori, minus vero periculi adferunt; Cum enim ſolidiora terræ imprimant veſtigia, pedesque ad greſſus ſingulos attollant fortiter, rarius ceſpitant, quam gradarii, qui dum pedes a ſolo vix ſeparant, celeritatemque greſſus ſummam ſuavitati conjungunt, ungularum ad lapides, ad arborum radices, ad glebam duriorem alliſu frequentius ſternuntur, ſternuntque ſeſſorem maxime, ubi trita deeſt ſemita. Novi quempiam (neque enim neceſſe eſt fateri, me illum fuiſſe) qui id ſemel, iterum, ac tertio fuerat expertus. Longis, maxime per vias ſalebroſas, itineribus plurimum conveniunt illi equi, qui gradarios inter, & ſuccuſſatores medii ab Hiſpanis Paſſitrotes vel marchadores dicuntur. Hi greſſus humanos cum proxime imitentur, ſeſſorem fatigant minus, tardius fatigantur, rariusque in ſubjecta pedibus obſtacula impingunt. Multis bucephali curſus pernicitate eximii in pretio ſunt, quod tum ad equeſtria certamina, tum ad ferarum venationem, barbarorumque hoſtilium inſectationem plurimum valeant. Hiſpani campeſtres, Indique omnes floccifaciunt equum, cujus ungula quadrupedante putrem ſonitu campum quatere neſcierit. Pegaſos volantes appetunt, teſtudines lento paſſu reptantes aſpernantur.

Explodendi utique hiſtorici illi, qui clariſſimo Robertſon perſuaſere, Americanis equis parum corporis, nihilque prope ſpiritus eſſe, atque adeo pro pumilionibus, & equorum Europæorum ſimulacris habendos. Paraquarienſes ſane corporis mole, figura, virtutibus nihil ab hujatibus differre intrepidus affir-

affirmo. Altiſſimi, mediocres, hi deſultorio equiti, illi cataphracto aptiſſimi, ubique oculis obverſantur. Pygmæi, Corſicanis ſimiles, ut Cometæ Cœlo, Paraquariæ rariſſimi obtingunt. Caballos ſtyriacis in alpibus natos, immani dorſo, vaſtiſſimis artubus, palmaribus ungulis, & elephantibus prope pares ignorat etiamnum Paraquaria, fateor; Graciliores, ſeſſoribus nempe, & curſui, non curribus, ac plauſtris deſtinatos, procreat. Quodſi tamen hi perinde ut Europæi avena, hordeoque ſaginarentur in ſtabulo adverſus aeris injurias defenſo, quidni ad eandem corporis amplitudinem excreſcerent. Equi Paraquarienſes in campo nati, in campo diu noctuque per omnes anni ſtationes commorantur, obvio gramine ſæpe non optimo, nec copioſiſſimo, & hoc vel a ſole, vel a pruinis decocto, arborum frondibus, quin aridis lignis paſcuntur, aquam, qua ſitim reſtinquant, diu quærunt ſæpius, & nec bonam, nec ſufficientem inveniunt aliquando. Subdio ſemper jam ſolis æſtuantis ſpicula, jam diutinos imbres, alicubi pruinas, & quod Auſter importunus afflat, moleſtum frigus, horis, locisque prope omnibus muſcarum mordacium, tabanorum, culicumque, quorum examina circum volitant infinita, aculeos nudo, ſæpe cruento corpore excipiunt. His ego cauſis tribuendum exiſtimo, cur vaſta illa corporis obeſi moles, qua Styriaci, Holſatici, Dani, Neapolitani equi pollent, Paraquarienſibus non obtingat. Hybernis menſibus marceſcenti Gramine hi emaciantur, nativo pilorum colore in obſcuriorem mutato. Revireſcente campo & color & vigor eorum reviviſcit. Lætis in paſcuis, ubi graminis, nitrique copia, adeo pinqueſcunt, ut illorum in tergo, ceu menſa, imperiales poſſint numerari, quod de equis præpinquibus familiare eſt Hiſpanis adagium. Verum quamvis graminis ubertas Paraquarien-

rienſibus equis adipem augeat, nunquam tamen tantum infundit robur, quod equis Europæis pabulum ex avena, hordeo, paleis, foenoque compoſitum, tribuere conſuevit, ut ſingulis, totisque diebus vel ſeſſorem ferant, vel plauſtrum trahant. In Paraquaria brevius etiam iter ſuſcepturus equorum turbam jam a fronte præeuntem habere curat, ut fatigato alteri alter ſuccedat. Qui ante meridiem ſeſſorem portavit, poſt meridiem ſeſſore liber cum reliquis præcurret. Hinc ſingulis Quaraniis, qui ad Regia caſtra militaturi abeunt, equos quaternos ex oppidi prædio tribuere ſolebamus, quo alternis temporibus & ſervire & quieſcere ſinguli eorum poſſent. Equi tamen in S. Jacobi de Storea territorio nati corporis firmitate, conſtantiaque reliquis omnibus antecellunt, tum quia a teneris labori aſſueſcunt, tum quia gramine, in ſolo ſcilicet arenoſo, ſæpius deficiente ſiliquis græcis per ſylvas paſcuntur. Novi milites Jacobopolitanos, qui eodem quotidie equo uſi ad expeditiones militares irent, redirentque triginta, quin pluribus diebus in itinere conſumptis, quorum nullus ſine multa ad feras per viam venandas curſitatione abire ſolet; Tenuiſſimo enim commeatu inſtructis eſuriendum illis foret crebrius, ſi venatu abſtinerent. Ferarum mortibus vitam conſervant ſuam, & meam quoque conſervarunt ſæpe; Multa equidem cum illis, longaque itinera confeci per triſtes illas, quæ in chaco occurrunt, ſolitudines. Mihi quoque equos Jacobopolitanos præ reliquis omnibus utiliores, charioresque ſemper fuiſſe, pleno ore confiteor.

Omne colorum genus, queis in Europa ſe ſe diſtinquunt equi, in Paraquarienſibus item deprehenditur. Multo plures tamen candidi, fulvique, quam nigri, ac rufi coloris iſtic procreari, id mihi certum, ſed

&

& admiratione dignum videtur, cum ſub eadem prorſus cœli regione ſeu ex Europæis, ſeu Americanis parentibus prognati homines plerique omnes nigerrimis crinibus, aſperisque inſigniantur. Hiſpanus albeſcentis capilli, rariſſimum eſt in Paraquaria ſpectaculum. Matris Indæ proles albicoma pro portento haberetur, ſpectris, monſtrisque adnumeranda, & a barbaro patre in obvio lacu ſubmergenda fortaſſis. Equi nivei, fulvique coloris, quos Hiſpani cum latinis bajos, ſpadiceos, badios, vel balios vocant, oculis arrident equidem, a priſcis commendantur, a docilitate, manſuetudineque profecto laudandi; Verum, experientiam teſtor meam, ad laſſitudinem, ſudoremque proclives, rariſſime iis pollent viribus, quas in equis nigri, vel rufi coloris ſuſpicimus, in illis maxime, quorum color rufus ad panis toſti ſimilitudinem accedit; De iſtiusmodi equis laboris, itinerumque patientiſſimis Hiſpanorum fert adagium: Eos morituros prius, quam defatigandos eſſe. *Alazan toſtado antes muerto, que canſado.* Experti ſumus tamen frequenter, equos albos, (Dordillos vocant Hiſpani) qui pilis candidis nigros interjectos, jubam, caudamque nigram habent, virium firmitate eximia præſtare. Idem de bajs obſcurioribus ſentiendum, (Hiſpanis: bayo ençerrado) juba, caudaque nigricanti inſignibus. Ut Americanis rebus Græcæ eruditionis micam inſpergam: Ipſi Achilli ab ephippiis fuiſſe præter alios equum balium (ex interpretum mente baium, ſeu ſpadicei coloris) Homerus refert. Equi maculoſi in Paraquaria ſubdoli, periculoſique, atque adeo cautiſſime tractandi putantur; Neque injuria id putari, damno meo ſum expertus frequenter; Quamquam veriſſime dici poſſit, equos Paraquarienſes, cujus demum cunque coloris ſint, nunquam ea fiducia, ſecuritateque conſcendi, qua Euro-

pæi plerique conſcenduntur. Multi enim illorum calcitrones, refractarii, ſternaces, ceſpitatores, plerique meticuloſi, pavidi, qui vel repentino ſtrepitu, vel rei peregrinæ conſpectu ita exterrentur, ut neglecto freno, capite ſeſſoris pectori admoto jam reſtitent identidem, jam ſeſſorem, ni firmus ſit, calcitrando præcipitem agant, vel extra viam abripiant. In S. Jacobi de Storea urbe dono accepi equum juvenem pelle candida nigris punctulis interſtincta. Annos complures maximo mihi uſui, levamentoque fuit, quia tam robuſtus, ut nulla itineris diuturnitate unquam frangeretur, ſemper indefeſſus; Tam manſuetus, ut nocturnis perinde, ac diurnis horis nunquam trepidaret. Quid quod & ſclopi ejus capiti aures inter incumbentis tonitru immotus excipiebat. Talis ut ut eſſet, a me nullis impelli modis potuit, ut in campo illi ſtationi propinquaret, ubi tegulas recentes e limo nigro paratas eminus conſpicabatur, rem ſcilicet ſibi nunquam viſam reformidans more illorum, qui, quidquid novum, periculoſum putant. Quantis, amabo, terroribus exagitaretur, exagitaretque equitem equus Paraquarienſis urbem Europæam ingrediens, ubi tot coloris, configurationisque variæ ignota ſpectacula, pyrobolarios milites hirſuta mitra ſublimes, matronas tiaris carbaſeis capita alta gerentes cervorum inſtar, ſtrepitantique ſyrmate verrentes plateam, turres cœlo minantes, domos continua feneſtrarum ſerie coruſcas, aliaque id genus oculis obverſarentur; Verum iisdem rebus iterum, iterumque impune ſpectatis terrorem Panicum ſenſim dedoceretur, ipſa aſſuetudine, ut aliis uſuvenit, naturam meticuloſam corrigente. Vidimus equidem in Paraquaria Paraquarienſes equos ad belli quoscunque uſus feliciter erudiri, tympanorum murmuri, bellicarum

ma-

machinarum tonitruis, aliisque, quæ pugnam comitantur, functionibus tandem assuescere.

In tanta equorum multitudine multa eorum varietas. Alios aliis venustiores, robustiores, perniciores que, uti in Europa, deprehendes. Quibus pectus latum, minusculum caput, oculi grandiores, ac nigri, aures curtæ, micantesque, nares late patentes, juba densior, cauda vastior, longiorque, hirsuti pedes, venter minime obesus, tergum latum, rotundum, crura recta, gracilia, ungulæ duræ, nec pectinis instar fissæ; Qui cum lasciva alacritate gregales in campo ad pugnas lacessunt, fossas sine tergiversatione transiliunt, paludes festinando transmittunt, ut primum freno, ephippiisque soluti ad sudorem abstergendum humi se iterum, iterumque hilariter volutant, ejusmodi laudem, palmamque præ reliquis in Paraquaria ferunt, ac strenuis accensentur. In campo saxis aspero nati meliores item putantur iis, queis planities blandioris, luteæque glebæ solum natale fuit. Quod si equum locis lapidosis assuetum ad campos putres, palustresque transferas, tergiversantem illum, suspensoque passu timide gradientem diu experieris. Terra ungulis cedens trepidationis nempe est origo. Qui vero blando in cespite educatus ad saxeta, ad vias glarea horrentes transit, cespitare identidem, ac demum attritis, cruentatisque lapidum asperitate ungulis claudicare solet. Nullus equidem solearum ferrearum per omnem Paraquariam, licet rupibus, saxisque alicubi asperam, est usus. Harum quævis quovis equo esset pretiosior, cum ferrum ob raritatem incredibiliter carum sit, & fabri, qui soleas bestiis induere noverint, ne de nomine quidem noti, & profecto neutiquam necessarii. Longo tot annorum usu comperi, equos, ubi ubi natos, mensium pau-

corum intervallo cuivis demum ſolo aſſuefieri. Non Hiſpani modo omnes in Paraquaria, ſed & barbari omnes equis non niſi ſpadonibus inſident. Luna deficiente caſtrantur frequentius, feliciusque. Neque philoſophorum recentiorum quispiam id affirmantem me, quæſo, rideat, a me, & Americanis omnibus ridendus. Norunt illi omnes, vident, palpantque manibus, lunam in noſtra influere. Nil mihi exploratius. In ædibus me jubente, præſenteque fabricatis expertus ſum toties: Arbores luna adulta ſectas mox ſeneſcere, carie infici, ac a vermiculis, quos tineam vel teredinem dicimus, breviſſime abſumi; Arbores alias ejusdem generis, ac ætatis luna vel emoriente vel naſcente ſectas ſaxi iſtar incolumes durare annos plurimos, quod diſcrimen in domibus coloniarum S. Hieronymi, & conceptionis Abiponibus conditarum mihi prorſus ſpectabile fuit. In primo tinearum ne veſtigium quidem, ſumma lignorum firmitas, integritasque obſerbabatur, quia palmæ luna deficiente ab Hiſpanis reſectæ fuerant. In altero paucos poſt menſes trabes, tignaque omnia adeo exeſa ſunt, ut flavi pulviſculi diu noctuque inde nivis inſtar delabentes pavimentum, menſam, lectum implerent, ingensque vermiculorum rodentium ſtrepitus exaudiretur, quia palmæ ejusdem generis ab Hiſpanis militibus fabricam domus noſtræ, reditumque ad ſuos accelerantibus luna, ut tunc erat, pleniſſima cæſæ. Mihi hæc habitatio, quamvis ampla, adeo intolerabilis viſa, tugurium mihi ut novum ſtruxerim. Neque id rudis plebeculæ, ac ruricolarum obſervationem dixeris; Nam columella naturæ diligens ſcrutator libro 12 monuit: *omnis materia in ædificia ſuccidi debet luna decreſcente, ab vigeſima in trigeſimam, quia ſic cæſa judicatur carie non infeſtari.* Quod in lignis, idem in ſemente, in trecentis aliis experimur. Pelles luna

plena

plena bobus detractæ depiles fiunt illico, non item luna denaſcente; Hæ, quia duraturæ, herbæ Paraquaricæ conſervandæ impenduntur; Illæ rebus exigui momenti. Nautæ ventis contrariis retardati lunæ mutationem avide expectant; Nam hac mutata ventum quoque mutari plerumque, experiuntur. Decem, quos tum per oceanum, tum per mediterraneum navigans conſumpſi, menſibus obſervavi, navarchos Hiſpanos, Luſitanos, Suecos, Danos &c. attentiſſimis ſemper, & prope anxiis oculis vigilaſſe, quoties lunæ viciſſitudo aliqua inſtabat, ſub idem enim tempus aeris, marisque viciſſitudinem vel ſperabant, vel metuebant experti dudum, luna variante variare elementa, alterarique, ac priori malaciæ turbinem, Boreæ Auſtrum, vel huic illum ſuccedere.

Ex arbore Cupaў (unde notiſſimo balſamo Braſilienſi Cupaўba nomen) ad medullam usque ſecuri inciſa oleum & medicis, & pictoribus uſitatum profluit. ſed verno ſolum tempore (ſeptembri ſcilicet, & octubri menſibus) ac luna plena; Hac enim deficiente ne unam quidem Guttulam expecta. Utrumque expertus ſum ipſe, & vix oculis credidi meis, niſi re ipſa convictus denique. Pluribus id genus experimentis abſtineo, ne ultra limites, propoſitumque meum excurrat digreſſio de lunæ virtutibus, cujus equorum caſtratio nil cogitanti mihi occaſionem præbuit.

Equas ephippiis aſſuefactas præ quovis equo itinerum moleſtias & facilius, & diutius tolerare, adeo mihi exploratum eſt, ut dubitare non auſim. Vaccas quoque in trajiciendis nando fluminibus ſtrenuiores, feliciores que ſemper vidimus. Plura ſæpius boum millia, in turmas minores diviſa, per latiſſima flumi-

na transmittuntur natatu. Tauros ſemper plures, quam vaccas ſubmerſas numeravimus. Illi equidem ad natandum ſegniores a rapido fluviorum curſu crebrius abripiuntur. Equabus, quæ procreationi duntaxat dant operam, & juba, & cauda tondetur ab Hiſpanis, ut citius, certiusque pinqueſcant. Aliam quoque ſubeſſe cauſam, haud ignoro. Equorum vero, qui ſeſſorem patiuntur, pretium juxta, ac elegantiam auget cauda promiſſior, denſiorque. Vel abjectiſſimus æthiops probrum, ſuppliciumque putaret, ſi equo caudæ experti inſidere juberetur. Indi fabulari nos credunt, dum referimus, exiſtere in Europa homines, qui equorum caudas mutilent, idque decorum arbitrentur. Ajunt illi equidem, caudam liberalem non ornatum modo præcipuum, ſed & arma equorum eſſe, quibus ſcilicet culicum, muſcarumque examina arcerent. Hiſpano Presbytero provectæ ætatis, valetudinisque dudum profligatæ equus erat ut mitiſſimi ingenii, ſic greſſus blandiſſimi, celerrimique. Hoc præ innumeris ſuis ad itinera neceſſaria utebatur ſenex. Hiſpanorum quispiam eidem equo inhiaverat diu, & pretium, quantumcunque herus poſceret, obtulit nequidquam. Repulſæ impatiens, ni eum ultro ſibi venderet, curaturum ſe, ut clanculum ſubduceretur, comminari audet. Herus, nullam minis exequendis difficultatem ſubeſſe reputans, heus tu, ſervo ait ſuo, age, propera, equo illi meo caudam reſeca. Præſtat equi partem, quam totum amittere. Extra populi conſpectum in campo uſui mihi erit, lenimentoque itineris. Caudâ mulctatus ridebitur a ſpectatoribus obviis, ſed contra fures ſui ſemper manebit ſecurus. Malo & ipſe explodi, equo cauda ſpoliato, ſed tamen meo inſidens, quam ab alio ſuccuſſario ſonipede, ut piper in mortario, totis artubus, oſſibusque moli. Novi familiari-

liariter hunc ſtoicum, & ut commeruit, dilexi. Caudam equi, cui alter inſidet, mutilare, vindictæ genus acerrimum eſt, neque infrequens Hiſpanorum vulgo; Probrum quoque intolerabile putatur, ſi alter alterum equum ſine cauda (un rabon) appellet.

Ad equorum pinguedinem ſeu conſervandam, ſeu procurandam non mediocriter ſane confert exquiſita illorum munditia. Si enim cutis pulveribus obſita, ſi juba impexa, ſi cauda porrigine laborans, ſetis intricatis velut in globum cojens, tranſpirationi, ut ajunt, per poros via intercluditur, equi emaciantur ſenſim, ſtrigoſique evadunt, vel ſcabiem contrahunt. Hinc Hiſpani, Abiponesque rerum ſuarum ſtudioſiores, etſi minus ſuperſtitioſi ſint in equis ſuis pectendis, lavandis, expoliendisque, quam Europæi, careantque omnino inſtrumentis ad id facientibus, id tamen curant diligenter, ne equi ſordeſcant, queis campus patens nulla non anni parte diu noctuque pro ſtabulo, ac præſepi eſt. Si cardui, ſpinæ, aliæque id genus herbæ aculeatæ caudis adhæreſcant, earam ſetas ſebo perunctas virgula extricant ſolerter. Itinere quovis defuncti ephippiis amotis mox equi dorſum ſudore æſtuans frigida abluunt, exterguntque, &, ne aura frigidiore tumeſcat, ſtragulo textili aliquamdiu tectum conſervant. Illi porro equorum incolumitati, vivacitatique maximopere conſulunt, quibus curæ eſt, ne a paſcuis ſeu lacus illimes, ſeu amnes limpidi procul abſint, quos equi pro arbitratu adeant non potaturi modo, ſed &, cœlo præſertim æſtuante, identidem lavandi, quod illis ut volupe, ſic ſalutare, propeque neceſſarium. Hybernis enim menſibus ob auram rigidiorem, æſtate vero pluviis ſæpe deficientibus macie, ſcabieque inficiuntur, ni illis abluendi ſui, natandique opportunitas ſit in promptu,

tu. In vicino nobis prædio aquæ profundioris inope ingentes equarum greges ſcabie propemodum contabuiſſe memini; Convaluere actutum aperta illis per ſylvam interpoſitam via ad amnem propinquum, qui pro balneo iis, ac præ omni pharmaco fuit.

Per Paraquariæ campos, pecorum diverſoria, non ſolum copioſus latet anguis in herba; Sed Herbæ etiam complures quovis angue lethifero nocentiores famelicis eorum faucibus patent. Harum celebrior, frequentiorque illa, quam indigenæ nio vocant. Caule procero eſt, flavoque flore niteſcit, ſed vi peſtilenti ad perimendas beſtias pollet. Equi illa veſcentes pereunt, febrili certe tremore exagitantur aliquamdiu. Cordubenſi in territorio lethifera hae herba campos ingentes flaveſcere, ipſus vidi. Equi iſtic nati impune illam devorant, quia huic eſcæ a teneris aſſueti, ut imbecilles tamen, nullisque itinerum moleſtiis pares paſſim deſpiciuntur. Audi induſtriam, qua Hiſpani equis ſuis cavent, ne lethalem hanc eſcam deguſtent. In hoſtem profecturi ſocios aliquot ſpeculatores quotidie præmittunt. Ubi meridiandum, pernoctandumve eſt, illi omnem late campum, in quo equi militum paſcantur, circumſpectant. Sicubi exitiales illas herbas detexerint, evellunt paucas, & in faſciculum collectas foco injiciunt, ut fumus inde coortus a vento contrario ad equorum turmam deferatur, cujus odor naribus illapſus herbæ peſtilentis horrorem illis inſpirat. Etſi enim reliquum promiſcue gramen avidis carpant dentibus, illa ſolicite abſtinent. Verum tot alia eheu ſunt mortis inſtrumenta, tigrides, ſerpentes, vermes, a quibus incredibilis quot annis equorum numerus conficitur. Vermium, qui equos corrodunt, geneſis, occaſioque ipſa ſunt ephippia, quorum in Paraquaria

eſt

eft ufus. Hæc ex corio fubacto confiunt, binis juncorum fafciculis farciuntur, qui utrnque equi coftis incumbunt ita, ut fpinam dorfi ephippia non contingant. Pulvillo, tum ad equi, tum ad fefforis commoditatem ab Europæis adhiberi folito, undique carent. Illius loco quatuor ulnarum telâ lanea complicata dorfum equi tegitur, huic mox phalerarum inftar adjicitur ftragulum e molliore corio, varie cælatum, ornatumque figuris. Hæ ephippiis, ne equi tergum offendant, fubfternuntur Iftis, mollius ut fedeat eques, arietis pellis imponitur vel ftragulum ex ovium villis vario ad ornatum colore tinctis concinnatum, quo ceu Culcitra, dum in campo humi cubandum, Paraquarienfes uti confueverunt. Cingulo non cannabino, fed loro bubulo ephippia equi dorfo alligantur, quin fibulis it opus. Stapedes e ligno affabre fculpti & nobiliorum ad ufum laminis argenteis condecorati ab Hifpanis *baules* ciftæ vocantur; Re enim ipfa ciftulas referunt, cum equitis pedes claudant penitus, & adverfus cœli, viarumque injurias tegant, protegantque. Verum fi equus fubito cafu fternatur, vel fternat fefforem, illi periculum creant ejusmodi ftapedes, cum pedem ex illis prompte retrahere, ne ab equo labente comprimatur, aut raptetur, aliquano difficilius fit, quam ex ferreis illis Europæorum ftapedibus. Stapedes, queis Hifpani plebeji utuntur, alceorum femper expertes, e ligno pariter parati foramine funt tam exili, ut illis maior folum pedis digitus inferi poffit. Barbari, e majorum fuorum ritu, ftapedibus carent, aliqui etiam ephippiis femper. Frena quoque Paraquarienfia ab hujatibus & figura, & mole differunt. Indi frenum ex cornu bubulo lignellis craticulæ inftar transverfis compofitum paffim adhibent, quod totam, quanta eft, equi buccam implet. Hifpanorum calca-

ria immania ſunt radiis vaſtis, prælongis, ſed parum aculeatis inſtructa, queis equorum latera tundere potius, quam pungere queant. Abhorrent a minutis, ſed præacutis Europæorum calcaribus, quibus cruentari facile equos, & in furias agi putant. Barbari, quorum equos jure Pegaſos volantes diceres, calcari abſtinent prudenter. Nam, ut Ovidius cantaverat; Non opus eſt celeri ſubdere calcar equo. Talis freno indiget magis, & ſeſſoris barbari calcibus ad curſum effuſiſſimum concitari poteſt vel ſegniſſimus. En! omnem, qua equus in Paraquaria apparatur, rerum ſupellectilem. Nolo enim te quidquam eorum, quæ in Paraquaria equis accidunt, ignorare. Sed audi porro paucula de illorum ægritudinibus, & medicamentis.

Sæpe ſtraguli aſperioris affrictu, ſæpe ephippiorum duritia, vel compreſſione labefactatur equi tergum. Quod ſi poſt longam defatigationem ſudore adhucdum fumans ſtragulis denudetur ſuis, repentino aeris rigidioris, vel pluviæ acceſſu intumeſcit, tumore ſenſim in vulnus deſinente. Pelli exulceratæ, vel cruentatæ muſcarum agmina confeſtim inſident; Illarum ex ſemine, ſordibusque vermiculi albi dorſo innaſcuntur, quod & carni ex bove recens cæſo paſſim uſuvenit. Periculum in mora eſt. Vermes enim in horas incredibiliter augentur, ac ad interiora irrepunt. Equum incolumem ſi cupis, citra cunctationem ligno tenui e carne effodiendi ſunt vermes; Cavernæ, vermium receptaculo, tabacæ folia ore manſa infarcienda iterum, iterumque; Horum amaritie vermes necantur, muſcæ terrentur vermium genitrices, & putredo ulterius impeditur. Cicatrix ſebo perungenda quotidie, pili novi ut ſuccreſcant. Hæc quia remedia a plurimis vel negliguntur, vel ad tem-

tempus, quo nullus jam remedio superest locus, procrastinantur, equos longe plures a vermibus corrodi, quam a tigridibus discerpi, certissimum mihi videtur. Recentes in equi dorso plagæ facile sanantur; Inveteratæ vix unquam bene. Etsi consanuisse videantur, obducta etiam cicatrice, rursus recrudescunt vel violenta equitatione, vel aura frigidore, quæ dum equo dolorem, periculum equiti accersunt. Doloris enim sensu efferatus nullum calcitrandi facit finem, dum sessorem sibi molestum excutiat denique. Non semel expertus hæc scribo. Indi jam radicem Quaycuru dentibus contritam, jam tigridis adipem liquatum, jam concham animalculi (quod Hispani armadillo, vel Quiriquincho, Quaranii tatu poyù appellant) hirsuti in cineres redactam, jam aliud, nescio quid læsis equorum tergoribus illinunt, sed raro plene medentur. Didici ex libro Patris Martini Szentivani Hungari de animalium, alodiorumque cultu remedium Americanis illis omnibus longe præclarius, & meo, & plurimorum Paraquariensium experimento probatissimum. Sal probe tritum aceto, & vitello ovi commiscetur. Hoc equi tergum sauciatum, vel tumidum semel quotidie perungitur. Quæ quidem unctio saniem abstergit, vermes prohibet, tumorem tollit paucos intra dies, carnem, pilosque renovat. Eodem Szentivani authore: Cæpa alba, quæ cibis condiendis passim in culina adhibetur, mediocriter assa tumenti, vel cruentato equi tergo alligatur. Utroque medicamine servatos equos plurimos, ipsi vidimus. Uterentur utinam alterutro Paraquarienses, tot equorum, quos, pigritiæ victimas, vermes quotidie absumunt, cadaveribus campi non horrerent utique. Aves quædam majusculæ, versicolores, carnivoræ, vulturum e genere, a Quaraniis Quiriquiri dicuntur, equorum medici prope dici possunt.

ſunt. Exulcerato enim illorum tergo inſident, & nulla calcitratione territæ ſaniem, vermiculosque exhauriunt. Quamquam roſtro præacuto vulnus amplificent ſæpius, venia tamen digni perinde, ut noſtri medici, dum medicaminibus ſeu immodicis, ſeu acrioribus jam morbi ſenſum exaſperant, jam periculum augent, ægrotantium licet ſtudioſiſſimi.

Veſpertiliones quoque, qui numero, moleque corporis Europæos longiſſime ſuperant, equis non moleſti tantum, ſed & noxii ſunt. Copioſiſſimi in campo circumvolitant. Equo inſident, & dum roſtro tergum ejus laniant, continua alarum agitatione auram, lenem placidamque movent. Orta inde titillatione quaſi ſopitus equus, nihilque repugnans ſanguinem a Veſpertilione exſugi ſuum patitur. Vulnus remanens, ni mox calenti cinere conſpergatur, protinus intumeſcit, exulceratur ſenſim, ut adeo veſpertilionum morſibus veneni quidpiam ineſſe, nil dubitemus. Eodem prorſus modo, quo in campo beſtiis inſidiantur, illarumque ſanguini inhiant, in domibus hominum dormitantium ſanguinem ſorbere conſueverunt veſpertiliones. Doloris ſenſum, quem roſtro mordaci inferunt, alarum agitatione refrigerante ſupprimunt; Tum denique a volucri hirudine exſuctum te, ſcies, dum mane expergefactus cubile ſanguine tuo affatim reſperſum, conſpicaberis. Frequens hæc hiſtoria in ædibus campeſtribus, quæ dudum incola caruerunt. Imbribus plures per hebdomades, quod nil rarum Paraquariæ, diu, noctuque continuatis camporum planities aquis innatet, neceſſe eſt. Equis nullum, ubi pedem figant, niſi in campo receptaculum. Hinc tanto tempore aquis immerſi dum paſcuntur, illorum adeo molleſcunt ungulæ, ut, cum pedibus inſiſtere, pabulumque con-

qui-

quirere nequeant, pereant denique, cæterum incolumes. Dum poſt triginta aliquot dierum pluvias oppidum conceptionis ex litoribus Narahaquem ad flumen ſaladum tranſtulimus, in duorum & viginti dierum itinere equos ducentis plures ab Hiſpanis militibus per viam idcirco abjici, mæſtus aſpexi. Interdum equus ſtranguria, dyſuria, & qualicunque demum excernendi lotii difficultate laborat. Talia patienti equo Hiſpanus medicinæ loco ephippia alligat, eumque, dum denique ſudore diffluat totus, laxis habenis, admotis calcaribus ad curſum effuſiſſimum impellit. Neque pluribus opus eſt. Equus paule ante moribundus mox convaluit; Nam campum inundavit. Aliquando ſeu neruorum convulſione, ſeu rheumate corripiuntur equi, pedibus inſiſtere ut nequeant. Tales Hiſpani milites ligatis fune pedibus ſternunt. Illorum tibias liberaliter permingunt, calcibusque ſuis tundunt identidem; Solutos conſcendunt, ac vel tergiverſantes ad curſum urgent. Duriuſculus hic curandi modus, ſed breviſſimus, me inſpectante, admiranteque exitum optatum habuit. Paucula de equorum curatione attingere viſum eſt, non ut Europæi Paraquarios imitentur, ſed ut vel rideant, vel mirentur. Paraquaria cum equis, perinde ut inſectis, abundet, de eorum curatione, ſi ægrotent, parum laborat. In Europa, quia pauciores, pretioſioresque equi, quid mirum, plures eorum & medicos, & medicinas in promptu eſſe. Quid ſi & has, & illos in Paraquaria ſupervacaneos dicerem? Rarius enim, leviusque iſtic ægrotare equos, palam eſt; Nam ſui plerumque juris ſunt, libertate fruuntur ſua, campos percurſant hilares, puram ſemper ſub dio cœli auram hauriunt, recenti, quod pia natura indulſit, gramine veſcuntur, vivis fere ex amnibus potum, balneaque pro arbitratu ſibi indulgent,

vectandis oneribus, curribusve nunquam occupantur, ac vel ideo vivaciores, ſanioresque equis Europæis, qui latronum inſtar catenis vincti, tenebricoſis ſæpe in ſtabulis, ceu carceribus clauſi majorem anni, ætatisque ſuæ partem agunt, fœno pumice ſicciori, paleis ligno durioribus ventres implent potius, quam reficiunt, avenamque rarius, parciusque, quam ruricolæ placentas, deguſtant, ſæpe, diuque ſitiunt, eſuriuntque jam ſervorum ſeu furacium ſeu pigrantium culpa, jam herorum avaritia, qui de occupandis plus, quam nutriendis beſtiis ſunt ſoliciti. Taceo perpetuam, quæ ex affigendis, refigendisque toties ferreis ſoleis accidit, equorum moleſtiam, quin & cruciatum ſæpe ex fabrorum inſcitia. Hæc animo voluens haud miror hujates equos mille morbis obnoxios; Vel unum ſuperſtitem eſſe, miror. Academia hominum, qui equis mederentur, opus fuit.

Muli equis aſſociati Paraquariæ campos implent; Neque diſſociandi ſunt meis in commentariis. Corporis proceritate equis pares quam plurimos videbis; plerosque tamen mulis illis minores, quos ſeu Hiſpania, ſeu Italia procreare conſuevit. Multitudinem mulorum vel ex hoc conjice, quod octoginta circiter illorum millia quot annis Paraquaria Peruvio transmittat, ex quorum mercatu, quidquid argenti ſeu in templis, ſeu in ædibus oſtentat, recipit quæſtu ſane non mediocri. Muli enim biennales, necdum domiti, tribus plerumque imperialibus Hiſpanicis in Paraquaria, decem, quin & quatuordecim ſæpe in Peruvio veneunt ſinguli. Ecquis numerum ineat mulorum, qui intra Paraquariam tum in urbibus, tum in prædiis jam oneribus, jam ſeſſoribus portandis quotidie dorſum ſubſterſternunt ſuum. Mul-

ta

ta illorum millia herba Paraquarienſi e ſylvis in urbes transferenda occupantur ſemper, & cum viarum aſperitate, tum hominum aſperrimorum indementia turmatim annis ſingulis pereunt. Prædia novi, in quibus quatuor mulorum millia numerantur, ac multo plura equarum millia mulorum procreationi deſtinata. Verum hæc multis induſtriis conſtat, quæ quia in Europa vel neſciuntur, vel negliguntur, inde tanta apud Europæos mulorum paucitas, caritasque. Exponam breviter, modeſteque omnia, quæ prædiorum dominis hoc in genere uſui eſſe poſſent, maxime in Hungaria.

Campus, ubi equæ, aſinique earum mariti paſcuntur, foſſa, ſepibus, ſylva, vel flumine claudatur undique, ne equabus ad equos, ne aſinis ad aſinas exitus pateat. Naturam enim ſecuti ſuam in ſui ſimiles propendent. Violenta hinc, atque artificialis eſt mulorum geneſis, ſive ex equo, & aſina, ſive ex aſino & equa (quod uſu receptum in Paraquaria) procreentur. Mulus, dum vixerit, fraudulentiſſimum ſane animal, & aſtutum, ut naſcatur, fraudibus opus eſt, ac aſtu. Arte formandi ſunt, qui equabus ſe conjungant, aſini. Equarum, quæ equos, aſinarum, quæ aſinos pariant, gregem in promptu habere oportet. Ut primum equa peperit, fœtus illius equulus jugulatur, excoriaturque. Iſtius pelle, antequam exareſcat ſanguis, aſellus recens natus veſtitur, ac ad equæ partu defunctæ conſpectum adducitur. Hæc aures longiuſculas conſpicata, ſobolem hunc (aſellum) negat ſuam, árociterque ab uberibus repellit ſuis. Verum accepto, qui ex equuli occiſi pelle emanat, odore fœtum eſſe ſuum ſuſpicatur. Diu, multumque hæſitans naribus denique plus fidei tribuit, quam oculis, aſellum prolem credit ſuam, ac ad ubera admittit.

mittit. Confirmata fenfim matrem inter, ac adoptivum familiaritate pellis aliena afello detrahitur, qui jam fine larva equæ lacte nutritus, equas inter adolefcit, illarum ad nuptias fubinde afpiraturus, transferendusque ad campum, ubi equæ mulorum procreationi deftinatæ, & ab equorum confuetudine feparatæ pafcua habent. Hæ tamen afinos a fe lactatos, educatosque nec appetunt unquam, neque admittunt; Hinc illis affociandi aliquot equi admiffarii, fed tales qui conjunctionem cum illis tentare quidem queant, nequeant tamen perficere. Quamobrem ifti non caftrandi, fed quadam ratione (fapienti pauca) mutilandi funt. Incudem inter & malleum hæreo. Verecundus effe dum laboro, obfcurus fio Malo tamen dici obfcurus, quam effe parum cautus. Cujus intereft penitius ifta noffe, me confulat Multa in aurem dici poffunt prudentibus, quæ nefas fit typis in lucem edere. Afinos generandis mulis aptatos burros hechores; Admiffarios mutilatos retajados Hifpani vocant, majorique vendunt pretio, quia plures ex vulnere fæpius repetito pereunt. Equas, quæ minus proceræ fint, mulorum matres deligere folent prudenter, quia afinorum corpori magis congruentes. Hæc, quæ adnotavi, cum curatiffime obferventur in Paraquaria, tanta eft paffim mulorum frequentia. Ducentos, quin & multo plures quot annis nafci in mediocribus prædiis obfervavimus, fi modo equarum numerus, afinis habilibus aliquot adjunctis, refpondens iftic alatur. Provinciarum Auftriacarum utilitatibus confulturus, quamvis calamo refugiente, hæc fcripfi, ne mulos ad privatorum obfequia tanti porro emere in Italia cogeremur. Hungaria cumprimis, quæ equis, campis latiffime patentibus, pafcuisque lætiffimis gaudet, paucos intra annos mulorum gregibus abundaret, fi opportunitatibus, quas

illi

illi natura offert, Paraquariorum exemplo uti vellet. Ex mulorum, quos vicinæ provinciæ citra dubium avidiſſime coemerent, commercio luculentiorem profecto, quam ex vini, triticique cultura, quæſtum faceret.

Quamvis nec mulæ pariant, neque muli generent; Hi tamen hædorum inſtar petulci ſi quam equam ineant, eam ſterilem reddunt. Idcirco muli parvuli, anno majores, ab equabus ſeparantur illico ad prævertendam illarum corruptionem. Caſtrantur plerique omnes, & biennes jam ſeu ad onera, ſeu ad ſeſſores portandos erudiuntur. Illorum, ferociſſimi cum ſint, inſtitutio tempore, labore, periculoque quotidiano domitoribus conſtat. Quantumcunque procedente ætate morigeros ſe præbeant demum, ac dociles, nunquam illis omnino fidendum. Nam ut Hiſpanorum fert adagium: Mulus hero famulabitur ſuo ſeptuaginta annos, calcibus mactare illum ut poſſit denique. Confracta crura, raptata humi multorum corpora, truncatæ manus, alliſa arboribus, ſaxisve capita, aliæ, quas ipſi ſpectavimus frequenter, id genus tragoediæ veritatem hujus adagii luculente confirmant. Muli equidem, licet præ quovis equo viribus polleant, licet per ſylvas, per ſaxeta, per campos invios firmiori ſimul, ſimul leniori incedant gradu, rariusque offenſent pedibus, ſemper tamen præ quovis equo reformidandi ſeſſoribus, quia ſemper meticuloſi, ſemper periculorum ſuſpicaces. Repente in via ſubſiſtunt attoniti. Olfactu explorant gramina, arrectis auſcultant auribus, vagis in omnem partem oculis vel remotiſſima ſpeculantur. Color plantæ exoticus, peregrinus odor, avicularum ſibilus, varius per ſylvam arborum ſtridor, aut foliorum agitatio inſolens vento excitata tigridis propin-

quantis ſuſpicionem illis ingerit, dubia præſertim luce, vel nocte obſcura. Terrore mox correpti Panico ſeſſorem fugiendo, qua lubet, abripiunt, & ni præſentiſſimo ſit animo, humi præcipitem dabunt, vel ſtapedi inhærentem calcitrando raptabunt aliquamdiu. Periculi plena mulorum calcitratio, quia celerrime, diutiſſimeque repetita. Nunquam igitur plus timendi muli, quam dum ſibi timent; Nam ſic tunc impotes freni, licet validiſſimi, ſenſum amiſiſſe videntur. Cui equus præſto eſt, horis antemeridianis, ſi ſapit, mulo abſtinet. Mane equidem tigridum campo inambulantium, indormientiumve recentia extare ſolent indicia, atque exhalationes, quarum vel umbram pavent, totisque artubus contremiſcunt. In S. Caroli oppido Abiponum meorum quispiam tigridem haſta confixerat, quam in partes rite diſſectam equitans domum deportabat, lautas, ſi ſuperis placet, epulas contubernalibus inſtructurus. In via pernam tigridis rupto, e quo pendebat, loro, amiſit inſcius. Eodem die huic ego loco, rei ignarus, appropinquaveram; Verum mulus, cui inſedi, percepto eminus odore perculſus extra viam me abripuit. Quin multis poſt menſibus terroris ſui memor per hanc, ubi tigridis perna jacuit, viam ut mecum tranſiret, nullo adduci modo potuit, ſemperque mihi per ambages eundum propterea, quamvis nec oſſiculum, neque pilus illa ex tigride jam eſſet ſuper. Mulos dudum manſuetiſſimos, ſi a tigride terreantur vel ſemel, adeo efferatos fuiſſe, vidimus, ut longo poſt tempore nullum ſeſſorem, nullas ſarcinas paterentur. Terror intimis hauſtus fibris ægre admodum, ac ſero illorum deletur e memoria. Ut quæſtuoſus eſt mulorum in Paraquaria mercatus, ſic mercatoribus periculoſus ob incredibilem illorum metum, ac fugacitatem. Uno ſæpius agmine decies mille muli,

nullis

nullis adſtricti loris, ſed undequaque liberi a paucis Hiſpanis cuſtodibus in Peruvium aguntur. Leviſſimo terriculo repente perculſi diffugiunt omnes, curſuque citatiſſimo per immenſam in omnes partes planitiem, ac interminatas ſolitudines dilabuntur, nulla vel equitum induſtria retineri, vel equorum pernicitate in viam reduci ut poſſint. Memini, bina mulorum millia cordubenſi in territorio periiſſe hero ſuo; Induſium ex arbore, ut ſiccaretur, ſuſpenſum, ac vento procelloſo in aera ſublatum terroris, fugæ, damnique memorabilis origo fuit. Ejusmodi mulorum fugæ, jacturæque & ſat frequentes ſunt, & pluribus exitiales.

Novi viros cætera ſtrenuos, intrepidosque, quibus alieno ſcilicet periculo cautis, fixum erat, ac ſolenne, per omnem vitam nulli unquam mulo inſidere. Familiare alicui fuit dicere: Nec mulo, neque mulato fidam. *Ni mula, ni mulato*, homini ſcilicet ex Hiſpano, & Africana, ſeu nigra progenito. Novi & alios plurimos, qui equos quosque præſtantiſſimos aſpernati mulo duntaxat iter facere conſueverunt. Neque iſtorum damnanda eſt propenſio. Muli equidem utut meticuloſi, utut ſubdoli multas ſibi præ equis vendicant prærogativas. Eximia pollent, maxime ſi gradariæ ſint, greſſus ſuavitate, firmitate pari, qua cuivis demum ſolo pedes tuto affigunt ſuos ſive per rupes aſcendendum ſit, ſive per paluſtria loca rependum. Quamvis ad paludes amnesque profundiores transmittendos plus equi valeant, quia plerumque altiores. Arduo, longoque itineri, cui vix quaterni equi ſufficerent, mulus par eſt unicus. Pabulo obvio, viliſſimoque acquieſcunt muli, plerumque tamen pingues, ac obeſi. Multi illorum curſus velocitate equos perniciſſimos vincunt, quod

in ludicris militum excurrentium certaminibus ſæpe obſervavi. Beſtiis ad hæc plerisque omnibus ſunt vivaciores, fors quia ſoboli propagandæ non dant operam. In S. Joachimi oppido mulos habui triginta annis majores, qui tamen ſenectutis ſuæ immemores & ſeſſorem ferre, &, ſi occaſio tulit, calcitrando excutere noverunt. Viribus præterea ſunt athleticis, ac robore incredibili; Nam pondus quatuor prope centenariorum dorſo bajulare conſueverunt itinere per vias aſperrimas, menſes ſæpe complures continuato, dum ſcilicet herba Paraquarica onerantur. Verbo: Num virtutibus, num vitiis pluribus polleant muli, ſententiam ferat, qui voluerit. Liceat mihi hoc Corollarii loco adjicere: Ex mulorum, quos in Paraquaria videram, infinitate unicam novi, habuique mulam ex equo & aſina prognatam. Hæc magnitudine, proceritateque equo nullo inferior, manſuetudine omnibus equis ſuperior fuit, & ſolis auribus mulam ſe prodidit. Impellente nemine in aream domus, quin in noſtra etiam cubicula irrepere auſa eſt quotidie, ubi ſalis, panisve aliquid expectabat. E cubiculo expulſa per feneſtram cubiculi patentem caput mendicantis inſtar intruſit. Dictas cupedias e meis manibus cum accepiſſet toties, me ſeu in foro, ſeu in campo ambulantem curſu aſſecuta, & domum usque comitata eſt jam, ut aures illius fricarem manu, caput porrigens, jam, ut ſalem impertirem, diductis identidem labiis veluti rogitans, jam capite humeris meis appreſſo canis inſtar blandiens. Pantomimam illam dixiſſes. Ipſis Indis riſui ſæpe, ſemper admirationi fuit. In itineribus per vias ſalebroſas licet diuturnioribus indefeſſam ſe mihi ſemper, intrepidamque probavit. Illud animadverſione dignum philoſophi: Quamvis ab equo genita, ex aſina nata corporis mole ac figura ad equi ſimilitudinem, ſi

aures

aures excipias, proxime accederet, ab equorum tamen mulorumque ſocietate abhorruit ſemper, ſemper aſinis aſſociabat ſeſe, ſi quos vel eminus conſpicata, aut odorata eſt. Adeo illius propenſio naturalis in maternum Genus ferebatur. Prope dicerem in illa locum habuiſſe illud Juris conſultorum: *Partus ſequitur ventrem.*

Aſini cognationis jure equos inter, & mulos memorandi veniunt. In Paraquariæ campis turmatim vagantur, neque dominum agnoſcunt, niſi illum, a quo capti, abductique fuerint. Rudendo implent aerem, & vicinis colonis ſomni adimunt facultatem. In Italia luſitaniaque, nam ipſe videram, aſinus occupatiſſimum eſt animal, tum ad clitellas, tum ad ephippia utilis. In Paraquaria laborum vacatione perpetua donatur. Amplioribus in prædiis ingentes aſinorum Greges aluntur eo fine, ut ſemper in promptu ſint aſelli recens nati, mulorum procreationi ſubinde aptandi. Minor eſt, quam credi poſſit, aſinarum fæcunditas, quin tamen cauſam, cui ſterilitas tribui poſſet, aſſequeremur. Quotidianæ adhæc ſunt ſtrages, quas tigrides aſinis inferunt, illis maxime, quibus cum equabus eſt familiare commercium. Hos neglectis aliis vulgaribus devorant avidius. Num eis ſapidior illorum caro? Credam, quia putidior. Nam & æthiopis male olentis carnem, præ Hiſpani, carnem putridam præ recenti ardentius appetunt Tigrides, ut nos docuit experientia. Aſinos nemo Americanorum ignavos dixerit, tigridem enim, quam adventantem cernunt, calcibus repellunt ſtrenue, pertinaciusque, quam equi, ſe tuentur. Stupidi tamen, ut ubique terrarum, ac cunctabundi cum ſint, tigridum aſtu, ac velocitate per inſidias fere opprimuntur. Hiſpani quoque annis ſingulis aſinos non

pauco sjugulant, adipis, quem præter animalium cæterorum morem in cervice habent, gratia. Hic enim ab alutariis ad concinnandas, emolliendasque cervorum pelles, ab aliis alios in usus adhibetnr. In tanta equorum, mulorumque, quos Paraquaria educat, frequentia ecquis Hispanorum, æthiopumve vel egentissimus asino insidere haud erubesceret? In territorio tamen urbecularum Rioja, & Catamarca, ubi pro camporum paucitate pauciores quoque equi, Hispani vulgares asinos non dedignantur suis ephippiis. Lege omnibus perquam salutari cautum fuit a nobis, ne Quaranii nostri equos possiderent, ut vagationis noxiæ, saltem periculosæ opportunitas illis subtraheretur. Asinis propriis ad fruges ex agris vicinis domum convehendas nullo sexus discrimine utebantur passim. Qui tamen pecorum custodiæ, aliis oppidi negotiis præfecti, equos, mulosve promptos semper, paratosque habuere.

Ut aliorum pecorum, sic ovium, quæ a nostratibus haud differunt, numerosis gregibus ad Europæ invidiam abundat Paraquaria. Quaraniorum coloniæ aliquot ad triginta millia, aliæ pauciora numerarunt pro incolarum scilicet numero, & pascuorum amplitudine. Lana potissimum tegendis Indorum corporibus impendebatur; Indæ enim telam albam duntaxat e Gossypio textam pro amictu habuere. Puellarum erat negotium colligere in campo maturum Gossypium, illud, uti & lanam, in fila ducere, mulierum. Fila coloribus variis tingere, texereque, virorum. Ampla oppidis singulis textrina, semper, ut tot incolarum millibus vestitus annuus suppetat, occupata. Indum sorte sua contentum videbis nunquam, ni & stomachum carne plenum, & corpus bene indutum habeat, ut adeo ad colonias has conser-

van-

vandas plurimum conferre videatur boum, oviumque multitudo; Cum illi carnem pro cibo, hæ lanam pro veſtimento ſubminiſtrent. Lanigeræ pecudes, quia teneriores, præ armentis majoribus majorem curam, ſolicitudinemque acriorem ſibi depoſcunt. Hinc cordi nobis fuit maxime illis paſtores ſolertes, fidosque, qui lupi non ſint, præficere, hortarique identidem, ſtatis ut horis gregem ad ſepes tecto, non parietibus munitas reducant, ubi adverſus rorem nocturnum, meridiani ſolis æſtum, tigridum, leonumque aſſultus commode defenderentur. In campum, niſi poſtquam rorem ſol abſterſerit, oves non dimmittant. A locis paluſtribus, gramine róſcido, carduis, ſpinetisque diligenter amoveant. Humor enim nimius tuſſim lethalem affert ovibus, multumque lanæ decerpunt ſpinæ. Paſcua nitro, herbisque ſalubribus fœta, ubi aquationis opportunitas in promptu ſit, ſolicite circumſpiciant. Arietes ſuperflui, ovibus indubie nocituri, caſtrentur, ut pinqueſcant. Aſſi plus ſerviunt in menſa, quam vivi in campo. Quidquid caprini generis eſt, longiſſimo intervallo ſejungendum ab ovibus, ne mutuo inter ſe commercio illarum lana exaſperetur in poſteris. Curandum eſt maximopere paſtoribus, ut agnos teneros mox a partu collectos tutum in locum transferant, a matribus iſtic lactandos, lingendosque; Hac induſtria neglecta, ab adultioribus certe conterendos. Circumſpiciendi etiam, num vermibus ex humido umbilico naſci ſolitis laborent. Maximi ad locupletandum prædium momenti eſt, totum agmen, quod decies, vel tricies mille ovibus definitur, in turmas minores diſtribuere, ſingulis turmis ſingulas, ubi noctu aſſerventur, ſtationes, ſingula paſcua, paſtoresque aſſignare, ut curis in plures diviſis ſuo quisque munere facilius, impenſiusque fungatur. His induſtriis Quaranio-

raniorum prædia magnis ovium accessionibus, quas Europæus ægre credat, indies aucta fuere.

Paraquariam omni pecorum genere ad Europæ invidiam abundantem, quamvis omni metallo destitutam ecquis inopem existimet? Ferarum quoque, avium, piscium, amphibiorum, arborum, frugum, plantarum medicarum ingentem progignit varietatem. Enucleatam istorum descriptionem alium in locum rejicio. Nunc de Paraquariæ climate, aliisque cœli proprietatibus dicendum aliquid. Aeris temperies pro locorum varietate varia. Quæ meridionali plagæ (quæ ibi frigida) propinquant magis, magis algent. In Magallanica, seu Patagonum regione, quam Paraquariæ accensent, frigus plerumque acerrimum, nives in vicinis alpibus assiduæ, Austri ferocissimi, quibus mare illud, nautis omnibus formidabile, horrendum in modum exasperatur. Ipsum Boniaeris territorium in gradu 34 latitudinis auræ rigidiori subest, quam ut tabaca, Gossypium, cannæ sacchari, herba Paraquarica, simii, variæque psittacorum species &c. subsistere queant, vel produci, etsi copiosum triticum, mala citrina, Persica, cotonia, granata, ficus, &c. istic passim nascantur, dummodo cultorum diligentia soli fertilitati respondeat. Nives extra montes chilensi Provinciæ propinquos nusquam vidi. Quaternæ item vicissitudines, ut in Europa, annum distinquunt, sed alio ordine. Nam dum Europæi hyemem, illic æstatem; dum Ver, illic autumnum experiuntur Paraquarienses. November equidem, December, Januarius æstatem; Februarius, Martius, Aprilis autumnum; Majus, Junius, Julius hyemem; Augustus, September, October ver efficiunt. Augusto enim mense arbores florescunt, aves nidos condunt suos, hirundines suis

e la-

e latebris redeunt. Hyeme nives nullæ omnino, pruinæ rariſſimæ, adeo, ut hybernis menſibus pepones, leguminaque ſuccreſcere, nullaque aeris aſperitate offendi paſſim viderim. In montibus Tarumenſibus tamen, ubi octennium egi, tres ſibi continuæ pruinæ ſuccedunt. Sed, quod mireris, tertiam duabus præcedentibus multo rigidiorem ſub meridiem ejusdem diei ſemper tempeſtas excipit, fulgure, tonitruis, imbre copioſo prægnans, quo herbæ pruinis marcidæ revireſcunt, vel recentes naſcuntur. Pro venti ratione aeris viciſſitudines experiebamur. Auſter frigus, calorem Boreas aſpirat. Hinc æſtatem, hyemem que eodem die perſenſimus toties, quoties uterque ventus, alter alteri ſucceſſit. Neque fixum, certumque eſt hyemis diſcrimen. Nam imbres continui, ut Braſiliam, plagas alias, alias cœli ſiccitas in plures menſes producta affligit, ut S Jacobi de Storea territorium. Tempeſtates tonitruis remugientes non ſoli æſtati, ut in Europa, propriæ, toti anno citra diſcrimen communes ſunt. Neque dici unquam poteſt, hunc illumve menſem, hybernum licet, tonitruis, fulgure, fulminibus, grandine cariturum. Æſtus ſolis equo iter agentibus acerbiſſimus eſt profecto, ſed ſub tecto, vel in umbra conſidentibus tolerabilior ſæpe, quam in Auſtria, dum æſtivi calores aliquando invaleſcunt. Satis, ſuperque expertus utrumque, id ſcribo. Hyberna frigora haud acria eſſe vel ex hoc conjice, quod illa Indi, Indæque cujuscunque ætatis nudis pedibus, nudo plerumque capite, tela tenui operti citra invaletudinis periculum tolerare conſueverint, quod animalia ſub dio dies, noctesque agant. Non inficior, Indos barbaros equeſtres palliis e lutræ pellibus adverſus auram rigidiorem uti interdum. Dies Paraquarienſibus breviſſimus eſt menſe Junio, ſolſtitio Europæis æſtivo. Sol

oritur hora ſexta, & quinquageſimo ſecundo minuto; occidit hora quinta, & ſeptimo minuto. Dies longiſſimus menſe Decembri ſolſtitio hyemali. Hora quinta, & ſeptimo minuto ſol oritur, occidit hora ſexta, & quinquageſimo ſecundo minuto. Intelligo cœli regionem, cui Quaranicæ ſubjacent coloniæ, in gradu ſcilicet latitudinis 24. 25. 26. 27. 28. & 29. Ex quo patet in Paraquaria diem nec tam brevem, nec tam longum, uti in Germania noſtra, unquam exiſtere. Aura tantæ provinciæ varia eſt, ſed maximam partem ſaluberrima, & ad vitam in annos plurimos producendam opportuna. Morbidos, ſi cum Europæis conferas, paucos, plurimos ætate graves numerat. Non pauci Hiſpanorum, Indorum, æthiopum ultra ſeculum vegeti. Verum omnes vivendo longiſſime ſuperant Barbari equites; Tantæ vivacitatis cauſas in ipſa, quam mox aggredior, Abiponum hiſtoria adnotabo, uti & plura alia. quæ Paraquariæ peculiaria ſunt, brevitatis ſtudio prius a me intermiſſa.

Mancam jure quis dixerit hiſtoriam, ni memorabiliora ſaltem de feris, amphibiis, avibus, piſcibus, plantis, arboribus, earumque fructibus ſtrictim, ac tranſeuntium more attingerem. His naturæ ſpectaculis contemplandis propius certe admoviſſem oculos in Paraquaria, de iis ſcripturum me in Auſtria ſi proſpexiſſem. Plenius iſta, planiusque cognoſcere qui cupit, clariſſimum linnæum, Quilielmum Piſonem doctiſſimum Batavum, & Braſiliæ diu habitatorem, aliosque conſulat, quibus erat propoſitum, ordine omnia, ac minutatim explanare. Ex me tamen, niſi vehementiſſime fallor, diſces non pauca, quæ graviſſimi hi ſcriptores nec adnotarunt, neque unquam viderunt; Experierisque, olitorem ſæpe oppor-

opportuna fuiſſe locutum. Abipones hiſtoriæ præcipuum mihi cum ſint argumentum, cætera illius illuſtrandæ gratia obiter erant percurrenda; ut ne veſtibulum grandius cubiculo, liber prodromus ipſa hiſtoria evaderet, magnopere verebar equidem. A bipedibus feris exordiamur. Prima in ſcenam prodeat tigris.

Tigris.

Tigridibus, ſupra, quam credi poſſit, Paraquaria omnis abundat, quippe pecoribus, tigridum alimento, refertiſſima. Nigris maculis diſtinquuntur univerſæ eo tamen diſcrimine, quod pellis albicet aliarum, aliarum flaveſcat. Ut Africani Leones magnitudine, ferocitateque longiſſime ſuperant Paraquarienſes, ſic tigrides Africanæ a Paraquarienſibus mole corporis luculentiſſime vincuntur. In S. Ignatii prædio, quod cordubenſis erat collegii, tigridis pridie interfectæ pellem, paxillis ligneis humo affixam, Germani advenæ deprehendimus; Hæc ulnas tres, duosque pollices longitudine æquabat, qua majorem nec a bove adulto poſcunt Hiſpani. Maxima tamen tigris quovis bove eſt multo gracilior.

Tigrides ſeu felium ritu aſſilientes, ſeu fugientes curſu valent citatiſſimo, haud tamen diuturno; Mox enim fatigatas eques ſtrenuus in campo aſſequitur, ſternitque. In ſylva arboribus, ſalebrisque tuentur ſe ſe, ac pertinaciter aggreſſoribus repugnant. Incredibile, quantas in prædiis ſtrages edant quotidie. Boves, oves, equos, mulos, aſinos nullo negotio interimunt, eorumque corpora ad latebras raptant ſuas; Verum illis non niſi jam putrefactis veſcuntur denique. Carnem enim quamcunque, quæ

puti-

putida magis, magisque putrida fuerit, præ recenti appetunt ardentius. Argumento ſint, quæ referam, experimenta. Dormiant in campo Hiſpanus, Indus, Æthiops, eundem ad focum eadem in ſtatione locati; Tigris Hiſpano, Indoque neglectis in Æthiopem diſcerpendum, devorandumque irruet, nihil hæſitans; Æthiopum enim, quorum cutis, maxime poſtquam ſudârunt, graviſſime olet, carnem in cupediis numerant, quia putidiorem. Equorum cadavera, tabo licet manantia, ad ultimam usque abſumunt micam tigrides, etſi equi, quos cædere, edereque poſſent, vivi in promptu ſint, ac in conſpectu. Tigridibus adeo perniciofis Hiſpani æque, ac Indi paſſim inſidiantur; Illi arcam prægrandem, muſcipulæ inſtar, vaſtis ex aſſeribus compactam, rotisque quatuor plauſtri more incumbentem quaternis bobus eum in locum advehere ſolent, ubi tigridum ſeu veſtigia, ſeu indicia detexerint. Interiori arcæ angulo caro inſigniter fœtens eſcæ loco affigitur, quam ut primum aſcendens prenſat tigris, porta arcæ cadente clauditur, & ſclopo, vel haſtâ per tabularum feneſtras applicata trucidatur. In Koſarii oppido tigridem nondum omnino adultam, ſed jam obviis minacem, timendamque in ſylva a meis ædibus ſclopi ictu diſtantem conſpeximus. Ad eam necandam tribus cum Hiſpanis armatis armatus accurri; Nobis viſis arbores inter, ac dumeta hac, illac fugiens oculis ſe noſtris ſubduxit denique. Ejus veſtigia ſecuti illam in annoſa, vaſtiſſima, penitus concava arbore latitantem deprehendimus. Hanc, ne ullus tigridi exitus, neu effugii locus pateret, lignorum ſegmentis obviis obſtruendam protinus, & ſecuri uno ex latere, ut armis necari poſſet latens beſtia, non nihil perforandam curavi. Multis & ſcloporum, & pugionis ictibus a me, nihil omnino periclitante, de-

demum eſt interfecta. Incredibile, quot ſaltibus ſurſum deorſum, ut hydrargyrum vitreo in tubulo ſolet, aliquot jam vulneribus ſaucia tigris per cava arboris ſe ſe jactarit. Ejus pellis, cribri inſtar, plumbo, ferroque pertuſa nulli porro uſui fuit, etſi caro lautam Abiponibus cænam præbuit, me neutiquam invidente. Cæterum cum viribus, velocitate, aſtutiaque polleant ſingulari tigrides, illarum inſectatio, ac cædes patente in loco vix citra diſcrimen ab unico ſuſcipitur. Tigridem repente aſſilientem ab Hiſpano, vel Indo ſolo haſta confodi, aut laqueo captam ſuffocari aliquando, haud inficior equidem; Sæpe tamen & Hiſpanus & Indus a tigride dilaceratur jam haſtæ ictu fallente, jam vulnus non lethiferum infligente; Haud enim, niſi penitior capitis portio, cor, vel ſpina dorſi feriatur, nervis robuſtiſſimis valens bellua occumbit, quin in furias agitur, petitque aggreſſiorem eo atrocius, quo acerbiori vulnere fuerit affecta.

Eam ob rem, quoties formidandæ huic beſtiæ inſidiari viſum, haſtati plures conſociant ſe ſe; Sclopi ſolius uſus periculo rariſſime vacat; Ni enim globo ſternatur confeſtim tigris, ſaltu præcipiti ad locum, unde ignis venerat, accurrit, diſcerpitque jaculatorem. Hic igitur, vitæ quo conſulat ſuæ, duobus haſtatis utrinque ſtipatur, qui tigridem ſclopo exonerato ſibi imminentem configunt. Alienis periculis eruditus noveram adverſus tigrides haud temere plumbo eſſe utendum. Ex ſanctæ Fidei urbe ad Divi Xaverii oppidum cum ſex Mocobiis iter faciens ad ripam lacus, quem rotundum vocant, noctem egi, ut iſtic mos fert, ſub dio. Solum pro lecto, cœlum pro tecto nobis fuit. Focus, nocturnum alias contra tigrides præſidium, in medio cuban-

bantium luxit aliquamdiu, ſed demum elanguit. Adulta jam nocte adrepſit tigris. Indi comites, ne Hiſpanorum amicitiæ diffidere viderentur, inermes in viam ſe dedêre. Mihi ſclopus erat, ſed, quod periculum abeſſe credideram, id temporis vacuus. Titiones, me jubente, in incurrentem tigridem jactabantur dexterrime. Ad jactus ſingulos rugiens reſiliit, ſed metu poſito iterum minacior, iterumque aſſiliit. Interea oneratus a me ſclopus. Cum vero ſternendæ tigridis, quippe nocte obſcura, ſpes nulla mihi eſſet, ſed fugandæ deſiderium duntaxat, ſclopum pulvere pyrio liberaliſſime fartum absque globo exploſi. Tonitru horrendo conterrita beſtia fugam, nos ſomnum denuo cepimus, de ſucceſſu læti; Haud equidem tigridem pelle exuere mihi in votis, ſed, ne nos noſtra ejus unquibus exueremur, cura potiſſimum fuit. Eodem meridie arcta in ſemita hinc lacu profundo, inde nemore clauſa equitantes binas tigrides obvias habuimus, ab inſectantibus Mocobiis laqueo capiendas utique, ni fugientes in ſylvæ latebris ſe abdidiſſent.

Innumeræ quot annis tigrides coriaceo fune illaqueantur ab Hiſpanis, Indisque equitibus, & curſu celerrimo per campum raptatæ aliquamdiu demum ſuffocantur. Barbari Auſtrales, quos Pampas vocamus, arundine gracili ſpinam dorſi tigridis feriunt, & extemplo necant. Alias eundem in finem ſagittis validioribus, vel tribus lapidibus globoſis, quos totidem e loris pendentes in tigrides vibrant, feliciter utuntur. Illarum robur vel ex hoc colligas, quod, ſi binos equos lorô, ne diffugiant, copulatos in paſcuis deprehenderint, repentino aſſultu mactent unum, eumque una cum vivo altero ad latibulum raptent ſuum. Fabulam id crederem, ni cum mili-

tibus

tibus Jacobopolitanis iter faciens ipſus ſpectaſſem. Par fortitudini eſt earum calliditas. Si quando ſylva, campusque eſcam negaverit, eam piſcatu ex aquis ſibi procurant. Ut nandi ſunt ſcientiſſimæ, lacui, fluminive collotenus immergunt ſe ſe, ſpumamque albicantem e faucibus evomunt, quam famelici piſces in ſuperficie natantem dum eſcæ inſtar avide prehenſant, tigrinis unguibus ad propinquam ripam celerrime ejiciuntur. Teſtudines quoque, quarum ingens in amnibus eſt frequentia, capere nôrunt, & ſuis e conchis miro artificio avulſas devorare. In oppido S. Ferdinandi Jaaukanigas inter dum agerem, ad fluvii nigri margines in tigridem teſtudine veſcentem pedes cum ſocio incidi; Enimvero, cum periculoſum duxerim hoc ſpectaculo oculos paſcere, celeritatem pedibus imperavi meis. Interdum ſub alto gramine, vel dumeto latitans tigris, quin videatur, videt quieta equitum turmam pone tranſeuntem, & in poſtremum, qui agmen claudit, equitem irruit impune. Noctibus pluviis, procelloſisque in humanas habitationes aſtu, ſilentioque maximo, greſſu leniſſimo ſe ſe inſinuat aliquando, non prædæ, cibive deſiderio, ſed ut adverſus aquas, quas horret, ventumque frigidiorem ſe tueatur. Correntina in urbe mater ſua cum filia eodem cubaverat in lecto; Hæc mane ſurgens tigridem ſub lecto jacentem conſpicata matrem, ne ſe moveret, nutibus commonuit ſimul, ſimul viros qui periculoſum contubernalem amoverent illico, accerſivit. Negotium anceps expectatione felicius oppugnatoribus ceſſit. Redeunte ſtatis temporibus, ut dixi, Paranæ fluminis alluvione, ex ſubmerſis inſulis natando ad continentem feſtinant tigrides; Harum una in ejusdem urbis correntinæ litoribus emergens ab accurrente luſitano plumbea glande ſauciata ad propinqui collegii noſtri

aream ſe recepit, magna noſtrorum hominum trepidatione. Ab Hiſpano cum aliis opem ferente laqueo ſuffocata eſt bellua. Ea res litis ridiculæ origo exſtitit. Luſitanus enim, qui tigridem primus feriit, ejus ſibi pellem vindicare contendit. Verum cauſa, ut par erat, Hiſpano adjudicata eſt, quippe qui beſtiam interemit.

Quamvis vel umbra propinquæ tigridis cuivis demum ſit reformidanda, illius tamen maxime fugienda eſt, humanas carnes quæ jam deguſtaverit: Talis tigre çevado ab Hiſpanis appellatur. Hæc enim vero hominibus perditiſſime inhiat, inſidiaturque identidem. Humana veſtigia in campo per plures leucas, ut ipſus vidi, ſequitur, dum denique viatorem aſſequatur. Ejusmodi tigris regia in via, qua ex ſanctæ Fidei urbe Jacobopolim commeant quotidie plurimi, decem omnino Hiſpanos parum cautos, alios aliis diebus, miſere noctu diſcerpſit. Viæ illius quotidie tritæ ſecuritati ut conſuleret Jacobopolitanus Progubernator, ingraveſcente indies periculo, milites, qui graſſatorem hunc impudentiſſimum enecarent, aliquot miſit. Expeditiuncula nec breviſſimi temporis, neque laboris vacua, ſecunda tamen fuit. In oppido conceptionis ad flumen ſaladum translato cum Abiponibus verſabar id temporis ſtationibus illis, ubi repetitas eadem tigris ſtrages edidit, ſatis propinquo. Juvat hoc loco aliqua adverſus tigrides præſidia memorare. Arborem, quam quis tigridis ungues evaſurus conſcenderit, tigris quoque ſcandit. Sed in promptu conſilium. Urina pro armis eſt. Hac ſi tigridis ad arboris pedem minitantis oculos conſperſeris, ſalva res eſt. Qua data porta, fugiet illico. Noctu focus illuſtris magnam adverſus tigrides præſtat ſecuritatem. Canes etiam illis ſunt terrori,

rori, quamvis non raro ab iis miſerandum in modum vel deglubantur, vel dilacerentur Hiſpanis moloſſi ſunt, tigridibus formidandi. In S. Ferdinandi oppido ſæpe tigris in ſepes, ubi ovium grex noctu claudebatur, irrepſit. Sanguinem ex ovibus jugulatis ſuxit, & relictis corporibus earum capita aſportavit. Intolerabilis porro impudentia tanta cum nobis videretur, ſole occumbente viginti Abipones haſtati, qui perniciofiſſimam feram confoderent, in inſidiis collocati fuere. Alter quiſpiam ſclopis manualibus armatus in medio gregis decubuit. Inſidiatores hi quamvis abditi vicina in area, tacitique laterent, eorum tamen vicinitatem ſeu odoratu, ſeu auditu ſentiens tigris non auſa eſt more ſuo ſepibus imminere. Deſperato demum ejus adventu nocte jam declinante ad ſua ſe recepere tuguria excubitores. Vix terga verterant, adfuit tigris, denasque circiter oves diſcerpſit. Ad eam inveſtigandam alias, quotquot domi erant, Abipones pedites ſub veſperum excurrerunt haſtis utrinque exporrectis, & ad ictum, ſi ſpectabilis fieret bellua, promptis. Ego, Indis petentibus, ſclopo, cui præfixus pugio, ſclopisque minoribus armatus illorum agmen clauſi. Excuſſa diligenter vicinia, cum nusquam tigris occurreret, re infecta fœminarum ſibilis exploſi domum redivimus. Eadem tamen tigris ſole in occaſum vergente ad decerpendam ex equi cadavere carnis portionem quotidie oppido propinquabat, quin ab inſidiantibus Indis intercipi unquam poſſet. Quotidianæ ſunt Abiponum cum tigridibus pugnæ, & niſi ipſo in ictu haſta diſſiliat, certa victoria. Hinc raro Abiponem devorat tigris; Tigrides innumeræ ab Abiponibus devorantur. Earum carnes, etſi vel recentes teterrimam exhalent mephitim, incredibile quantum appetant equeſtres, quotquot novi, Barbari. Adipem quoque ti-

grinum igne liquatum potant, & nectar putant, immo & fortitudinis instrumentum. A Gallinarum, ovorum, ovium, piscium, testudinumque aquatilium esu abhorrent omnes, quod e teneris his alimentis ignaviam, timiditatem, corporum, animorumque lanquorem sibi credunt ingenerari. Nil adeo mihi id mirum; Nam & Julius Cæsar libro 5 de bello Gallico, folio mihi 74 de priscis Britannis hæc scribit: *Leporem, & Gallinam, & anserem gustare, fas non putant; Hæc tamen alunt animi, voluptatisque causa.* E contrario carnibus tigridis, tauri, cervi, apri, ursi formicarii, alcis avidissime vescuntur Abipones, cum ex illarum esu crebriore robur, audaciam, strenuitatemque augeri suam opinentur. In repetitis cum tigridibus pugnis non pauci earum unquibus, etsi cætera victores, sauciantur. Cicatrices, curatis jam vulneribus, dolorem, ardoremque acerbissimum adferunt, nullo seu annorum spatio, seu medicamento unquam mitigandum. Plures novi ejusmodi per omnem ætatem miseros, miseratione que dignos. Ipsæ adeo tigrides unguium suorum ardore cruciantur; Illis, dum mederi sibi volunt, arborem seibo fricant identidem, exarantque sulcis cortici impressis. Hæc arbor ut amænissimis floribus superbit, sic cæterum prope inutilis; siquidem ejus lignum, adhuc recens, adeo blandum est, cultro vulgari pomi instar secari ut queat, nec foco, neque fabricis utile. Ejus tamen cortex medicinam præbet tigridi, quid si & homini? Siquis corticis virtutem rite explorasset.

Nulli animantium generi parcit tigris, omnes, quorum copiam nocta fuerit, invadit, impari tamen fortuna, successu vario; Nam equi, mulique, ni fuga celeri se servent, plerumque succumbunt. Asinu, dummodo stationem, qua tergum tueantur suum, habe-

habeant, calcibus perniciter repetitis inſtar rotæ circumagentes ſe ſe aggreſſorem repellunt. Patente in campo tamen rariſſime canunt victoriam illi præſertim, qui mulis procreandis deſtinati; His maxime ingenti cum prædiorum damno tigrides inhiant, inſidianturque. Vaccæ ad quosvis tigridis aſſultus cornuum fiducia intrepidæ & ſe, & vitulos acerrime defendunt. Equæ e contrario, equulis ſuis neglectis diffugiunt, tigride imminente. Alces immanis roboris propinquantem ſibi hoſtem expanſis, ut ajunt, brachiis ſupinæ expectant, & aſſilientem comprimunt illico, ſi indigenarum teſtimonio habenda eſt fides. Quemadmodum tigris viva mortalibus toties lethifera, ſic mortua varias præſtat utilitates. Illius adeps vermibus infecto, ungues in calcem redacti e dentibus laboranti promptiſſime medentur, quod alio loco uberius a me exponetur. Pelles tigrinæ jam pro thoracibus, pro equorum ſtragulis, jam pro tapetibus, penulisve ab Abiponibus adhibentur In Hiſpania ſingulæ quatuor, imo & ſex florenis hujatibus veneunt Quæſtus ſpe Hiſpani complures in Paraquaria ſe conſociant, & ad tigridum venationem excurrunt. Ingens tigrinarum pellium multitudo in Hiſpaniam mittitur quot annis. In urbe ſanctæ fidei Hiſpanum prius inopem novi, qui hoc pellium mercatu paucos intra annos ad cæterorum invidiam opulentiſſimus evaſit. Ecquis non miretur, ne unum quidem Jeſuitarum, qui omnes prope Paraquariæ campos, ſylvas, litora, inſulas, ſolitudinesque immenſas in alterum jam ſeculum percurſarunt, a tigride vel cæſum, vel læſum fuiſſe, creberrimas etſi ſtrages, & propemodum quotidianas in Hiſpanorum, Indorumque, peditum maxime, coloniis edat. Idem de ſerpentibus paſſim obviis, ſæpe infeſtis, totiesque lethiferis dicendum; Nemo unus noſtrorum homi-



num ab illis, quod quidem ſciam, ictus eſt. Id ſingulare propitii Numinis beneficium jure putamus. A me in ripa fluminis ſalſi dormiente vix decem paſſus abfuiſſe tigridem, viſa ſub auroram ejus recentia veſtigia, arenis alte impreſſa prodiderunt. Eadem in novo conceptionis oppido ad limen mei tugurii, quod porta lignea caruit, iterum, iterumque detecta mane fuerunt. In ſylvis Mbae vera tigridem mihi noctu dormienti inſidiantem Indi comites haſtis, titionibusque fugârunt. Meam tot inter anthropophagarum belluarum pericula incolumitatem cœleſti tutelæ in acceptis referre nunquam dubitavi. Tigris, de qua mihi ſermo hactenus, a Quaraniis Yaguaretè, ab Abiponibus olim Nihiranák, dein Apañígehak, demum lapriîatraye appellabatur. Solent enim, ut alias exponam, & ſua, & rerum quarumcunque nomina pro arbitrio mutare. Ad tigridum ſpeciem duæ aliæ feræ, ſed illis minores, mitioresque referuntur. Harum una ab Hiſpanis Onza, altera Mbaracaya a Quaraniis dicitur. Hæc animantibus cæteris rarius infeſta Gallinarum conclavia noctu depopulatur ſæpe, interdiu vix ſpectabilis.

Leo.

Leones Paraquarienſes tanto nomine videntur indigni, quippe Leonibus Africanis & forma, & mole corporis, & ingenio diſſimillimi. In equos, boves, homines nihil unquam audent, ſolis vitulis, equulis, ovibusque metuendi. In Paraquarienſes leones belliſſime cadit vetus Hiſpanorum adagium: *No es tan bravo el Leon, como ſe pinta. Non eſt tam ferox Leo, ut*

ut pingitur. Illorum carnem a vitulina vix diſcernas, ut adeo & Hiſpani, & Indi ea avide veſcantur. Fulva illis pellis, & per intervalla albicans. Caput vaſtum, globoſumque. Scintillantes oculi. Naſus obeſior. Myſtaces pilis prolixis, & ſetarum inſtar duris hirtiſſimi; Hacce enim, qua ſcribo, dextera eos contrectavi. Sed audi, qua occaſione. Prædiorum cuſtodes ſeu Hiſpani, ſeu Indi ſolent tigridum, leonumque, quos mactaverint, capita ad pecorum ſepimenta ſudibus affixa, ceu trophæa, ac vigilantiæ, fortitudinisque ſuæ teſtimonia conſervare, eo fere modo, quo in loco ſuppliciis deſtinato reorum ſeu capita, ſeu manus perticæ infami affixæ viſuntur. In prædio quodam ſepes conſcendi, leonum, tigridumque capita, quorum ingens erat multitudo, ſingillatim inſpexi, oculos, aures, dentes ſum contemplatus, piloſque complures e tigridum myſtacibus evulſi, quos filo ferreo ſimiles, in radice graſſos, & virtute quadam elaſtica præditos demirabar identidem, domique ſociis recens advenis monſtrandos aſportavi. Cur Abipones Leonum catulos non educent, haud capio, cum tigridum catulos in deliciis habeant ſæpe, quamvis periculo nunquam careat hoc eorum oblectamentum. Necdum adulti ſiquidem nativæ ferocitatis dant documenta, & teneris adhuc unguiculis, dentibusque in obvios involant, præſertim ſole æſtuante fervidiores. Fuit, qui catulum tigrinum & dentibus & unguibus ſpoliavit, nocere ulli ne poſſet. Verum vel armis orbatus ſuis in pueros, vituloſque irruit, comprimendos certe, ſuffocandosque, ni eorum defenſores fuiſſent præſto. Ne eo creſcente creſceret porro noxæ periculum, glande plumbea eſt trajectus.

Felis Sylveſtris.

In ſylvis plerisque feles feræ ſpectantur, noſtratibus domeſticis cætera ſimiles, niſi quod caudæ extremitas complanata magis ſit, magisque compreſſa, & corporis magnitudine præſtare videantur. Varii quoque ſunt coloris. Aſſæ citra nauſeam comeduntur ab Indis, haud tamen, cum perniciſſimæ ſint, ac pavidæ, citra difficultatem necantur. Felicula nobis erat in conceptionis oppido e fele domeſtica, e patre ſylveſtri nata. Illa elegantiorem, majoremve nusquam vidi, ſed nec ferociorem, fugacioremque; Nam paternæ originis, indolisque ſemper tenax nec tempore, neque ullis blanditiis potuit cicurari, etſi ejus mater eximia manſuetudine emineret. Felis ab Abiponibus Kapaik, a Quaraniis Chibì, ab Hiſpanis Gato vocatur, animal Paraquariæ, quæ gliribus, muribusque affluit, non utile modo, ſed & perneceſſarium.

Alce, ſeu grandis Beſtia.

Abſtruſiora ad Boream nemora Alce pervagatur, quam Hiſpani Anta, vel la gran beſtia, Itali Dante, Galli Elan, Quaranii Mborebi, Abipones Alalèk, Germani das elendthier appellant. Magnitudine aſinum adultum, figurâ, ſi oculos, caput, pedesque ejus ſpectes, porcum exprimit. Aures habet breviores, frontem verſus arrectas, dentes peracutos, labia propemodum vitulina, quorum ſuperius quadam proboſcidis ſpecie tumeſcit, quam iraſcens protendere conſuevit. Pedes anteriores, ſi rite memini, in duas cavas ungulas, poſteriores in tres finduntur. Appendicula glabra, & depilis, caudam ſupplet. Pellis fuſci coloris eſt, & inſigniter craſſa; Hinc aere ſic-

cata

cata ab Abiponibus, Hiſpanisque pro thorace militari adhibetur ad enſium, ſagittarumque ictus retundendos, globis tamen plumbeis, ac haſtis, penetrabili. Humanum refugit conſpectum beſtia, viribus etſi polleat tantis, ut fune cariaceo illaqueata equitem, equumque raptet fugiens. Interdiu fere dormitat, noctu ſylvarum latebras obiens herbis paſcitur; Arborum, fruticumque ramis cum ſtrepitu confractis ultro, citroque nemus perambulans ſui indicium facit. Unam ſub veſperum a puteo redeuntem ſclopo armatus inſectatus ſum aliquamdiu, ſed ſolo admodum paluſtri probibitus aſſequi haud poteram. Indi ſylvicolæ jam decipulas e ſtipitibus paratas alcibus capiendis ſtatuunt, jam ſub dumeto latentes earum vocem dexterrime imitantur, & accurrentes beſtias ſagittis configunt; Earum ſiquidem caro ſeu recens, ſeu aere durata quotidianus prope Barbarorum eſt cibus, etſi ob duritiem palato haudquaquam jucundiſſimus. Alcium ſtomacho, eſcæ receptaculo, marſupium adjacet, in quo lapilli Bezoardici complures, avellana nuce vix majores, figura nec teretes, neque ovati ſed polygoni, cinerei, vel plumbei coloris frequentiſſime reperiuntur. Hos cæteris, quos aliæ feræ ſuppeditant, Bezoar lapillis medici præſtantiores opinantur, luculentiorisque in medicina efficacitatis. Arapotiyu Indus adoleſcens, a me præter alios e ſylvis Mbaeverà, quas Mborebîretâ alcium patriam Barbari vocant, ad S. Joachimi oppidum adductus, ejusmodi lapillorum Bezoàr acervum mihi porrexerat: Cape, mi Pater, ajebat, ſaluberrimos hos lapillos, quos ex alcibus a me trucidatis collegi. Rogatus a me: Qualem demum virtutem his lapillis ipſi tribuerent, qua ratione iis uterentur in ſylva? Nos, repoſuit, maligno quoties calore corripimur, his lapillis alcium ad focum calefactis artus refrica-

mus nostros, & convalescimus subinde. Hunc Bezoardici lapidis usum medicis arbitrandum lubens permitto; Fateor equidem, me istius medicaminis nullum unquam cepisse experimentum. Alcium quoque ungulæ, ceu valetudinis adminicula, & adversus noxios aeres amuleta magni fiunt ab Hispanis; Quid quod & in pharmacopoliis Europæis venales prostare dicuntur in varios medicorum usus, maxime ad epilepticos, e variolis, morbillisque laborantes, ut refert Woyts in suo Gazophylacio medico - physico, qui cum aliis, vel ex aliorum relatione affirmat, alces epilepsia, seu morbo comitiali identidem cruciari, & ad doloris levamentum ungula pedis posterioris sinistram aurem refricare. Num ita sit, viderint illi, qui id affirmarunt, ausique sunt asserere: Alcem a Gemanis Elendthier, bestiam miserabilem dici, quod epilepsiæ obnoxia sit. Re tamen ipsa a priscis Germanis *Elck* dicebatur a Græcis ἀλκή a latinis Alx, vel Alce. Cum ex historicis omnibus mihi constet: Alces in Borealibus Europæ provinciis cornutas esse, viderimque ipsus Paraquarienses cornibus destitui, dubitare cæpi, num hæ ab illis toto genere differant, & ob aliquam duntaxat similitudinem eodem nomine insigniantur. Mirabar profecto pleraque, quæ de Alcibus Julius Cæsar scripsit. Nam libro sexto belli Gallici de Germaniæ feris exoticis agens ait: *Sunt item, quæ appellantur, Alces. Harum est consimilis capris figura, & varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilæque sunt cornibus &c.* Inaudita hæc, incredibiliaque, quippe authorum cæterorum testimoniis omnino contraria. Alcem vel eminus a cæsare visam vix mihi persuadeo, qui eam capris quacunque demum ratione consimilem affirmârit, fors vagis rumoribus deceptus, fors tantis belli negotiis oppressus, ut peregrinas bellicosissimæ tum Germaniæ feras

ras contemplari nec vacaverit illi, nec lubuerit. Ad illam provinciam veniens eo animum oculosque convertit unice, ut gentes, quas ſibi contrarias viderat, vinceret, expugnaretque de ferarum figura parum ſolicitus. Nil mirum adeo, illum in Alcibus, aliisque minoris momenti rebus deſcribendis fuiſſe hallucinatum. Non auderem profecto tanto Imperatori, tanto hiſtorico refragari, niſi hæc, quæ ſubjicio, apud ſuetonium Tranquillum ex recenſione Georgii Grævii in vita Julii Cæſaris folio mihi 29 legiſſem: Commentarios de bello Gallico *Pollio Aſinius parum diligenter, parumque integra veritate* a cæſare *compoſitos putat: cum Cæſar pleraque, & quæ per alios erant geſta, temere crediderit, & quæ per ſe, vel conſulto, vel etiam memoria lapſus, perperam ediderit: Exiſtimatque reſcripturum, & correcturum fuiſſe.* Hæc Pollionis Aſinii Auguſto Cæſari familiaris, & a Quintiliano magnopere laudati de Cæſaris hiſtoria opinio erat.

Neque illis aſſentior, qui Alces Equicervos, ac proin' hybridas appellant, veluti ex cervo, & equa prognatos. Id de Alcibus ſaltem Paraquarienſibus ne cogitari quidem prudenter poteſt; Aſperrima equidem & ſalebroſa nemora, Alcium ſtativa, equis perinde ac cervis non ignota modo ſunt, ſed prorſus inacceſſa. Centum facile leucarum intervallo Alces campum, ubi cum cervis, equisve convenire poſſent, nusquam deprehendent. Quidquid ſit, illis fidem adhibendam ſuadeo, qui hac ætate de rebus naturalibus ex inſtituto copioſius ſcripſerunt.

Huanácus.

Animal, quod Hiſpani Guanáco, Abipones Hakahátak dicunt, cum apud latinos nomine careat,

quid vetat ἐλαφοκαμηλον cervo camelum appellare, uti ſtruthio camelus dicitur. Nam cervo cætera conſimile camelum capite, collo, gibbo, labii ſuperioris fiſſura, caudaque ſpithamam longa refert. Pedes illi biſulci, pellis villoſa, ac majori ex parte rufeſcens. Pili pileorum fabricæ ſerviunt. Ejus caro ab Hiſpanis æque, ac Indis editur. Pedum velocitas illi pro armis eſt. Neminem equidem ſeu calcibus, ſeu dentibus offendit. Quod ſi a propinquante offendatur, eum iraſcens conſpuit; Hæc ſaliva puſtulam rubram primo, mox ſcabiem inferre, vulgo dicitur. Rupicaprarum ritu arduos montes, rupesque inſident hæ feræ, quamvis, ut collubuerit, ad ſubjectos montibus campos pabuli gratia deſcendant gregatim, maſculo interea quopiam locum editiorem occupante, ubi veluti e ſpecula, num quid inſidiarum prope ſit, excubitoris more omnem late viciniam circumſpectat. Grege, ſi quando metus urgeat, fugam præcipitante præcedunt fœmellæ, mares agmen claudunt. Raro Panicus is timor. Nam in planitie pabulo occupati Huanaci, ab Hiſpanis equitibus ſæpe illaqueantur; Equis tamen ad id opus eſt celerrimis, cum incredibili ad curſum valeant pernicitate. Vertagus inſignis, qui in campo peditem me comitabatur, Huanacum juvenem inſectatus diu eſt, nunquam aſſecutus. Per Cordubenſes in Tucumania alpes iter faciens Huanacorum greges ſpectavi perſæpe. Equorum adventantium ſtrepitu percepto ad celſiſſima rupium juga confluunt turmatim, & militum inſtar longo ordine collocati tranſeuntes equites deſpectant, hinnitu cachinis humanis ſimillimo aliquamdiu proſequuntur, moxque, ut pavidiſſimi ſunt, terrore repentino perciti quaquaverſus diffugiunt. Riſui nobis Europæis id genus ſpectaculi identidem fuit, immo & oblectamento. Huanaci,

etſi

etſi timidi admodum, ac ſylveſtres, parvuli tamen nullo negotio in oppidis cicurantur. Talem in colonia ſacramenti, cujus in portu primum appulimus, canis domeſtici inſtar foro inambulantem mirati, contemplatique ſumus. Præter pellem, carnemque Huanacorum in pretio eſt lapis Bezoar (Hiſpani la piedra Bezàr vocant) qui illorum in viſceribus crebro invenitur. Interdum libram pondere excedit, figuræ ſemper ovatæ, ovo Gallinaceo vix minor, & coloribus exquiſitiſſimis, marmoris inſtar, pictus. Ex herbarum ſaluberrimarum, quæ per alpes ſunt, eſu virtutem illi medicam innaſci, vero ſimile eſt, quam tamen medici noſtræ ætatis, rerum priſcarum contemptores, aſpernari, certe haud tanti facere dicuntur. Haud equidem iſtis ſuccenſeo, dummodo pro antiquis, ex America magno ſumptu allatis remediis noſtratia, minus pretioſa, ſed ægrotantibus æque conducibilia propinent; Nec enim foris petendum, quod domi habemus.

Oves Peruvianæ Llamás.

Finitimum Paraquariæ Peruvium feras alit, in quibus Bezoar varii coloris, variæ magnitudinis & figuræ procreatur, complures: Oves ſcilicet indigenas, quas Indi Llamas, Hiſpani carneros de la tierra vocant, & ad minores ſarcinas, quæ centenarii pondus non excedunt, bajulandas adhibent jumentorum inſtar.

Vicuña.

Vicuñas item, capræ hujati magnitudine pares, ſed non cornutas, quarum lana flavi, qui ad obſcurum accedit, coloris, ſericoque mollior plurimi fit

ab

ab Europæis. Vestis ex hac concinnata cœlo æstuante corpus refrigerat. Renum doloribus mederi dicitur, ac podagræ cruciatum mitigare. Vicuñæ caro Indorum esca est, etsi palato insuavis, quin & medicina aliquando. Quidam, qui nives inter in Peruvio diutius ambulaverat, oculorum ægritudine correptus est. Inda carnem Vicuñæ recentem, & multo manantem sanguine oculis ægris applicuit, omnemque mox dolorem abstersit.

Paco, Macomoro, Tarùga.

Præter Llamas, & Vicuñas etiam Pacos, Mocomoros, Tarugas, ejusdem, ut primæ, propemodum figuræ, ac usus, & lapidis Bezoar procreatrices bestias Peruvium ostentat.

Ursus Formicarius.

Bestia, visu, risuque digna, ursus formicarius; A Quaraniis Tamanduà, Yoquì, Nurumì, ab Hispanis Osso hormigero, ab Abiponibus Heteyřei dicitur. A formicis, quibus alitur, nomen nactus est suum. Ast noveris, eum non formicis quibuscunque, sed illis duntaxat, quas cupís Quaranius vocat, earumque ovulis vesci solere. His tamen deficientibus vermiculos, insecta volucria, mel, carnemque in minutissimas particulas concisam haud respuit. Mole corporis porcum vastissimum æquat, superat longitudine, ac proceritate. Caput corporis magnitudini non respondet. Rima, fissuraque pertenuis, quæ in longa ejus proboscide conspicitur, illi pro ore est, sub quo lingua nigricans, teres, plumâ, qua scribimus, anse-

anſeris gracilior, ſed quinque ſupra viginti digitos longa, latet. Hanc exertam formicarum, quos fo-derat unguibus, tumulis immergit, dum denique formicis, vel formicarum ovulis plenam retrahit, illico deglitiendis. Oculos exiles, nigrosque, aures mediocres, & prope rotundas, pellem, inſperſis hinc, atque illinc canis, nigricantem, ac majori ex ex porte villoſam habet. Ex pedum anteriorum extremitate ungues quatuor recurvi prominent, quorum medii duo fortiſſimi, & tres admodum digitos longi; Hi enim vero neceſſaria urſo arma, inſtrumentaque ſunt ad glebam, ſub qua formicarum nidi deliteſcunt, fodiendam, removendamque. Pedes poſteriores quinque digitis pollent, unguibus totidem, ac ambulantes pueri veſtigia referunt. Cauda illius ſetis rigidis, equinâ jubâ longioribus horrens, longitudine toti corpori reſpondet; Latitudinis porro eſt tantæ, ut pilis muſcarii ſeu flabelli inſtar utrinque expanſis, & cervicem verſus reflexa totum, quoties dormit, contegat corpus, atque adverſus frigus non modo, ſed & contra imbrem ſe ſe tueatur eo fere modo, quo ſciuri hujates cauda reflexa ſe tegere conſueverunt. Curſus diuturnitate caret hæc fera, ut adeo ab equite quovis, quin & a pedite eum inſequente facile capiatur. Ejus caro in Indorum cibis, haud tamen in cupediis numeratur. Viribus eſt cæterum athleticis. Tigridem incurſantem jam ſedens, jam ſupinus, quod paulo ante dixeram, apertis veluti brachiis excipit, conteritque. Juvenis adhuc Indorum in coloniis citiſſime manſueſcit, ſed cum formicis potiſſimum operoſe conquiſitis alendus ſit, raro educatur. Talem mihi ab Indis oblatum idcirco recuſavi, a quibus innumerabiles quot annis capiuntur.

Aper.

Aper.

Aprorum, quos Quaranii Tayaçu, Abipones Ahergȓanȓaik, Hiſpani javali vocant, & incredibilis paſſim frequentia, & quatuor omnino, quod ſciam, ſpecies ſuppetunt. Illi memorabiliores, qui in dorſo carunculam ſpongioſam, glanduloſam, & liquore lactis inſtar candido, moſchumque olente turgidam umbilici inſtar oſtentant. Hæc umbilici ſpecies ab apri morte confeſtim amputanda eſt, antequam intolerabilis ille moſchi odor carnem inficiat, humanoque uſui reddat ineptam. In ſylvis, quibus paludes, paluſtresque campi adjacent, aprorum greges vagantur, & ab Indis velut aliud agentibus jam ſtipite, jam ſagittis paſſim trucidantur. Aprugnam carnem ut in deliciis habent, ſic ſuillam cane pejus, & angue averſantur. Quæ quidem abſtinentia eorum roborat opinionem, qui Americanos Hebræorum e genere oriundos contendunt, argumentisque ad id probandum utuntur, quæ, etſi me non convincant omnino, omni tamen veri ſimilitudine neutiquam carent. Aprorum agmina in S. Ferdinandi coloniam irruerunt aliquando, pabuli forſan ſpe, alio forſan inſtinctu; Sed ab Abiponibus turmatim concurrentibus ingens eorum multitudo haſtis, ſagittis, ſtipitibus obtruncata lautiſſimas diebus aliquot epulas dedit. Eundem in oppidis ad Uruquayi litora ſitis aprorum concurſum, ex aliis intellexi. Ex aprorum pellibus manticas ſibi itinerarias conſuunt fœminæ Abiponenſes. Eorum ſetas in faſciculum collectas pro pectine adhibent.

Vulpeculæ variæ. Zorrino.

Vulpecularum tria ſunt genera a noſtratibus prorſus diverſa. Majores Kaálk, minores Licheȓan, mini-

minima lichaṙa vocatur ab Abiponibus, ab Hiſpanis Zorrino, a Quaraniis Yaguanè, a Gallis Canadenſibus Bête puante, fœtens animal, vel Enfans du diable diaboli projenies jure dicitur. Hæc beſtia, damulæ par magnitudine, caſtanei coloris, duabus ex utroque latere lineis candidis diſtincta ut oculis forma eleganti blanditur, ſic fœtore incredibili propinquantium ſibi nares affligit. Venuſtas eam commendat, urbanitas minime; Nam in obvium quemque ictu certiſſimo liquorem adeo peſtilentem ejaculatur, ut eo aſperſus canis, veluti aqua ebulliente tinctus miſerabili cum ejulatu humi ſe ſe volutet aliquamdiu. Oculum ſi contingat, cæcitatem infert certiſſimam. Si veſtem laneam, vel lineam, ſi baculum, ſi aliud quidcunque conſpergat, nulli id porro eſt uſui ob inhærentem ſibi, nulla qui arte abſtergi queat, fœtorem. Sunt, qui dicant, ſuffimento ex lana nigra facto, vel diuturna rei infectæ ſub terra defoſſione peſtem illam ſenſim evaneſcere; Experientia eruditi id pernegant alii. Patente in campo ſi veſicam exoneret vulpecula, mephitis ad leucæ ſpatium a vento defertur. Liquor ille albeſcens nocte obſcura phosphori inſtar lucet, & quacunque tranſit, radius igneus videtur. Si quando irrepens beſtia intra ædes ſuccum illum naſo timendum ſparſerit, incolæ ad unum omnes, ut orto incendio ſolent, qua data porta, ruunt in foro, vel campo patente, ne fœtore ſuffocentur, liberius reſpiraturi. Utut igitur imbellis, utut parvula ſit hæc beſtia, a tigridibus, a moloſſis, a mortalibus univerſis incredibiliter formidatur. Fœtor, cui par nullus, illi pro armis eſt. Pellis elegantiſſimæ deſiderio extra noxam qui capere eam voluerit, illius caudam demiſſo humum verſus capite, arripiat, neceſſe eſt; Hac enim ratione ſyringis peſtiferæ, quæ ſola timetur, uſum amittit ſuæ, pe-

ſtem-

ſtemque effundere haud poteſt. Pinguedinem renibus vulpeculæ inhærentem fœtoris ſeu cauſam, ſeu officinam eſſe, aliqui aſſerunt, quæ ſi tollatur, carnem quoque illius eſculentam fieri, nec ingrati eſſe ſaporis, narrant. Nemini profecto has epulas invidebo. Dominus Nerville Gallus, inſulæ Malvinæ, antequam a Gallis venderetur Hiſpanis, Gubernator eadem nobiscum navi in Europam rediens pallium e Zorrini pelliculis ab Indis Magallanicis ſcitiſſime conſutum attulit, quod, ne ſitu, neu a tineis labefieret, in ſupremo navis tabulato identidem expanſum ventis perflandum dedit, nil dubitans id veſtimenti Americani genus Lutetiæ admirationi futurum.

Plures de Zorrino ſcripſerunt, ſed ex aliena relatione plerique. Ego meâ, eheu! experientiâ. Illi ex auditu: Ego ex olfactu. Pudet, pigetque triſtem tragœdiæ meæ memoriam refricare. Ingenuum me eſſe planius ut intelligas, lector, ſcribam tamen. Dum ex portu Boniaeris, ubi appulimus, cum quinquaginta aliquot ſociis per immenſam planitiem centum quadraginta leucarum iter cordubam Tucumanorum usque fecimus, plauſtris, quæ a quatuor bobus trahuntur, vehebamur ſinguli ſingulis; Plauſtrum enim in illis ſolitudinibus & domûs, & lecti vices agit. Nam culcitræ incubantes diu, noctuque, pro temporis, viarum, cœlique ratione, progredimur. Illa plauſtri rudiſſimi exagitatio faſtidium creat, artusque fatigat omnes. Hinc ambulatio, equitatiove ſereno ſub veſperum cœlo pro quiete nobis fuit. Duobus cum ſociis Hiſpanis ambulans vulpeculam gradu placido imminentem conſpexi eminus. Heus vos, exclamo, quam elegans hoc, quam venuſtum animalculum! Colori nimium credidimus. Quanta ſub eleganti pelle peſtis lateret, nemo noſtrum

ſtrûm perſpexit. Ad capiendam beſtiam incitato greſſu certatim procurrimus. Iratis mihi ſuperis omnibus curſu Hiſpanos præverti. Verſipellis vulpecula propinquum me ſibi conſpicata, deditionem meditantis ſpecie, ſubſtitit, & veluti captivam ſe ſe mihi ultro offerebat. Blandimentis ignotæ mihi feræ diffidens illam arundineo baculo leniſſime contingo. Nec mora: Levato confeſtim crure ſtygiam in me exonerat peſtem. Maxillam ſiniſtram liberaliter permingit undique, curſuque citatiſſimo fugam victrix capit. Quod oculis pepercerit meis, id in beneficiis numerandum. Veluti Jovis ignibus ictus obſtupui, mihi ipſi repente intolerabilis; Fœtor enim teterrimus ex maxilla conſperſa in omnes corporis ſinus, veſtesque intimas, ac in ipſum adeo baculum diffudit ſe ſe; Is momento per campum longe, lateque propagatus, quid mihi acciderit, ſociis meis nunciavit. Omnes partim equites, partim pedites ſonantiſſimos inter cachinnos ad ſpectandum me feſtinabant. Verum me eminus olfacto, celeritate majori, quam venerant, longiſſime receſſerunt. Ceu Pontificio ictus anathemate vitabar ab omnibus, ipſo etiam tentorio, ſub quo mihi cum reliquis cænandum fuerat, interdictus. Ad plauſtrum igitur me recepi meum. Aurigam Hiſpanum (Quintero illi nomen erat) numquid ſiniſtri oleret? rogo. Olfactu, quatuor abhinc annis, orbatum ſe penitus, reſpondet. O factum bene! ajebam; Quod ſi enim auriga olfactu eſſet incolumi, plauſtro etiam meo fueram interdicendus. Veſtitu omni abjecto faciem iterum, iterumque, ac tertio ablui, refricui, terſi. Sed enim totum id æthiopem lavare fuit. Illa nocte a meo ſeparari corpore optabam equidem. Adeo enim exhalatio illa liquida fibras omnes penitiſſime occupavit, & maxillam præſertim ignis inſtar acerrime urebat.

Veſtes, quas abjeceram omnes omnino, etſi in plauſtri tecto ultra menſem ventis, imbribus, pulveribus, ſoli quotidie expoſitæ, fœtoris tenaces usque nulli porro erant uſui. Si mihi ſint linguæ centum, immani graveolentis beſtiæ odori explicando imparem me crediderim. Num lotium ſit, quod ſpargit, an alius quis humor, mihi incertum etiamnum. Illud indubitatum: Si Paracelſi, ſi Theophraſti, ſi chimicorum omnium ingenia, officinæ, fornaculæ conſpiraverint, fœtorem humanis naribus intolerabiliorem nulla unquam arte conficient, quam ſit ille, quem Zorrinus natura exhalat. Spiritum ex cornu cervi, & ſiquid aliud graveolentius, aroma, thus, opobalſamum, Caryophyllum, roſam fragrantiſſimam dicet, quisquis Zorrinum cominus olfecerit. Profecto gratulandum vel hoc nomine Europæ, quod ab America penitus diviſa putidiſſimam hanc beſtiam ignoret, diris omnibus devovendam. Primi, quod in Paraquaria a me ſuſceptum, itineris experimento jam cautior, hanc anxie quamvis vitaverim ſemper, parum tamen abfuit, quin patente in campo ſæpe pernoctans ab eadem iterum, iterumque mulctarer.

Biſcacha.

Beſtiam fœtidam ridicula ſequatur Biſcacha, Abiponibus Neheláterek, lepori propemodum ſimilis, vulpis inſtar caudata, maculis tum nigris, tum candidis inſignita. Ejus pili molliſſimi. Per campos editioribus fere in locis ſpecus tanto ſibi fodit artificio, ut imbribus nulla ex parte pateant. Hi in varia diſtinquuntur conclavia, cum plures eodem in loco familiæ ſoleant habitare. In terræ ſuperficie plures itidem ad ſpecum patent portæ. Ad has ſole occumbente turmatim conſident, ac, num quis adventanti-

um

um ſtrepitus usquam exaudiatur, auſculant diligenter. Quod ſi tranquilla omnia, nocte illuſtri pabulatum excurrunt, vicinisque agris ſtragem inferunt deplorandam. Nam tritico ſeu Europæo, ſeu Turcico magnopere inhiant. Alterutrum ſi præſto ſit, gramen faſtidiunt. Hinc in campis deſertis biſcacharum ſtativa vix deprehendas, quæ iter agens quamprimum detexeris, ab Hiſpanorum coloniis te parum abeſſe, nil dubita. Illud mirabar ſæpe, neque in Abiponum, neque in Quaraniorum, etſi omni frugum genere conſitis jam territoriis, Biſcacham uſpiam videri. Ad ſpecus ſui portas oſſa arida, lignorum ſegmenta, & quidquid quisquiliarum invenerint, congerunt quotidie. Sed quos demum in uſus ſibi reſervent talia, nemo unus vel conjectura aſſequatur. Illarum venatione tempus fallunt aliquando Hiſpani ruricolæ. In earum ſubterranea latibula aquæ cantharos effundunt plurimos. Ne ſubmergantur, in campum proſiliunt beſtiæ, & nulla effugii opportunitate ſibi relicta, ſtipitibus necantur. Illarum carnem, niſi admodum vetulæ ſint, ne Hiſpani quidem aſpernantur.

Lepus.

Lepores, qui ſola magnitudine ab Europæis differunt, in Paraquaria dari, ſed paucos inde arguo, quod unicum duntaxat ſpectârim, etſi peragrata toties provincia, ac inter Indos, qui nulli ferarum generi parcunt, plerumque verſatus. In Tucumania tamen, qua Peruvium reſpicit, lepores haud adeo raros eſſe, ex alio intellexi.

Cuniculi varii.

Cuniculorum ut ingens ubique eſt multitudo, ſic multa varietas. Hiſpani eos univerſim Conejos; Abipones Cañan majores, minores Névege vocant. Alii, ut noſtrates, verſicolores ſub terra degunt; Alii ſub dumetis, ac fruticibus ſe abdunt, leporibus minores, majores hujatibus cuniculis, ſpadicei, rectius caſtanei coloris. Iſtorum caro jucundiſſimi ſaporis nobiliores etiam menſas ornat. Ejus generis cuniculorum paria aliquot ex Hiſpania a quodam allata dicuntur. Hic per Paraquariam in Peruvium proficiſcens, dum utriusque ſexus cuniculos e cavea tantiſper protractos in campo meridians paſceret, fuga dilapſi ſunt aliquot. Numeroſiſſimos eorum poſteros in Tucumania, maxime in Jacobopolitano agro, etiamnum videmus. Cuniculi alii, qui Aperea dicuntur a Quaraniis, glire campeſtri vix grandiores, jam ſub agrorum ſepibus, jam ſubterraneis in cavernis latent, tritico perniciosiſſimi, quippe innumerabiles. Abipones, qui maxima ſæpe itinera nullo inſtructi viatico ſuſcipiunt, ſeu prandere dum volunt, ſeu cœnare, campos arido, altoque gramine fluctuantes incendere aſſolent, ferasque, quæ ſub illo latuere, ignis metu proſilientes mactant, aſſantque. Tigrides, damæ, cervi, ſtruthiones deſint, haud deerunt unquam cuniculorum agmina, quorum centum facile uni Chordæ inſertos, ut Cæpas in Germania, tali e venatione reportant. Olim, dum accelerato in hoſtes itinere venationi non erat locus, cuniculos aere ſiccatos Abiponibus pro viatico fuiſſe, Barreda Jacobopolitanorum dux veteranus mihi narravit.

Cer-

Cervus.

Paranæ, Paraquayique litora, eorumque fluminum inſulæ majores cervis, qui ab Europæis re nulla differunt, paſſim abundant. Alibi per Paraquariam vix unum videas. Abipones equis pernicibus procurrentes cervos etſi fugaciſſimos aſſequuntur, ac prehenſis manu cornibus cultro, vel haſta confodiunt; Eosdem, ubi per ſylvam equis inviam venatio ſuſcipitur, ſagittis craſſioribus configunt. Olim, dum ferrum neſciebant adhuc Barbari, cervini cornu cuſpidem ferrei mucronis loco haſtis præfixere ſuis, luculentiſſimorum vulnerum inſtrumentum. Me inter illos agente ſeniores quidam Abipones, egentioresque haſtilibus cornu cervino munitis utebantur adhuc, ac plus timebantur. Liquato equarum, quas eum in finem mactant frequenter, adipe cervinas ſubigunt, concinnantque pelles Hiſpani, variis uſibus futuras. Iidem ſibi perſuadent, minimum cervinæ pellis ſegmentum, quod circumferunt corpori ſuo adſtrictum, adverſus ſerpentum ictus validiſſimum eſſe præſidium, cum conſtet, cervos damasque cum ſerpentibus obviis paſſim digladiari. Mihi ſane pulveres cornu cervi in calcem redacti, quod morbis pluribus medeantur, ſemper in pretio fuere.

Damæ, dorcades.

Campum ingreſſus, quoquo convertas oculos, Damas, ſeu Dorcades ſpectabis, Europæis nil diſſimiles. Ab Abiponibus Heëgehàk, ab Hiſpanis venados dicuntur. Quæ campos inſident, caſtanei, ſed lucidoris ſunt coloris: Quæ ſylvas, obſcurioris, ſed utræque candidis punctulis diſtinctæ. Sylveſtres Quazubirà, Campeſtres Quazuty a Quaraniis vocantur.

Teneræ nullo negotio domi cicurantur. Damulam paucos ante dies natam, quam Indus mihi attulit, bubulo lacte nutrivi, meoque educavi in cubiculo. Adultior cum vaccis, quæ in domus aera mulgebantur, earumque vitulis vituli inftar in campum excurrit quotidie ad pafcua, fed pro arbitratu fuo ad meum rediit cubiculum. Id claufum dum reperit, pedibus portæ impactis, intempefta fæpius nocte, fe adeffe fignificavit. Me feu peditem, feu equitem canis ritu comitabatur. Concurrentem in fe canum turbam impavida afpexit, & pulfata pedibus humo etiam in fugam conjecit femper. Collare nolis æneis tinniens, quod illi appenderam, canes perterruit univerfos, fefellitque adeo, ut peregrinum id animal, fibique periculofum putârint. Carne, pane, radicibus, gramine vefcebatur equidem; Sed quodvis papyri folium dulciffimus illi bolus, & præ melle fuit. Philofophiam, quam magiftro, ut moris erat, dictante triennio olim fcripfi, totam fenfim devoravit, paginis aliquot de magnete, quæ ufui porro effent, mihi refervatis. Folia mufica, me abfente, dolenteque, e menfa clepfit, confumpfitque. Cum collare, quod multos ante menfes illi adhuc juveni aptaveram, jam ætate progrediente collum ejus nimis conftringeret, illud relaxare tentavi. Damula id mortis fibi inferendæ propofito fieri rata, meque hoftem jam fuum fufpicans fugam cepit, remotioribusque in campis per menfem, quin me revife, vagabatur. Ab Indis vifa eft identidem. Ad illam revocandam, mihique reconciliandam animum adjeci denique. Papyri folio, quod ei eminus oftentaveram, allecta, trepido quamvis pede, me adiit, & aliis, atque aliis papyri foliis per intervalla porrectis domum usque fecuta eft, immemor jam terroris, ac fimultatum in meo dein contubernio, dum vixit, fide-

fidelissime perseveravit. Sæpe cum mulis per semi horam luctans concurrentibus Indis visu, plausuque dignum spectaculum præbuit; Nam pedibus posterioribus insistens anterioribus muli caput feriit identidem, qui dum calcibus, morsibusque par pari referre conabatur, damula repetitis ultro Citroque saltibus minas, irasque ferocientis jumenti celeritate incredibili elusit. Toties, oppido plaudente, stupenteque victrix, cum mulo indomito in campo congressa, spina dorsi ejus calcibus confracta demum succubuit jam biennis, &, masculus enim erat, mediocriter cornutus. Quo luctu ejus interitum simus prosecuti, vix credideris. Librum musicum ejus pellicula vestitum retineo etiamnum. Memorabilior alia Damula fœmella in Quaranico Ss. Apostolorum oppido educata. Marito inhians in sylvas excurrit, incolis ejus jacturam deplorantibus. Post mensium aliquot absentiam cum damula, quam interea peperit, sua redux hero se cum fœnore reddidit suo. Qui naturæ instinctum, feræque eximiam fidelitatem non suspiceret, nemo omnium fuit.

Ykiparà.

Subterraneis in cubilibus latitans Ykiparà, talparum e genere, strepitum ciet horrendum. Tympanum ingens eminus pulsari, jurares. Ab advenis, rei ignaris, vix citra terrorem exauditur. Animalculi figuram haud describo, cum id nunquam viderim; licet audiverim perfrequenter. Illius vocem concavis terræ angulis, anfractibusque illisam grandescere, opinor.

Simiorum genera.

Simiorum, qui ſeptentrionalem Paraquariam implent, nomina, formas, habilitates ſingillatim ſi expoſuero, juſtus de hoc argumento exibit liber. Memorabo præcipua. Simius quiscunque ab Hiſpanis Mono, ab Abiponibus Nichikatrana appellatur. Quaranii ſimiis diverſis diverſa nomina indidere. Caraya dicti cæteris numeroſiores ſunt, ſed & viliores. Villis horrent fuſcis, triſtitiam ſpirant, ſemper queruli, ſemper moroſi, & mordaces. Diu, noctuque cum ejulent, qui eos domi cicurare vellet, nemo eſt. Turmatim arbores inſident, percurſantque pabuli gratia. Pertinacior eorum ululatus imbres, procellasve præſagit, & plauſtrorum, quorum rotæ dudum unctæ non fuere, ſtridorem refert, atque ad plures leucas, cum multæ ſimul centuriæ ululent, exauditur. Corpore ſunt mediocri.

Càyí.

Simioli, qui Càyí nominantur, jam adulti vix ſpithamam longitudine æquant, feſtivi, hilares, & ſi a teneris manſueſcant, mirum in modum dociles. Libertas tamen per cubiculum vagandi raro illis concedi poteſt; Nam, cum deguſtare, contrectareque velint omnia, atramentarium, vaſcula ſus, deque vertere, liquores quosvis effundere, diſcerpere libros, quidquid vitreum frangere ſolent. In pixides, lampades, cantharos digitos immergunt ſuos, olfaciunt, menſam, veſtes commaculant. Si quid eſcæ obvium, clepunt. Idcirco longiori, ſed tenui loro, hac illac diſcurrere ut queant, ligantur. Simiolus ejusmodi in ſancti Joachimi oppido nobis erat, qui ab equitatione reducibus calcarium fibulas promptiſſime ſol-

ſolvit. Alios vidi, qui cani inſidentes iter faciunt, hominemque imitantes mimorum inſtar mira, ridiculaque nôrunt patrare. Nil mirum adeo, id genus ſimiorum non Indis modo, ſed & Europæis in deliciis eſſe paſſim, magnisque ſumptibus non nunquam comparari. Batatæ, quas terræ poma vocant Germani, eſca illis & quotidiana, & ſaluberrima, quamvis etiam carne, pane, & quibusvis e farina cibis veſcantur. Sed, ne nimia illis portio objiciatur, magnopere cavendum; Adeo enim ſtomachum referciunt ſuum, ut rumpantur. In ſylva tenelli adhuc matrum ſuarum, quarum collo manus implicant infantium more, dorſo bajulantur, perque arborum ramos, ubi eſcæ ſpes, usque circumferuntur. Indus igitur, ſimiolum vivum ſibi qui quærit, ſagitta ejus matrem enecat, a qua, licet jam exanimi, filiolus nunquam citra ejulatum ſe ſe patitur avelli. Audi majora, & quæ ſupra fidem videantur. Quatriduum aliquando ſylvis immorantur Quaranii, ferarum venatione occupati. Cum ſimiorum multitudinem telis configant, horum alios mox in itinere conſumunt, alios, ne cœli æſtu putreſcant, mox aſſos ad oppidum deportant, domi ſubinde edendos. Simioli, qui ad oblectamentum vivi ſervantur, matres aſſas jam, & carbone nigriores agnoſcunt ſuas, earumque humeris tenaciſſime adhæreſcunt, quin eorum fuga ſit metuenda. Prolium in parentes amorem quis non ſuſpiciat in ſimiis? qui alias hominum imitatores hac certe in re ſunt magiſtri.

Barbudos.

Hiſpani Paraquarienſes, qui Caà arborum folia calidæ potioni miſcenda in denſis ad ſeptentriones nemoribus conquirunt, ſimios prægrandes, triſtiſſi-



mos, & inſigniter barbatos deprehendunt ſæpe, quibus a Barba nomen, quod prudens reticeo, ridiculum indiderunt. Hi latebras amant equidem, hominum, lucisque fugitantes, ob arma tamen ſua nemini non metuendi. Nam in obvium quemque ſimum ſuum, qui illis ſemper in promptu, fœtidiſſimum, ceu globos, manu ejaculantur. Verum quantuscunque hinc fœtor cum Zorrini peſte comparatus roſa, ac crocus putatur. De talibus ſimiis vel capiendis, vel cicurandis nemo unus hactenus cogitavit.

Caruguà.

In abſtruſioribus ſylvarum latebris errant ſimii, quos Quaranii Caruguà, Hiſpani diablos del monte dæmones ſylveſtres appellant; Prope jam in eo eram, ut illos Faunos, ſatyrosque dicerem, ſi cornibus, caprinisque pedibus, ut poetis, pictoribusque fingere lubuit, præditi eſſent. Hirſuti ſunt equidem, & ſimiis plerisque proceriores. Poſterioribus fere pedibus inſiſtunt ambulantes. Eorum veſtigia adoleſcentis quatuordecim annos nati greſſus exprimunt. Solitudinem amant, neque homini inſidiantur; ſi quem tamen in ſylvarum anguſtiis ſibi propinquum cernant repente, miſerrime dilacerant. Quaranium a Carugua graviſſime ſauciatum in nova S. Stanislai colonia occubuiſſe, ſcio. Ejusdem coloniæ Indus ſimium ejusmodi remotiſſima in ſylva trucidavit. Moleſtiam longi itineris cœlo ardente ſibi intolerabilem metuens cadaver iſtic reliquit, horrendos tamen illius ungues, & quovis pugione formidabiliores reſecuit, & Patri Petro Paulo Daneſi Romano, oppidi tum curatori exhibuit, qui per cætera dein Quaraniorum oppida circumferebantur, ut cæteri quique eorum ſpectatores ex ungue leonem conjecta.

jectarent, terrificaque Garuguæ arma nôſſe diſcerent, ac timere, quoties ſalebroſiora nemora fuerint peragranda. Parum profecto abfuit, quin ferocis belluæ præda fierem. In ſylvis Mbaevera noctem agens, Indis ſociis, Hiſpanoque comite Paſchali Villalba rhonchos imo e pectore trahentibus, ſtrepitum ex fractis arborum ramis ſimul, ſimul cantiunculam voci humanæ affinem percepi aliquamdiu, & quid demum rei eſſet, anxius cogitavi. Cum ſtationi meæ, ab Indorum foco remotiſſimæ, & vox, & ſtrepitus magis, magisque immineret, periculum ſuſpicatus exclamavi; Quæ avis, quæ fera has voces, hos ſtrepitus ederet, ex Indis clamore meo tandem expergefactis, quæro. Hi aſcultantes tantiſper, Caruguam, diabolum ſylveſtrem propinquare, una omnes voce cum Hiſpano reſpondent. Haſtis, titionibusque armati confeſtim accurrunt complures. Illorum propinquitate territa beſtia acceleratis receſſit paſſibus. Ego periculo ſolutus reſpiravi.

Quatì.

Quatì animal hybridum e genere mihi eſſe videtur. Nam proboſcide nefrendulum, vulpeculam capite, cæteris ſimium mediocrem exprimit, coloris lutei, caudæ, quæ toto ejus corpore longior, per annulos veluti diviſæ, & verſicoloris. Simiorum ritu arborum ramos, quarum fructibus veſcitur, percurſat, quamvis numeroſum eorum gregem humi ſaltitantem deprehenderimus aliquando. Adultiores licet paucos intra dies ab Indis mire cicurantur, ſed Gallinis, earumque ovis, quæ appetunt, ſemper infeſti.

Ay.

Simiorum agmen claudat, etsi ab eorum agilitate alienissima bestia, quae ob innatam sibi ignaviam, & tarditatem a Quaraniis Aý, ab Hispanis la Pereza, seu pigritia, & per ironiam El Perico ligero, catulus velox appellatur. Magnitudine vulpeculam hujatem æquat. Capite est minuto, ore angusto, naso glabro, oculis nigris exilibus, longioribus cinerei coloris villis, qui per collum jubarum instar magis panduntur, fusca per medium tergus linea, unguibus in quovis pede prolixis, ac deorsum inflexis, rictu hiante, cauda obtusa, dentibus imbecillis, auriculis nullis, quidquid demum consideres, forma absurda, tetricaque. Arborum in culminibus degit, earumque foliis victitat, aliquando & formicis minoribus. In pedes assurgit nunquam, nunquam bibere videtur, solo fors rore contenta. Testudine quavis lentior motum levissimum adeo reformidat, ut vel scandens arborem, vel ex illa descendens unum facile diem rependo consumat. Vel quatuor ingruentis pluviæ guttulas, mirum, quantum perhorrescit. I literam gementis instar pronunciat identidem, æterni cæterum silentii, quietisque tenacissima. Ejus corium a firmitate celebratur; Caro ipsis quoque, quod quidem sciam, Indis nauseam movet. E quibus palam fit, segnissimam hanc bestiam a simiorum ingenio longissime abesse; Hi siquidem quietem vel brevissimam pertæsi cursitando, saltando, ludendo diem omnem absumunt. Verum quotidiana a perpetuis motibus lassitudine emaciantur adeo, ut vix ossibus hæreant. Indi tamen, dum iter faciunt, assis simiorum carnibus mire oblectantur. Risi effuse, dum illorum quispiam ad simium, quem me spectante ex summo celsissimæ arboris fastigio sagitta

ſtravit, aſſum viæ comites ſat multos invitaverat; Vix enim ſingulis ſingula officula credam obtigiſſe. Sed nempe viatico liberali, quod acceperant, intempeſtiva voracitate abſumpto, oſſa rodere, quam eſurire maluerunt. Simiorum caro per varias Americæ provincias Indorum præcipuum eſt, ac nobile alimentum, quorum plurimi cum humanis carnibus veſci conſueverint olim, haud miror ſuaviſſimum illis videri cibum carnes ſimiorum, quippe qui figurâ ad humani corporis ſimilitudinem plus accedant. Quid, quod & fandi copiam eſſe ſimiis, Americanorum ſtupidiores quidam putârunt, affirmâruntque ſimios, ne ad labores quoque adſtringerentur ab Hiſpanis, ſi loquerentur, mutos ſe propterea ſimulare, & ne mutire quidem, quamvis jam riſu, jam ululatu non abſtineant. Quoties glande plumbea ſimius vulneratur, vulneri mox manum apprimit ſuam, veluti, ne vitam cum ſanguine profunderet, purpureamque vomeret animam, impediturus. Exanimato jam, rigido, frigidoque corpore eadem manus vulneri manet applicata. Noxios admodum, ac periculoſos eſſe ſimiorum dentes, experientia didici; Meus equidem ſocius a furente ſimia morſus eriſypelate a brachio ad caput ipſum progrediente correptus eſt, quod ut tumorem, ardoremque immanem, ſic cruciatus acerbiſſimos ac propemodum lethales adduxit. Europæis in urbibus ſimios non paucos ſpectavi, quos ne de nomine quidem novi, ac univerſa mecum Paraquaria etiamnum ignorat. Variis enimvero in provinciis ingens ſimiorum varietas, varia quoque illorum nomina pro linquarum diverſitate. Ulyſſipone in pluribus mercatorum tabernis ſimii diverſiſſimi ex America, Aſia, Africa, earumque inſulis allati palam venales proſtant quales nusquam vidi in Paraquaria. Idem de Pſittacis ſentiendum.

Armadillo, ſeu Tatù.

Beſtiolam quadrupedem, teſtudine vulgari vix majorem, oculis mirabilem, ſed palato gratiſſimam Hiſpani Armadillo, Quaranii Tatù vocant. Squamis corneis, nigro, alboque colore per intervalla eleganter variato undique loricata eſt. Porcelli caput, quod ambulans detegit, periculo ingruente ſub lorica abdit penitus, ac teſtudinum ritu cuſtodit. Longius illi collum, Lorica hinc, atque illinc, maxime ſub ventre, candidis pilis hirſuta. Pedes teſtudinei, quinque digitis inæqualibus, acutiſſimis unguibus armati, quibus jam, ubi lateat, ſcrobes ſibi ſub terra fodit, jam terræ ſuperficiei ſe ſe affigit adeo valide, ut vel a robuſtiſſimo inde avelli vix queat. Cauda illi prælonga, pariter cataphracta, ex qua præfixa illi arundine lituos ſibi militares effingunt Abipones. Auriculæ & pilis, & ſquamis carent. Duabus prope cervicem juncturis inſtruitur, flectere hac illac collum ut poſſit. Celeritate ad currendum egregia valet. Canum, hominumque inſectantium inſidias declinatura per ambages procurrit. Herbis, radicibusque alitur. Potat liberaliter, inſigniterque pingueſcit. Canum odoratu ejus ſubterranea latibula deteguntur. Non ova, ut teſtudines, ſed fœtus vivos complures eodem partu edit. Embriones jam lorica, ſed tenerrima tectos vidi ſæpe, dum in itineribus matres gravidæ, antequam a militibus aſſarentur, diſſectæ fuerunt. Aſt noveris, triplicis generis armadillos in Paraquaria reperiri, qui figura, mole, nomineque differunt. Ad primum genus pertinent armadilli duas facile ſpithamas longi, & nefrende grandiores. Unguibus pollent prolixioribus, pilisque horrent fuſcis alii, alii rufis. Hinc Kirikincho peludo, armadillus hirſutus a plebe Hiſpanica, a Quaraniis

raniis Tatùpoyù, ab Abiponibus Yaúk Laip vocantur. Ruforum lorica ſemiuſta, redactaque in pulveres ſauciis, vel pilo nudatis equorum tergis, ſi iis inſpergatur, mirifice medetur. Grandiores hi armadilli equorum, mulorumque cadaveribus per campos cum veſcantur, illorum caro a plerisque cum nauſea rejicitur, deſpiciturque. Ampliſſimis tamen iſtorum conchis, ſeu loricis plebeji paſſim pro patinis, lancibusque in culina uti conſueverunt. Secundi generis Armadilli prioribus multo exiliores cadaveribus abſtinent omnino, carnemque miniſtrant & pinguem, & gratiſſimi ſaporis. Ab Hiſpanis hæc ſpecies Mulita, deſumpto a mulis parvulis nomine, ab Abiponibus Katoiřaik appellatur. Alii denique omnium minutiſſimi erinacei more in globum ſe convolvunt, quoties lubuerit. Tanta porro eſt loricæ globoſæ firmitas, ut nec a plauſtro onuſto conteri, neque ullis aperiri viribus poſſit, niſi aquam illi cum impetu affuderis. Madefacti ultro patefaciunt ſe ſe. Ab Hiſpanis Bolita, globulus, ab Abiponibus Kaitavalk dicuntur. Iſtorum caro candidiſſima, plena optimi ſucci, & quam vel Europæus quisque Gallo caponi, phaſiano, pulloque jure præferendam exiſtimavit. Adipi, quo abundant, etiam in penu medica locus debetur. Loricatis his beſtiis paſſim ſcatent campi Paraquarienſes. Mihi certe Hiſpanis cum equitibus per illas ſolitudines commeanti ſæpe prandium, ſæpe cænam præbuere.

Hactenus de feris quadrupedibus, Paraquariæ indigenis. De equis, mulis, aſinis, bobus, ovibusque alibi actum. Elephantes, Rhinocerotes, Cameli, Pantheræ, Hyænæ, Rangiferi, Linces, Meles, Urſi, lupique vulgares peregrina Paraquariis nomina. Ad amphibia igitur tranſeamus.

Cro-

Crocodilus, ſeu Cayman.

Amphibiorum, quæ ancipites beſtiæ a Cicerone vocantur, agmen ducat Crocodilus & Greſſus lentitudine tardior cæteris, & corporis amplitudine ſpectabilior. Ab Abiponibus olim Peéuè, nunc Kaéperhak a Quaraniis jacare, ab Æthiopibus Conganis Cayman, ab Hiſpanis Cocodrilo, vel Lagarto dicitur; Namque ex ovo recens excluſus Lacertulam refert, qualem Europæis in hortis crebro ſpectamus, vix ſemi ſpithama longiorem. Annis progredientibus in immanem molem ſenſim accreſcit. Decem pedes longi Crocodili per Americam paſſim ſpectantur. Ælianus in hiſtoria animalium libro 17. capite 6. ſex, & viginti cubitorum longitudinem illis tribuit, alii multo majorem Plinius equidem libro 8. capite 25 affirmat: *Nullum certe animal ex minori origine in majorem creſcit magnitudinem.* Neque id mirum; Nam juxta opinionem vulgo receptam crocodili tamdiu creſcunt, quamdiu vivunt. Cum igitur vivaciſſimi ſint, & Æliano teſte ſexageſimum ſæpe annum vel attingant, vel ſuperent, facilis eſt de inſigni eorum incremento conjectura. Ætatem porro Crocodilorum nôſſe poterant illi Aſiæ populi, qui eos vel in ſtagnis ad venerationem, vel in murorum foſſis ad urbium ſuarum cuſtodiam collocatos religioſa ſolicitudine educarunt, curaruntque, & quocunque lethi genere exſtinctis Crocodilis juvenes ſubſtituerunt. Lacubus, fluviisque pluribus biennali ſiccitate arefactis in Paraquaria præter alias beſtias aquatiles Crocodilos plurimos per campum errantes deprehendimus, & cum nusquam aquæ copia iis ſuppeteret, ſiti necatos. Terribiles viſu formæ, & inſolentiſſimæ, quæ credi vix queat, longitudinis monſtra oculis noſtris quotidie obverſabantur. Ad extremam ſenectu-

tem Crocodilos plerosque pertingere ſingulari naturæ beneficio, opinor, à qua iis muniti ſunt præſidiis, ut perarduum ſit illos enecare. En rudem Crocodili imaginem! Caput vaſtum, compreſſumque. Os latiſſime hians, dentibus in utraque maxilla acutiſſimis, ſed inæqualibus armatum, oculis ingentibus, rotundis, cæſiis, pupilla nigricante, torvo obtutu minitabundum ex undis prominet. Lingua deſtituitur. Hanc membranula ſupplet, ſed motus impos. Pedes quatuor digitis, unquibusque avium inſtar inſtructos jam lentæ per litora ambulationi, jam natatui impendit. Corpus trunci inſtar vaſtum in prælongam caudam mucroni ſimilem deſinit, cujus extremitati in ſuperiori parte globulus niger, undique clauſus incumbit, foeminei ſexus diſcrimen, ut quidem mei me docuere Abipones rerum naturalium tam gnari, quam ignari cæterarum. Hoc globulo mares carent. Pellis aſpera, ſquamis, quæ pro clypeo ſunt, duriſſimis, veluti conchyliis colore nigro, flavoque eleganter variatis picta loricam ſupplet, quæ caput maxime, tergus, ac caudam telis quibusvis impenetrabilia reddit. Venter, latera, pedesque pari elegantia picti ſquamis blandioribus ornantur potius, quam armantur. Figuræ hinc circulares, inde parallelogrammæ partim flavo, partim fuſco colore per intervalla diſtinctæ in ſuperficie pellis concharum more, veluti appendices, eminent, ut verrucæ humana in cute ſolent. Cauda annulis nigricantibus, & pinnula denticulata, qua natatio promovetur, conſtat. Cutis, quæ collum ambit, mollior eſt, & vulneri accipiendo opportuniſſima. Tigridem aſſilientem cauda feriunt crocodili, trucidantque; Trucidantur ipſi, ſi eorum collum vel alvus, loca ſcilicet corio imbecilliori tecta, ſeu cornibus, ſeu unguibus ferarum, plumbea glande haſta, ſa-

gittave petantur. Graviter ſauciati licet nando fugam capiunt, quos tamen Indi natantes aſſequuntur fere, & ad ripam perducunt. Auſtro acriori aſpirante gelidis ſtagnorum aquis noctu immerſi frigore torpeſcunt Crocodili. Orto demum ſole calore recreandi in aprico litore ſtipitis inſtar procumbunt, & ſenſus, rigidis quippe artubus, vix compotes citra periculum, nulloque negotio ab Abiponibus haſta conſiguntur. Abjectis eorum corporibus dentes duntaxat, & ſpinæ dorſi oſſicula aſportant, quæ cum calybis more duriſſima, ſubularum inſtar acuta ſint, & elaſtica, ad artus ſuos, dum compotant, oſtentationis gratia compungendos adhibere ſolent, de quo more alibi plura dicemus. Dentes Crocodili, quos ad ſerpentum ictus ſeu curandos, ſeu impediendos plurimum conferre putant Americani, vel ſuis ipſi brachiis illigata circumferunt, vel, ſi occaſio ferat, Hiſpanis vendunt. Caro Crocodili tenera eſt, adeoque candida, ut a Carne Huſonis, quem nobiliſſimum, & ex fluviatilibus maximum piſcem Danubius, Tibiscùsque in Hungaria producunt, ægerrime diſcernatur. Crocodilus Ægyptiis quondam Deus, Americanis, & Afris cibus eſt; Ab illis adorabatur, ab his voratur. Illius certe carnibus permultæ nationes Americanæ, præſertim quæ inſulas fluvii orinoci, aliasque inſident, victitare dicuntur. In Paraquaria tamen præter Barbaros Payaquas, fluminum accolas, vix ulla, quod ſciam, natio Crocodilis veſcitur, quod ea provincia ut pecoribus, & feris, ſic terræ, arborumque frugibus abundat. Enimvero neminem fore Europæorum exiſtimo, qui Crocodili carnes non appeteret, niſi moſchum redolerent, quem tum in faucibus, tum in teſticulis ea beſtia circumfert. Particulam glandulæ, cui moſchus is inhæret, tela aurea, vel ſericea clauſam in ſacra alt-

ris

ris maximi arcula, ubi Euchariſtia ſervatur, ſuſpendere ſolent providi ſacerdotes ad arcendos eo odore vermiculos, qui ſub Cœlo tam humido, & æſtuante in ſacris hoſtiis alias procreantur. Germani veteres præſentiſſimum hoc ad vermiculorum generationem impediendam remedium videntur haud ignoraſſe. Arcas vetuſtiſſimas moſchum redolentes, ac vel ideo a carie intactas, & poſt ſecula incolumes in Auſtria paſſim videmus. Haud abs re Athanaſius Kircherus, aliique phyſici odoris vehementis ope pulices, cimices, culices, aliaque id genus inſecta arceri, fugarique, docuerunt. Mire probavi, quod Crocodilus, tabernæ cujusdam aromatariæ vetus inſigne a Vindobonenſibus Vermis odorus (*der ſchmeckende Wurm*) lingua patria etiamnum appelletur.

Crocodilos veneno ſcatere dum audis, vetularum commentis id accenſeas, velim; Nam, quod certiſſimum, impune comeduntur ab Indis, ab Europæis quoque, ſi moſcho carerent, omnibus avidiſſime comedendi. Dentes Crocodili alveolis ſuis altiſſime immerſi, circa radicem concavi, ſed, ubi in acumen deſinunt, ſolidiſſimi ſunt, & cuivis rei duriſſimæ diſcerpendæ pares. Illud terribile, quod, quidquid dentibus arripuerit hæc fera, nunquam dimittat. In novo regno Granatenſi, ſi quando Crocodilus Indi natantis brachium apprehendit faucibus, illud ad reliquum corpus ſervandum reſecant confeſtim, qui periclitanti ſuppetias venerint, cum aliud vitæ remedium haud ſupereſſe videatur. Hiſpani ruricolæ linum, Goſſipiumve ſemiuſtum, quod igni è ſilice eliciendo fomitem ſubjiciunt, vituli cornu ſcitè elaborato clauſum in itineribus circumferre ſolent. Hujusmodi pixidis loco Hiſpanus quidam, quem noveram, Peruvianus Crocodili dentem virili

pollice craſſiorem, adhibuit. Ex hoc dentis molem, &, ut ex ungue Leonem, ex dente Crocodilorum quorundam magnitudinem tute conjectabis. Jam eorum geneſim accipe. Foemellæ diebus prope continuis triginta aliquot ova, figuræ cylindricæ, ovis anſerinis nil minora, pariunt, è quibus, ſub arena defoſſis, ſolisque æſtu calefactis, ſoboles, lacertulis hiatibus par demum excluditur. Crocodili cum curtis ſint pedibus, vaſtoque abdomine ſolum verrant, ova quam plurima ambulando conterunt. Quod quidem ni providi Numinis cura fieret, dudum jam in America nec piſcibus, nec beſtiis cæteris locus eſſet ſuper. Ova Crocodili generis ab Indis quibusdam non comedi ſolum, ſed & appeti, nil miror. Num moſchum quoque oleant, ignoro; nunquam enim mihi lubuit vel extimis labris ea deguſtare. In conceptionis oppido Crocodili duo, maſculus, & foemella, recens in lucem editi ab Abipone oblati fuere ſocio meo, quo ſuaſore illos educandi curam ſuſcepi. Primo mox die maſculus meo evanuit ex cubiculo. Quæſitus diu nusquam repertus eſt. Poſt octiduum ultro ad ſororem rediit ſuam. Ne fugæ locus illis porro ſupereſſet, utrumque in mortario ligneo, quo ad triticum Turcicum molendum utebamur alias, ſatis alto, amploque clauſi. Aquam recentem illis identidem affudi. Limum, piſciculos, carnis particulas minutiſſimas, quibus alerentur, injeci. Hæc illorum habitatio, hic victus ſeptimum in menſem fuit. Interdum aqua exemptis ambulationem in domus area indulſi. Volupe erat Abiponibus parvulos jam in ceſpite luſitantes, jam hianti rictu, elatoque in altum corpore rixantes ſpectare. Canis mihi erat juvenis, &, ut illa fert ætas, nugaciſſimus. Latrando in Crocodilos imprudens irruit; Sed horum alter canis nares dentibus jam tum acu-

tiſſi-

tiſſimis apprehendit. A Crocodilo è naribus monilis inſtar pendente cruciatus forum omne ejulans percurrit. Moleſta appendice liberare ſe nullo modo cum poſſet, ad me demum redux opem imploravit meam, dum denique a circumſtantium, cachinnantiumque Abiponum manibus pertinax Crocodilus ejus e naribus eſt avulſus. Doloris præteriti memor, quoties Crocodilum eminus conſpexerat, fugam præcipitavit. Acerrimo pollere auditu has beſtias ex eo patuit, quod tenuiſſimum, qui aures humanas fugeret, ſtrepitum, tonitru ex nube, quæ infra horrizontem adhuc, remotiſſimum noctu perceperint, repetitoque murmure ù ù ù ù dormienti mihi ſignifiearint. Septem menſes nati, vix juſtam ſpithamam longi, frigore enecti ſunt, dum illos cum Hiſpanis militibus ad mutandam Coloniam unius, & viginti dierum iter faciens lebeti æneo incluſos transportabam. Acrior pruina, hyberno ſcilicet tempore, hos meos alumnos confecit. Libertate nativa, propriisque ſibi alimentis gaviſi ſi fuiſſent, tot intra menſes plus incrementi eos fuiſſe habituros, extra dubium eſt mihi.

De Crocodilorum in homines ſævitia, multi multa ſcripſerunt. Nemini repugno. Injurius tamen ſim Crocodilis Paraquarienſibus, de iis ſi conquerar. Viginti duobus, quos in ea provincia egi, annis ne unum quidem mortalium a Crocodilo aut cæſum fuiſſe, aut læſum, intellexi. Abipones plerique omnes, viri, foeminæ, pueri, puellæ, in diverſis tamen pro ſexus diſcrimine ſtationibus, ardente poſt meridiem ſole, in rivis, ſtagnis, fluviis, lacubus, Crocodilorum ſtativis natando, lavandoque ſe ſe refrigerant quotidie. Nemo unus quidquam injuriæ a circumfluentibus crocodilis accipit, nemo

periculum ſuſpicatur. Enim vero natantium Indorum ſtrepitu conterriti in fugam convertuntur, nigricantes maxime; Ruſi equidem audentiores putantur ab Abiponibus, periculoſioresque. Verum Crocodilos, cujuscunque demum coloris, ut natantes natantibus, ſic per campun ambulantes ambulantibus quibusvis prorſus innoxios ſum expertus. Sæpe jam pelle bubula, jam cymba humili fluvios transmittens Crocodilos arrectis capitibus, ſcintillantibus oculis, diducto rictu mihi proxime adnatantes vidi, ſed ſemper innocentes ſerenus aſpexi. In oppido Roſarii vix ſclopi ictum a meis aberat ædibus ſtagnum ingens crocodilis refertiſſimum. S. Ferdinandi oppidum lacunis grandioribus cingebatur undique. Sole occumbente auram recentem captavimus perſæpe, qua quidem in deambulatione crocodilos omnis generis, ac ætatis obvios fere habuimus, nobisque ad ſex, ſeptem paſſus vicinos, quin tamen ab illis ex lacu altero ad alterum commeantibus offenderemur unquam, etſi inermes, ſed vel ideo tutiores; Illos eqnidem a crocodilis potiſſimum offendi exiſtimo, a quibus hi fuerint offenſi. Parcunt ſibi parcentibus. Nil miror, in Quitenſis, Novique Regni territoriis,[a] in quibusdam Aſiæ, Africæque tractibus Crocodilos atrociter in homines ſævire, cum ab indigenis, qui crocodili carnes quotidianis in cibis numerant, quotidie exagitentur, efferentur, capiantur, mactenturque. Nam & muſcis, ſi vexentur, ſua bilis ineſt.

Paraquarii e contrario, cum carne vel bubula, vel ferina, vel utraque abundent, nec inſectari adeo crocodilos, nec vorare ſolent, & vel ideo a crocodilis nunquam devorantur. Par pari referre, cædes cædibus penſare id beſtiarum genus videri poſſet. Qui in Plinii, Ariſtotelis, & neſcio, quorum præterea hiſtoricorum

ver-

verba juraverit, mihi talia referenti vix fidem adhibebit; Crocodilos promiſcue omnes ubique terrarum humani cruoris ſitientiſſimos, funerum authores, conſumpta præda lacrymis diffluentes, virus lethale fibris omnibus ſpirantes perperam judicabit. Re diligentius penſata Crocodilos, qui in Aſia, Africaque naſcuntur, nihil admodum figura a Paraquarienſibus diſtinqui reor. Nil tamen vetat credere: Illos præ his ferociores eſſe, vel callidiores; Nam pro provinciarum varietate varium eſſe eorundem animalium ingenium experimur in tigridibus, leonibusque: Hi in Paraquaria nemini formidabiles, in Africa formidabiliſſimi. Africanæ tigrides a Paraquarienſibus & corporis amplitudine, & nocendi artibus, ut alias expoſui, longiſſime ſuperantur. Idem aliis belluarum, imo & plantarum generibus uſuvenire, compertum nobis, exploratumque. Diverſæ etiam gentes diverſis Crocodilos venandi, necandique artificiis utuntur. Aliæ lintribus flumen percurrunt, ac lignum, cui caro, vel piſcis affixus, funi longo alligatum aquis injiciunt. Crocodili lignum una cum carne deglutiunt, ſed cum in faucibus tranſverſum evomere nequeant, illo fune ad ripam trahuntur, mox obtruncandi. Aliæ trabem longam aculeatam Crocodili propinquantis faucibus alte immergunt, vitamque adimunt impune. Abipones haſta potiſſimum configunt Crocodilos, quos frigore rigidos, ac in litore apricantes mane fortuito deprehendunt. Sagitta, ut ut firmiſſima, ni Crocodili collum pelle tenuiori tectum attingat, anceps ſemper, ac debile necis eſt inſtrumentum. Idem de globis plumbeis affirmo. Quam imoxii hominibus Crocodili in Paraquaria, tam exitiales ſunt piſcibus, qui vel illorum dentibus conſumuntur, vel præſentia fugantur. Ad rem tamen medicam multum conferunt. Vulnera a Cro-

codilo inflicta illito ejus adipe feliciter curantur. Illius omasum (Pinguius crassiusque intestinum) siccatum, redactumque in pulveres calculi doloribus medetur. Lapilli, silici vulgari similes, in Crocodili stomacho reperti adversus febres quartanas præstans esse remedium dicuntur; Contra calculum in renibus pariter, si in pulvere contriti bibantur. Dentibus Crocodili morsus venenatos anguium seu impediri, seu sanari, dixi alias, plura de hujus remedii usu loco suo dicturus. Hæc postquam scripsissem, venit mihi in mentem, Petri Maffeji nostri de rebus Indiarum, quæ solem orientem respiciunt propius, clarissimi scriptoris sententiam de Crocodilis explorare. In vasto ejus opere unica de hoc argumento fit mentio libro secundo, capite quinto & trigesimo: *Stagna quoque* (de cananore loquitur) *passim occurrunt ingentia, grandibus plena lacertis ad Crodili effigiem: Ii tergoris duritie, conchyliorum instar impenetrabili, enormi capite, duplici dentium serie, horrendo prorsus hiatu in hominem furenter invadunt. Eorum halitus oris est svavissimus.* Hactenus ille. Quibus sane verbis Crocodilum talem pinxit, qualem ipsus in America vidi semper, qualem in Africa quoque esse asserunt cæteri scriptores. Neque ex illis verbis: *Stagna plena lacertis ad Crocodili effigiem*, lacertos illos a Crocodilis distinqui, arguas. Utroque enim vocabulo idem animal significant & Hispani, & Lusitani sic tamen, ut non quivis lacertus (dantur enim in campo vulgares nostratibus similes) sit Crocodilus; Sed quivis Crocodilus simul lacertus (lagarto Hispanice) simul Cayman, vel Cocodrilo appelletur ab illis, vocabulo latino non nihil corrupto, ut vulgus pro Cathedral yglesia Catredàl, protigre trige, pro pobre probe dicere consvevit literis per metathesim transpositis, qnod & latinis solenne. Rectius tamen, clariusque Crocodilum lacerti effigi-

em

em dixiſſet Maffejus, quia Crocodilum Europæis ignotum per lacerti nobis notiſſimi ſimilitudinem explicuiſſet. Si in Aſia, Africa, aliisque Americæ territoriis Crocodili *in hominem furenter in vadunt*, cur idem non faciant in Paaraquaria, diſcriminis cauſas ſuperius expoſui. Non furunt ſcilicet Crocodili in Paraquarienſes, quia rarius ab illis laceſſuntur. Ex *halitu oris ſuaviſſimo* confirmatum vides, quod affirmavi: Crocodilorum corpus, quantum eſt, fauces maxime, ac teſticnlos moſchi odore imbui perquam vehementi. Plura alia, quæ de Crocodilis ſeu ſcripta, ſeu ficta apud alios inveneris, ſeu brevitatis, ſeu veritatis ſtudio tacenda putavi. Si de hoc amphibiorum principe Crocodilo prolixior ſui, veniam dabis, lector; Nam de aliis ignobilioribus brevis eſſe, laborabo.

Aguarà canis aquatilis.

In lacubus, amnibusque canis aquatilis, Aguarà a Quaraniis dictus, habitat, in campis litoralibus à me ſæpius conſpectus. Magnitudine moloſſo majori par timet omnia, vel eminus conſpecto homine fugaciſſimus, nemini unquam pertimeſcendus. Auribus aſinum, capite canem exprimit. Dentibus validis, ac acutiſſimis abundat. Noctibus rugitus edit ſonantiſſimos, & feris minoribus inſidiatur. Ab Hiſpanis el Zorro grande vulpes major dicitur. Abipones illum venantur pellis ſolius gratia, quæ villoſa, & ex obſcuro flaveſcens in ſummo tergore linea nigra, aſinorum inſtar, inſignitur. Pili eſt blandiſſimi, & magni fit ab Hiſpanis, cum ad dolores Iſchiacos, arthritidis, viſcerumque compeſcendos, me teſte, plurimum valeat. A quibusdam ephippiis inſternitur; Ejus enim calorem humanis corporibus ſalu-

luberrimum ſumus experti. Quam ex Paraquaria in Europam rediens navi intuleram, ibidem mihi furto ſublatam doleo etiamnum.

Yaguarô tigris aquatilis.

Beſtia quovis moloſſo major, quam Quaranii Yaguarô, Hiſpani tigridem aquatilem nominant, ſub aquis profundioribus latitat plerumque. Eſt villoſa, caudæ longæ, & in acumen deſinentis, unguibus validiſſimis armata. Equos mulosque, flumina tranantes, ad fundum abripit. Paulo poſt animalis, quod diſcerpſit, viſcera in aquarum ſuperficie fluitantia cernuntur. In tot fluviorum trajectibus me id genus beſtiæ nunquam vidiſſe, gaudeo, fateor tamen, me id ſemper timuiſſe præſertim, dum lacum Mbururù, qui ex oppido S. Joachimi ad Urbem Aſſumptionis euntibus corio bubulo trajiciendus, quoties ex crebris imbribus horrendum in modum turgeſcit, iterum, iterumque tranſmiſi. Hiſpani equidem, qui è ſylvis cum herbæ Paraquaricæ ſarcinis hunc locum tranſeunt, mulos onerarios à Yaguarô ſibi abreptos, frequenter mihi querebantur. In trajectu item fluvii Aguapeý, ad cujus litora Quaranicum SS. Coſmæ, & Damiani oppidum, anno 1760. mulum Indis ſpectantibus ab aſſiliente eadem bellua apprehenſum, eorum Parochus Pater Joannes Baptiſta Marqueſeti Fluminenſis mihi retulit. Yaguarô fluviorum altis gurgitibus fere immoratur, ſed in ripis editioribus ſpecus ſibi ingentes fodit, ubi & ſe, & ſobolem abdere ſuam queat. In litoribus altis Paraquayi fluvii immanis ſæpe fragor a nobis noctu navigantibus exaudiebatur, quem ex ſpecubus illis ab aqua alluente exeſis, & demum dehiſcentibus ortum nautæ mihi, militesque affirmarunt.

Aò.

Diriſſima bellua, capite, unguibusque tigrinis, moloſſi grandioris magnitudine, caudæ expers, feritate ſingulari parique velocitate prædita a Quaraniis Aò dicitur, quæ vox veſtitum ſignificat, ſed huic feræ indita fuit, quod ex ejus lana veſtem ſibi Barbari quondam contexuerint. Gregatim jam per ſtagna, locaque paluſtria, jam per ſylvas ab hominum ſtrepitu remotiores vagantur. Quod ſi forte Indum venatorem obvium ſibi habeant, de ejus vita conclamatum, puta, niſi vel celerrimo curſu, vel arboris celſioris aſcenſu ungues, dentesque crudeles declinarit. Quamvis nec altiſſimis ramis inſidens de ſecuritate ſit certus; Nam feroces belluæ arborem ſcandere cum nequeant, ejus radices unguibus fodiendo eruunt, dum denique illa cadente optata ſibi præda potiantur. Optime ſibi conſuluerit Indus periclitans, ſi, quidquid telorum in promptu eſt, in inſidiatores avidos exonerarit. Hæc Indi, Hiſpanique indigenæ uno omnes ore referunt, creduntque. Ego licet tantis itineribus jam pedes, jam eques defunctus tot Paraquariæ ſylvas, campos, paludesque peragrarim, ejusmodi beſtiæ ne umbram quidem conſpexi. Ex quo iſtas feras nec frequentiſſimas eſſe, neque toti Provinciæ communes, jure conjicio. Univerſa utinam Paraquaria exularent! Animal ferociſſimum, quod Famacoſio dicunt ſcriptores, ab Aò ſolo nomine differre, plerique opinamur.

Capiiguára porcus aquatilis.

Porcus fluviatilis à Quaraniis Capiiguára, ab Abiponibus Atopehénra dictus & fluvios majores,

&

& rivos non maximos habitat, quamvis, cum gramine vescatur etiam, propinquos in campos pabulatum excurrit non citra agrorum stragem. Adultus suem bimam vulgarem corporis mole æquat, & figura propemodum exprimit, nisi quod capite vasto, globoso, barbulis labrum superius occupantibus ad felis similitudinem nonnihil accedat. Auriculis brevibus, oculis magnis nigricantibusque, ore latissimè quidem patente, labiis tamen arctioribus, pilis fuscis, curtissimisque instruitur, cauda penitus caret. Præter duos dentes curvos, longioresque, qui ex ore prominent, dentibus octo supra quadraginta armatur in summitate planis, inferius concavis, eaque ratione in alveolos, ossaque diversa insertis, ut & longum sit, & arduum id verbis explicare. Pedes illius porcini sunt. Anteriores quaternis, posteriores ternis duntaxat ungulis pollent. Gregatim natant, ambulantque hæ bestiæ, in tranandis fluviis ad stuporem celeres. Noctu asinorum more rudunt, viatoresque, rerum Americæ inscios, territare solent aliquando. Earum caro suillæ persimilis equidem, sed cum piscem oleat, a solis fere Indis comeditur. Nefrendulos tamen vel ipsi Europæi in deliciis mensæ numerant. Capiiguaras seu hasta, seu sagitta, seu globo ferire haud artis est, sed felicitatis sauciatas capere. Nam accepto vulnere, ut sunt natatores, urinatoresque eximii, sub aquis se abdunt illico, & hastam, sagittamve sibi inhærentem secum abripiunt, quod ipsus iterum, iterumque spectavi. In magno Parana navigans porcorum hujusmodi gregem in litore conspicatus exscendi. In confertam multitudinem ictu minime casso exoneravi sclopum, fructu tamen nullo; Omnes enim, quin unus porro videretur, in flumen præcipitarunt. Abipones, qui huic venationi frequenter dant operam, porcum sau-

cium

sium natantem natantes persequuntur, dum denique sub aquis assequantur. Pellis Capiiguaræ admodum crassa est, & si ab alutariis rite subigeretur, magni ad varia usus foret.

Lutra.

Lutris, quas Hispanus Nutrias, Abipon Nichigehè vocat, amnes, lacusque Paraquariæ ita replentur passim, ut ranis lacunæ Germanicæ. Ab Europæis, ni fallor, vix ulla redifferunt, nisi quod aliquantulum mihi videantur minores. In territoriis, quæ Abipones occupant, & quæ urbibus sanctæ fidei, Cordubæ, Corrientes magis imminent, major est earum frequentia. In remotis Boream versus Mocobiorum, Tobarumque contuberniis lutræ vel nullæ, vel certe rariores. Multiplex ex illis utilitas in Barbaros redundat. Earum carne vescuntur. Pelliculas pedibus resciſſis bene quadratas paxillis ligneis, ut siccentur, solo affigunt fœminæ; Siccatas rubro colore pingunt ita, ut fritilli lineas exprimant; Ex his pelliculis sola manu diligenter subactis pallia scitissime consuunt artificio tanto, ut neque suturæ, neque pellicularum commissuræ vel ab oculatissimo detegantur. Spina subtilis, ut sutoribus subula, pro acu, tenuissima fibra ex caraquatæ carduo pro filo illis est. Ejusmodi palliis, quæ omnino quadrata mantilis, vel linteaminis instar, contra rigidiorem Austri aspirantis auram diu, noctuque se se tuentur Abipones; Quin & Cœlo æstuante vetuli, vetulæque idem pallium circumferunt pilis jam introrsum, jam extrorsum, ut cuique lubuerit, conversis. Verum, dum sudore diffluunt Indi, hoc pallium odorem exhalat circumstantibus molestum, cum lutrarum pelles fœmi-

mi-

minarum duntaxat manibus ſubactæ fuerint, non a pellionibus maceratæ, concinnatæque. Fluviis, lacubusque diutina Cœli ſiccitate prope ad incitas redactis ad venandas lutras potiſſimum excurrunt Abipones. Cum enim aquæ jam breviores vadum præbeant, vertagorum turba præmiſſa lutrarum centurias plures ſtipitibus impactis uno interficiunt die, quamvis mordaciſſimæ ſint beſtiæ, dentisque admodum pernicioſi. Hinc ex illarum cæde & Indi, & Indorum canes vulnera referunt non raro, nec paucos intra dies ſanabilia. Experimento id didici meo. In amne Narahagem hamo piſcabar. Canis meus Yapitalakà in lutram ex aquis proſpectantem irruit. Natantes ambo, jam hoc, jam illa caput ex undis attollente, luctabantur pertinaciter, victoria diu in neutram partem inclinante. Yapitalaka denique meus lutræ dentibus in latere ſiniſtro miſere ſauciatus ad me rediit, riſu jam defatigatum. Enim vero duellum hoc a natantibus ad horæ quadrantem productum vel ipſe cato ſpectaculum cachinno decumano digniſſimum judicaſſet. Luculentum canis vulnus, quod lingendo curabat, coaluit demum, ſed menſium aliquot intervallo iterum, iterumque recruduit. Ex quo, quanta lutrarum dentibus peſtis inſit, arguere cæpi.

Fiber, ſeu caſtor.

Fibri, Canes Pontici, ſeu Caſtores ad lutrarum claſſem pertinent equidem. Sed, quamvis ab ædium ſuarum architectura, a pilorum mollitie, a caſtoreo, quod pharmacopoeis miniſtrant, medicamento paſſim celebrentur, nihil de iis mihi memorandum putavi, quippe Paraquariæ ſolo tam iqnotis, quam in

Ame-

America Boreali frequentibus. De hac qui egerunt, ſcriptores conſule, in hoc de caſtoribus argumento ſatis, ſuperque prolixos.

Yguana, lacertus.

Yguana quadrupes (Teyu guazù Quaraniis, Navolgřaik Abiponibus) lacertorum ex genere, & draconi, quem pictores Divo Georgio equitanti ſubſternunt, majori ex parte ſimilis. Ulnam longitudine excedit interdum. Vaſti abdominis. Pellis veſtitur ſquamis colore viridi, albo, flavoque, quin & rubro eleganter pictis. A capite ad caudæ extremitatem pinna eminens ſerræ inſtar denticulata ſpinam dorſi coronat. Cauda ejus & craſſa & prælonga quibusdam veluti annulis, maculis hinc illinc rubris admixtis, interſtinquitur, ac in tenuiſſimum deſinit acumen. Oculis amplis & nigricantibus, naſo ad labiorum fines bipatente, dentibus curtis, lingua biſulca, quam irritata celerrime agitat, pedibus quatuor, digitis quinque inferius plantæ inſtar latioribus ac tela exili ſubductis, quod ad natandum confert, eſt inſtructa; Jam enim aquis innatat, jam arbores ſcandit, jam in ædium angulis deliteſcit diu, inediæ, ſi quod aliud animal, tolerantiſſima. Nemini mortalium noxam infert. Alveariorum melle, volucrum ovulis, malis aureis, citrinis dulcibus, aliis arborum frugibus veſcitur. Vitæ eſt ſupra fidem tenax; Quamvis enim pelle nudata jam, crebris ictibus, vulneribusque ejus capiti inflictis hund exſtinquitur, niſi cervice demum reſecta. Ut horrifica Yguanæ figura aſpectantium perterret oculos, ſic ejus, maxime ſi junior ſit, caro candidtſſima palatum oblectat plurimorum. Illam a Socio meo deceptus ſemel pro piſce, pro pullo comedi alias, & gratiſſimi

eſſe

esse saporis pronunciavi. Nunquam tamen, ut sciens Yguanâ vescerer a me potui impetrare. Tantum exterior illius species & mihi, & plurimis aliis perperit horrorem. Pater Josephus Gumilla in novi regni Granatensis Coloniis annos plurimos versatus in sua fluminis Orinoco historia fatetur, se ab Yguanæ esu semper abhorruisse vel hoc nomine, quod illa perinde ac quisque alius serpens, dum tabacæ folium ejus faucibus ingeritur, confestim emoriatur, quo experimento inductus Yguanam serpentum familiæ accensuit, ac de veneno semper habuit suspectam. Verum hanc suspicionem & mea, & aliorum, qui Yguanæ carnibus impune usi sunt, experientia evidentissime discussit. Yguana continuatis per totidem dies partubus ova enititur circiter quadraginta: Rotunda sunt, juglandis magnitudine, albi, luteique, uti gallinarum ova, coloris. Eduntur a quibusdam in sartagine frixa. Illis, cum nativo adipe turgeaut, olci butyrique loco parum aquæ infunditur. In capite yguanæ lapillos interdum reperiri, ajunt, qui in pulveres contriti & salubri cum potione hausti, vel corpori duntaxat adstricti calculum in renibus comminuere, aut expellere dicuntnr. Alii lapidem, qui pondere suo unciam æquat, candidum in, nescio, qua Yguanæ parte inveniri aliquando, affirmant, qui redactus in pulveres, potusque cum aqua tepida lotii detenti cursum promovere, putatur. Ego quidem nec ejnsmodi lapidem, neque lapillos vidi unquam; Nunqum eorum virtutem exploravi. Alia præterea lacertorum genera, quibus alia, aliaque forma, color alius, in Paraquaria visuntur passim, sed nihil singulare, quod de illis referam, habeo. Chamæleon, lacerto similis, rarissime videndum se præbet. Unicum e lintre, qui

humi

humi ſtratus in litore procubuit, proſilientem obiter vidi, quin tamen illum obſervare mihi vacarit.

Lupi fluviatiles.

Fluvii plerique, quin & minores rivi duplicem luporum ſpeciem educant. Majores Oanelkiraìk, minores Lakopàch ab Abiponibus dicuntur. Iſtorum catulos fœminæ Abiponenſes domi cicurant quandoque, uberibusque ſuis, ceu proles, admotos lactant. Canum quoque catulis idem amoris officium præſtant nonnullæ, quamvis citra graviſſimam mariti offenſam, & repudiationis periculum alienam ſobolem lactare nulli liceat uxori. Hos lupos, qui ſub aquis fere latitant, etſi ad ripas egrediantur ſæpe, vel cavatis in litore altiori ſpecubus immorentur aliquamdiu, ſpiculis variis trucidant Abipones, quibus licet eorum caro minime ſit eſculenra, pellis tamen fuſca, & per intervalla flaveſcens, pilique blandiſſimi uſui eſſe ſolet. Quoties lupi, ut alias memini, adverſo nant flumine, & feſtiva corporum jactatione veluti choreas agere videntur, aut alluvionem propinquam, aut procellam ſæviorem portendunt. Ex repetitis per majora flumina navigationibus id mihi compertiſſimum. Sane pereundum nobis erat ſemel, ni malo luporum omine bene uſi fida in ſtatione navim collocaſſemus noſtram; Auſter enim procelloſiſſimus in fluvio Paraquay pertinacem adeo concitavit turbinem, vel in portu triduum ipſum ut trepidaretur.

Lupi marini.

Lupi marini vaſti corporis mole eminent, ac in flumine argenteo quoque ſpectantur innumerabiles,

maxime ad oſtium, per quod in mare devolvitur. Prima, quæ id flumen ingredientibus inſula occurrit, a lupis nomen habet (la ysla de lobos) quibus abundat. Eorum greges iſtic ambulantes ipſi conſpeximus, riſimusque matres navis noſtræ ſtrepitu perterritas cum parvulis ſuis hac illac diffugientes. Adipis plus, quam carnis habent, ut adeo extrema ſolum fames eos reddere queat eſculentos. Eorum tamen pellis eleganter flaveſcens nigra per tergus linea inſignis, pilique molliſſimi pretio ſat magno venit Europæis. Socii noſtri, qui Philippi quinti Regis juſſu Magallanica litora luſtrârunt, in ſuis de hac navigatione commentariolis narrant: Lupos marinos iſtic juvencum prope biennem magnitudine ſuperare: Arenoſo in litore elatis columnæ inſtar corporibus ſæpe luctari: Hallucinari Geographorum multos, qui his lupis & jubam, & leonum marinorum nomen affingunt. Quamvis haud deſint, qui & lupos, & leones marinos exiſtere contendant. Mihi iſtic nec ſeritur, nec metitur, ſententiam ferant alii. Ego litem eſſe de nomiue, opinor.

Ranæ, Bufones.

Pediſequarum inſtar amphibiorum agmen claudant Bufones, & Ranæ, quibus non fluvii modo, omnes, lacus, & paludes, ſed & ipſi, quoquo te vertas, campi Paraquariæ implentur. Sed quis demum illarum uſus, quæ occupatio? Veterem in limo pergunt cantare querelam, cum tamen nulla illis ſit in Paraquaria conquerendi cauſa; Nam illic è ciborum numero expunctæ, culina omni excluſæ nec amatores habent neque inſidiatores, atque adeo pleniſſima vitæ ſecuritate potiuntur, ranis Europæis feliciores utique, quæ jam elixæ, jam frixæ ad oblectan-

lectandum palatum ſæpiſſime, ſæpe ad valetudinem reſtaurandam abſumuntur, ne nemini equidem invidente. Ad ranarum progeniem internecione delendam optaveram dudum, ut ad eas vorandas Indi edaciſſimi animum adjicerent aliquando; Incredibile enim, quantum nos in lacuum, amniumque litoribus ſub dio dormientes tot ranarum coaxantium chorus defatigârit. Ut colorum illis, ſic vocum mira eſt varietas; Lenem, clarum, acutum ſonum edunt aliæ, aliæ, fors annoſiores, aſpero, rauco, gravi boatu ſtygiis his cantatricibus conſonant. Plauſtri male uncti ſtridor multo tolerabilior cuique videatur. De Bufonibus, hirudinibus, aliisque inſectis noxiis alio loco agemus. Rana oergetetè, Bufó Hiymeya ab Abiponibus appellatur.

Aves.

Avibus Europæis, præter hirundinem, fere omnibus deſtituitur Paraquaria, ſed abundat indigenis, Europæ prorſus peregrinis. Illæ cantus ſuavitate, hæ plumarum elegantia præcellunt. Paucas e plurimis deſcribam.

Picaflor avicula.

Oculos maxime percellit avicula omnium minutiſſima ſimul, ſimul pulcherrima. Hanc Abipones vocant Oachimiegrapa: Hiſpani jam Picaflor, jam liſongero jure appellant; Nam flores, è quibus apum inſtar ſuccum ſugit, vellicat. Plumarum, colorumque venuſtate exquiſitiſſima oculis blanditur. Corpuſculum ejus, quantum eſt, olivam majorem, vel nucem moſchatam vix excedit. Roſtellum prælongum, ſed acu gracilius, oculos vividiſſimos, lin-

guam largam, ſed filo ſerico ſubtiliorem habet. Sibilum, ægerrime percipi qui poſſit, ſuavem edit aliquando. Ruri in ſacello quodam dudum deſerto ejus nidum inveni, juglande vulgari vix majorem ex duobus muri angulis ſeta equina unica ſuſpenſum; in quo mater duobus ovulis, quæ piſi hujatis inſtar, tunc incubabat. Ex nido aviculæ tum exilitatem, tum levitatem conjicies. Illius plumæ jam læte virides, jam (Novem enim ſpecies Picaflor aviculæ deteximus) cæruleæ, jam crocei, ignei, rubri coloris; ſed omnes auro fulgentiſſimo videntur veſtitæ. Earum ſplendorem, dum a ſole illuſtrantur, oculus haud fert humanus. Aureus ille color, qui ſeu in cauda pavonis expanſa, ſeu in collo anatis relucet, umbra eſt, ſi cum aviculæ iſtius fulgore aureo conferatur. Succum e floribus dum ſugit, haud inſiſtit pedibus, ſed ex aere pendere videtur, ſemperque pennis veluti ſuſpenſis, & tremulis per auram celerrime circumfertur. Ejus generis aves domi captas habuerunt nonnulli, & quamvis ſaccharo aquis liquato aluerint diligenter, vix ultra quatriduum ſuperſtites eas viderunt, ſoli quippe florum nectari aſſvetas. Indi Peruviani ex plumis, quas natura exquiſitiſſimis coloribus pinxit, inauravitque, icunculas olim concinnaſſe ſcribuntur adeo elegantes, ut penicillo artifici expreſſas, bracteolisque aureis veſtitas quisque juret. In contemplandis his aviculis, quæ paſſim obviæ in Paraquaria, defixis ſæpe, attonitisque oculis hæſi, plusque admirandam putavi tantam tantillo in corpusculo venuſtatem, quam Iliadem vaſtam homeri in anguſta nuce. Cuivis Europæo advenæ: Neſcio, quæ parvis gratia rebus ineſt! Lubuit exclamare aviculâ Picaflor primum conſpecta, ſuſpicereque maximum in minimis quoque rebus conditorem Deum. Iſtas aves, quarum vulgatum nomen Picaflor inter Hi-

Hiſpanos, alii etiam Colibros, Quentos, Quindos, Rabilargos, Quachichil &c appellare conſveverunt ſuis in lexicis. Apud Germanos die Blumenhacker audiunt. Rectius: Die Blumenſauger dicerentur.

Condòr Vultur.

A minima volucrum ad maximam tranſeamus. Condòr, vel ut alii ſcribunt, Cuntùr, accipitrum de genere in Tucumaniæ, aliisque eminentiſſimis alpium jugis frequens habitat, unde ad ſubjectas valles, pecudes prædaturus, devolare conſvevit. Magnitudinis eſt propemodum incredibilis. Illius alæ expanſæ ab extremitate altera ad alteram ad decem circiter (imo ad ſexdecim aliquando, ut alii ſcribunt) pedes porriguntur. Pennarum ſingularum tubulus, quo ſcilicet ad ſcribendum utimur, virilis digiti latitudinem æquat. Occiſi Condoris alam, quæ Cordubæ noſtro ſervabatur in collegio, ſpectavi, manibus contrectavi, haud tamen menſus fui. Unguibus Gallinarum acutis, roſtro valido tamque mucronato inſtruitur, corium bubulum pertundere ut queat. Coloris eſt atri, plumulis candidis per intervalla inſperſis In vertice, Gallorum more, criſtulam gerit, haud tamen denticulatam. Robore pollet ſingulari animantibus quibusque metuendus, maxime vitulis, equulisque recens in lucem editis, quos, effoſſis roſtro oculis, perimit, conſumitque, quod meis ipſe oculis ſpectavi. Agnos per aerem raptare, dicitur. Quantam armentis, gregibusque ſtragem inferant quotidie, fidem ſuperat. Ad rapinam plures ſemper convolant, & multitudine formidabiles in adultas eiam beſtias invadunt. Saturi jam, & onerato carnibus ſtomacho graves avolare cum nequeant, vomitu procurato ſtomachum exonerare

 ſata-

ſatagunt, leviores ut fiant, & ad volatum expediti. Quod cum adverterint crebro Hiſpani prædiorum cuſtodes, carnem bubulam ſale copioſo conſperſam condoribus objiciunt. Hanc avidiſſime devoratam vomitu egerere neutiquam cum poſſint, volatus impotes, hac illac per campum curſitantes ſtipitibus lapidibusque paſſim mactantur. Ex quo, quam beneficum ſal ſit humano etiam ſtomacho, liceat conjectare. Alias turmatim advolantes condores ad audientium terrorem alarum ingentium jactatione immanem edunt ſtridorem. Pennis in aera ſublati noſtris paſſeribus vix majores videntur. Adeo ſublime feruntur. Et volantes, & in campo pecoribus inſidiantes, dum alpes Cordubenſes peragrabam, ſpectavi plurimos, & eorum vaſta corpora non potui non demirari. Vultures, qui in variis Germaniæ alpibus rupicapris inſidiantur, ut ut prægrandes, cum Americanis Condoribus comparari haud poſſe, ſemper exiſtimavi.

Struthio.

Struthio in Paraquaria magnam partem campeſtri frequentiſſimus Europæis notior eſt, quam ut ejusforma deſcribi multis a me debeat. Illius tamen proprietates, quas noſſe neminem pigeat, obiter adnotabo. Hæc avis ab Hiſpanis Aveſtrùz, ab Abiponibus Gejeñk, ab aliis Chuni dicitur. Alitibus adnumeratur ſtruthio, quia alatus, quamvis alis pro tanti corporis pondere imbecillioribus non ad volandum utatur, ſed iis, veluti velis, remisque ad accelerandum curſum pedeſtrem adjuvetur, vento præſertim ſecundo aſpirante; Contrarius enim ejus curſum retardat. Maxime ardua eſt illius inſectatio; Non ſolum equidem pernicitate ſumma, ſed & per anfractus, ambagesque

fu-

fugiens procurrit. Ad hunc igitur assequendum equus venatoris celerrime insequentis tanta habenarum inflexione, mutationeque viarum turbatur sæpe, sternitur, sternitque sessorem. Ad struthionum venationem & equis, & equitibus strenuissimis opus esse, inde conjicias. A peditibus, nisi adeo numerosi sint, ut struthiones velut indagine cingant, rarius, difficiliusque capiuntur, visa hominis umbra fugacissimi. Collo erecto adstantes viri quantumvis proceri verticem attingunt, id quod colli duntaxat, & pedum longitudini tribuendum; Caput enim struthionum exile admodum. Oculis minutis prolixum incubat supercilium. Corpus agnum pondere æquat. Eorum carnem magnopere appetunt, dilaudantque Indi, multo plerumque adipe fartam. Hispani neglecta carne cætera eorum alas avide consumunt, portionemque struthionis nobilissimam putant. Illis & ego vescebar aliquamdiu, sed suborta dein' nausea ab eorum esu abhorrui semper. Ex struthionum pellibus manticas, bursas, pulvinaria Concinnant sibi Abipones. Pellis partem è clunibus avulsam pro capitis tegumento ceu galericulum adhibent. Maximus variusque est plumarum usus. Ex iis confiunt passim muscaria, flabella, umbellæ, quas & Hispani nobiliores, & Abiponenses fœminæ, quoties equitant, soli opponunt, ne illius ardore vultus fuscarentur. Abipones masculi, qui faciem solaribus radiis tostam militibus decoram existimant, ejusmodi umbellis abstinent religiose. In postica ephippiorum extremitate Indi, cujuscunque sint nationis, struthionum longiores pennas erectas figunt; Hæ siquidem, cum equo gradiente moveantur identidem, muscas, tabanos, crabrones, culices undique assilientes arcent plurimum. Struthiones fœminæ, quotquot vicinæ degunt, ova sua eodem in loco deponunt, e quibus

ſubinde, nemine curante, cœli æſtu excluduntur pulli. Iſtos maſculi, non fœmellæ alunt. Hi ova adhuc plena, ne in lucem jam editis eſca deſit, a ſe confracta parvulis alendis impendere ſolent. Atque adeo fratres nondum nati a fratribus recens natis vorantur. Eodem in nido ſexaginta, quin & centenis plura inveniuntur aliquando ova, &, ut gallinacea, jam frixa, jam aqua ferventi cocta ab Hiſpanis perinde, ac Indis comeduntur, difcilius tamen, ſi vinum deſit, tardiusque a ſtomacho digerenda. Nobis iter agentibus per ſolitudines pro lauto ſæpe epulo fuerunt. Ovum unicum pluribus ſaturandis ſufficit; Nam ſex, & triginta ova gallinacea in unicam ovi Struthionis teſtam poſſunt evacuari. Id medici anonymi, quid id experimentum a ſe factum ſcribit, authoritate confiſus, affirmo. Num ita ſit; experiri cuivis licet, cum ſtruthionum ova in pluribus aromatum tabernis venalia, certe ſpectanda proſtent Vindobonæ, ubi hæc ſcribo. Ovôrum ſtruthionis teſta firma eſt, & ceu vas teſtaceum, variis opportuna uſibus. Aquæ luſtrali ſervandæ a quibusdam adhibetur; Aris templi ornandis alicubi affigitur. Nam turcos quoque, ac Perſas ejusmodi ova e Laquearibus delubrorum ſuſpenſa lampades inter ornatus gratia collocare, ſcribunt nonnulli. Nunquam ſine nauſea ſpectavi, ova ſtruthionum jam putida, in quibus embrio ſpectabilior jam, ab Abiponibus ſibi deligi, avidiusque vorari. Nil tamen id mirabar, cum & vitulos, qui e Vaccæ jugulatæ utero eximuntur, embriones Indis omnibus in deliciis eſſe ſim expertus. Struthiones gramine, tritico, frugibus, obviis quisquiliis in campo veſcuntur. Quod ſi quid ferri, vel oſſis imprudentes glutiverint, id indigeſtum, nullaque ex parte alteratum egerunt ſubinde. Sylvulas campis interjectas, ubi um-

umbrâ frui liceat, amant cumprimis, maximeque frequentant. Volupe mihi fuit proficiſcenti, illos manipulatim inde egredientes, obambulantesque ſpectare. Sed enim breve id ſpectaculum erat; conſpecto enim eminus equite, pediteve protinus dilabuntur. Capti adhuc juvenes citiſſime manſveſcunt, Gallinarum, Canumque ritu forum perambulant, vel domus aream, cum pueris nugantur impavidi, neque, etſi propinquus ſit, ac in conſpectu campus, diffugiunt unquam. Vix ullum eſt Indorum oppidum, ubi cicures ejusmodi ſtruthiones non videas. Noveris præterea, in variis terrarum tractibus variam eſſe ſtruthionibus magnitudinem, habitudinemque, ut pluribus uſu venit feris, plantis, arboribus. Qui enim in campis Boniaeris, ac Tucumaniæ verſantur, grandiores ſunt, plumisque tum nigris, tum candidis, tum cinereis veſtiuntur. Alii freto Magallanico viciniores minus corporis, plus venuſtatis oſtentant; Eorum enim pennæ niveæ in extremitatem nigram, nigræ in niveam elegantiſſime deſinunt, Europæorum caſſides, pileosque inſigniter ornaturæ. Umbellas ex his contextas maximi faciunt nobiliores Hiſpani.

Tuncà.

Tunca roſtro potiſſimum eſt memorabili, quod longitudine toti ejus corpori reſpondet. Eſt papyri inſtar leviſſimum, citrini coloris, linea rubra, nigraque macula circa extremitatem diſtinctum, in marginibus ſerræ inſtar denticulatum. Linguam habet prælongam, oculos grandiores, quos circulus minor ſubviridis, major alter inſigniter flavus circumdat. Majori ex parte ejus plumæ nigreſcunt, præter collum, quod candidum, & caudam in ex-

tremitate eleganter rubram. Sunt, quibus nigri coloris loco cæruleus eſt. Magnitudine columbam æquat. Tuncà a quibusdam el pajaro predicador, avis prædicator dicitur ob ſonantiorem, credo, vocem. Vix aliis ſociatam videbis hanc avem. Sed neque adeo rara eſt, ut per viam non frequentiſſime conſpiciatur. Seminibus maturis Caà arboris, ex cujus foliis herbam Paraquaricam conficiunt, veſcitur; Verum cum illa, quippe nimium glutinoſa, digerere haud poſſit, integra egerit, e quibus novæ paſſim arbores, ac ex illis multiplicatis ſylvæ oriuntur demum, incredibili indigenarum cum quæſtu. Abiponem novi Yaaukanigam, qui pugnaturus roſtrum ingens Tuncæ naribus ſemper illigavit ſuis, quo hoſti coloniam invaſuro ſe redderet terribiliorem.

Cardinalis.

Eximia cantus ſuavitate eminent Cardinales, & canariis hujatibus palmam, me judice, præriperent, ſi ut iſtæ, vocem criſpare uno ſpiritu noſſent. A fulgente purpura, qua plumæ illorum omnes ſuperbiunt, nomen Cardinalium nacti ſunt. Vertex ſolus capitis criſtula nigra, veluti galericulò, ornatur. Sunt carduelium magnitudine. Ad campos ſteriliſſimos, ubi carduorum plus, quam graminis naſcitur, turmatim convolant, & nullo negotio a pueris capiuntur; His acum unicam ſi dederis in urbe correntina, Cardinales vivos tres, quatuorve tibi porrigent. Gallum iſtic Laicum noſtrum decrepitum novi, qui avium purpuratarum cantu adeo capiebatur, ut integrum earum conclave annis pluribus aleret. Alios vidi Cardinales prioribus cætera ſimillimos, ſed multo majores, quippe ſturno pares,

Chopì

Chopì.

Chopì, hirundinibus mole æquales, plumis fuſcis, ſed ſi a ſole illuſtrentur, cæruleis veſtiti paſſerum Europæorum ritu turmatim per tecta, agrosque tritico quovis conſitos circumvolitant, cantumque auribus jucundum callent. Fuit, qui ſub meridiem panis micas, granaque minuta per domus aream quotidie ſparſerat, ad quæ abſumenda numeroſiſſimum ſemper iſtarum volucrum agmen ſtata hora convolavit. Minutiſſimæ quædam aviculæ, nomen ignoro etiamnum, in hortis arborum ramos inter ſuaviſſime concinunt; Sed captæ caveam haud diu ferunt.

Quirapù.

Quirapù, quod vocabulum apud Quaranios avem tinnientem ſignificat, cum ejus vox campanulæ inſtar tinnulum metalli ſonum edat. Columbam refert. Cinerei, vel ſubalbi coloris eſt. Oculus habet perpulchros, caput amplum, ingluviem viridem, quæ, dum clangit, inflatur. Nulli diu ſtationi immoratur. Ex arbore ad orborem celerrime tranſvolat. Hinc & rariſſime & difficillime capitur. Aves aliæ ejusdem nominis (Quirapù miri) ſed minores, colorisque candidi cum fuſco mixti catervatim volant, una illarum reſonante cæteræ omnes conticeſcunt.

Tiñini.

Avis Tiñini noctibus potiſſimum humanam imitatur vocem, & in ſylva dormientes advenas territat non raro, cum vel hoſtis aſſilientis, vel hoſtilis

lis exploratoris ingerat ſuſpicionem. Memini quemdam noctem prorſus inſomnem idcirco egiſſe, ut ipſe mihi dein eſt faſſus.

Tijeras.

Avem, noſtrate paſſere minorem, undique albam Hiſpani Tijeras, forficem appellant, quod caudam e duabus pennis & longis & candidiſſimis compoſitam forficis inſtar identidem jam aperit, jam claudit.

Columbæ variæ ſylveſtres.

Apicazù, Yeruti, aliaque columbarum ſylveſtrium genera gregatim oberrant, agris, hortisque perniciem inferunt non mediocrem, uvis maxime, ſi quæ in vitibus, quas formicæ plerumque corrodunt, reliquæ fuerint. Colorum varietate incredibili oculis blandiuntur conſpectæ, ſed aſſæ, vel elixæ palato magis.

Iñambù.

Iñambu Quaraniis, Abiponibus Uimiřal, vel Nahàl, Perdiz Hiſpanis Camporum planitiem omnem occupat. Partim perdicis, partim coturnicis ſpeciem refert. Ejus caro candidiſſima equidem eſt, & boni ſaporis, ſed ſicca admodum. Avem ſtupidiorem, & quæ facilius, frequentiusque capiatur, vix uspiam deprehendas. Illam in ceſpite conſidentem circumit aliquoties eques, eamque pariter circum euntem vel loro longiori, quod pro habenis eſt, vel tenui arundine ſternit. Innumerabiles Urbi boni aeris inferuntur quotidie, & leviſſimo pretio veneunt.

Mar3

Martinetes, & Gallinetas.

Perdicum quoque e genere cenſentur aliæ Gallina vulgari maiores, colorum varietate ornatiſſimæ, criſta eleganti inſignes, jucundique ſaporis. Ab Hiſpanis dicuntur Martinetes, & Gallinetas; Ab Abiponibus Yauik Loapèl ob Caſſidem plumis ruberrimis ſplendentem.

Phaſiani ſpecies

Nuſquam deſunt in Paraquaria volucres, Phaſianis Europæis aliqua ratione ſimiles. Frequentior eſt, quam Quaranii Yacù, Abipones Akilgitá, Hiſpani la Pava, Indi alii Charrata vocant. Pullo adultiori magnitudine par, nigerrimi coloris, carnis optimæ. Sylvas amni vel lacui propinquas maxime inſidet. Sole vel occumbente vel oriente plurimas eadem in arbore deprehendas. Una ſclopo proſtratâ reliquæ haud avolant, ſed eodem in ramo, cui inſident, tantillum recedunt, remanentque, ut adeo repetitis ſclopi ictibus necentur univerſæ. Id ſpectavi ipſus frequenter, magnopereque mirabar, has volucres nec nitrati pulveris tonitru terreri, neque ſociarum mortibus ad fugam impelli. Tanta equidem eadem in ſtatione pertinacia, ut militi commilitonum inter funera in acie intrepido laudi datur, ſic incredibilem harum avium arguit ſtupiditatem, a qua longiſſime abſunt pleræque omnes pennati generis feræ, cum minimus fere ſtrepitus illis fugandis ſufficiat. In oppido S. Ferdinandi, quod ſylvæ, lacusque ambiebant, Pater Joſephus Klein per vicennium ejusmodi phaſianôs Paraquarienſes innumeros trajecit.

Mbi-

Mbituù.

In Phasianorum classe majori jure numerandus videtur Mbituû avis Gallo Calecutensi, quem vulgus Indicum appellat, propemodum par. Pennæ ejus nigerrimæ in albam extremitatem desinunt; Venter tamen colore perdicibus proprio variatur. In vertice cristam, mitræ instar, plumis nigris, albisque, ac serici more blandissimis conspicuam gerit, quam, quoties, excandescit, arrigere consvevit. Rostro armatur longo, adunco, & nigricante. Cauda illi prolixa, & fere expansa. Caput elegans oculis grandioribus nigris, clarisque ornatur. Crura altissima digitis quatuor Gallinaceis insistunt. Talem in S. Joachimi oppido domi nostræ aluimus aliquamdiu; Cito enim mansvescit, & loco gaudet editiore. Nemo est, qui tenerrimam ejus carnem non dilaudet. Utinam, quam optabilis in mensa, tam frequens in sylva venatoribus Indis occurreret!

Psittacorum genera.

Psittacorum varietatem, multitudinemque prope innumerabilem dixero. Singulæ eorum species corporum conformatione, voce, plumis differunt luculenter, ut legionarii milites vestium colore, armis, signisque alii ab aliis dignoscuntur. Psittacus quiscunque ab Hispanis loro, vel Papagayo, ab Abiponibus Kahaoĩa dicitur. Quaranii diversis Psittacis diverse, ut mox dicam, nomina indidere. Mihi notissimi sunt: Paracauteè. Paracaubay'. Iribaya. Aruay'. Tuĩ. Mbaracana. Quaà, aliis Quacamayo, Abiponibus Natalgelà Latenk. Caninde. Catita, Abiponibus Kikilk, aliique quam plurimi, quorum, etsi figura oculis obversetur meis, nomina tamen me-

mo-

moriâ excidere. De ſingulis, mihi notioribus, memorabo præcipua. Paracauteè verum legitimumque pſittacum ſignificat, qui majori ſcilicet præ cæteris ingenio, docilitateque pollet ad voces hominum, ferarumque facilius, feliciusque imitandas. Magnitudine Columbæ juniori par, viridibus pennis, ſed & flavis, rubris, cæruleisque in capite, alis, & cauda affatim ornatur. Talis mihi (Don Pedro vocabatur) per quinquennium fuit, multis, magnisque mecum itineribus defunctus. Vocabula plurima, quin ſententias integras Hiſpanica, Quaranica, & Abiponica lingua articulatè pronunciabat. Cum his enim nationibus per intervalla ſum verſatus. Cantiunculam Hiſpanicam belle didicit. Tuſſim præterea violentam, riſum, fletum, latratum, & trecenta alia dexterrime expreſſit. Hominem te audire, juràſſes. Quoties eques iter feci, vel pedes obambulaví, humeris inſedit meis ſemper vocalis, ſemper nugax. Si quando ſeu clamorem ejus, ſeu pondus jam pertæſus Indò comiti illum portandum tradidi, ejus momordit auriculam iracundus, & ad me revolavit. Indam Quaranicam aſino inſidentem, quæ nobis in itinere obvia, cachinnis ſonantiſſimis diu eſt proſecutus. Toto etſi die in humeris conquieſceret meis, ſole in occaſum declinante jam Gallinarum more quietis avidus indignari cæpit quotidie, & alarum jactatione, repetitisque auriculæ meæ morſibus, iter tandem ut abrumperemus, me commonefecit. Poſtridie conſcenſo rurſus a me equo lætiſſimus nullum fecit cantandi, cachinnandique finem. In oppido dum commorabar, funem prælongum in domus ambitu duabus e columnis ſuſpenſum interdiu perambulabat; Noctes enim in meo egit cubiculo, ne a felibus raperetur. Triclinium ingredientem me mox advolans ſecutus eſt. Nobis prandentibus men-

ſam excubitoris more percurrit omnem, & ad Indum, qui ciborum reliquias cum ſcutellis aſportaturus acceſſerat, mordendum iratus ſemper accurrit. Quidquid ei dapum arriſerat, delibavit, rapuit, glutiitque. Interdum per domus aream ſpatiatus in arenis, quas & pro medicina mandit ſæpius, roſtrum perfricuit, exacuitque ſuum. Alias nimbo præcipitante alis latiſſime explicatis, plumis capitis fœdiſſime arrectis, contortis hac illac oculis, ore hiante tecti ſtillantis aquam procurrentem toto excepit corpore, ſpectri ſtygii inſtar viſu horrendus, dum penitiſſime perlutus denique, & frigore tremiſcens, veluti naufragio defunctus, portum meo in ſinu inveniret, ubi & abſtergendum ſe noverat, & calefaciendum. Ejusmodi balneo ad pediculos, qui avium cuti innaſcuntur, enecandos fuiſſe uſus, mihi videbatur. Pſittacum minorem alterius ſpeciei, quod me illi blandientem invidis oculis obſervaverat, roſtro configere tentabat aliquamdiu; ſed adulatione parvuli victus demum eum non toleravit modo ſub alis ſuis dormientem, ſed etiam diſcipuli, & prope dicerem, filioli inſtar habuit poſthac. Quæ gravi voce pronunciavit ſenior, junior voce gracili repetebat omnia. Hanc ſcholam ſine riſu ſpectavit nemo. Quaranii pſittacos, quot quot domi alunt, chorda longæ arundini pede uno illigatos habent, ad eorum fugam impediendam. Hæc nobis vincula diſplicuere. Hinc Pſittacis noſtris alam unam mutilavimus tantillum, ne volare diu, neu procul avolare poſſent, ambulationis libertate penitus iis relicta. Meus ille Don Pedro tot annos fidelis, cum pennæ illi me inſcio excreviſſent nimium, avolavit, evanuitque. A plurimis nequidquam quæſitus nusquam comparuit. Lapſo jam triduo celſæ arbori inſidens me ſylvam tranſeuntem vidit, & agnovit. Nec mora: Et roſtri,

ſtri, & unguium præſidio per ramos celerrime adreptans, ſuumque illud: *Don Pedro* identidem repetens ad meos humeros advolavit. Sed quamvis effuſe mihi blandiretur, pennarum luxuriantium mutilatione transfugium mox luit ſuum. Mirabar ſæpe, hunc Pſittacum ſententias, quas noverat, adeo opportune recitaſſe, ut illarum ſignificationem intellexiſſe videri poſſet. Eſuriens namque: *Pobre Don Pedro* Pauperculus Dominus Petrus, voce ad ciendam commiſerationem appoſitiſſima iterum, iterumque dictitabat, dum denique radices eſculentæ, panis vel quidquid aliud eſcæ ſibi porrigeretur. Hæc de meo pſittaco, cujus jucunda mihi etiamnum recordatio, prolixius forte commemoravi, ut, quantum poſſit vel apud feras diſciplina, perſpicias, easque præ multis Barbaris magiſtro ſuo magis gratas, magis morigeras eſſe, cognoſcas. Fœmellæ præ pſittacis maribus citius pleniusque humanas condiſcunt voces. Talem ſocius meus habuit, quæ orationem Dominicam lingua Quaranica ſcitiſſime novit recitare: *Oreruba ybape ereybae &c.* Puerum precantem audire mihi videbar. Id quod inſolens profecto, ac admiratione dignum, cum aliarum avium fœmellas elingues propemodum, ac mutas fere experiamur. Nunquam comprehendi, quemadmodum pſittaci ex ultimis Aſiæ, Africæ, Americæ finibus a Batavis, Angliſve advecti, menſes, fors annos plures peregrinati linguam tamen ſeu Germanicam, ſeu Gallicam, ſeu aliam quamvis condiſcant, ſententias proferant, cum in Paraquaria non niſi implumes, e nido rapti pſittacorum pulli ad locutionem imitandam habiles putentur. Enimvero adultiores omnino indociles experti ſumus. Noctu potiſſimum, vel tenebricoſo in cubiculo, ubi rei nullius imago eorum oculis, ſtrepitus nullus auribus objiciatur, opportuniſſime, certiſſimeque

que loquelam docentur. Quamvis & in domus area funi ſuo, vel perticæ inambulantes interdiu canes latrantes, equos hinnientes, boantes vaccas, ſenes tuſſientes, pueros fiſtulantes, ridentes, flentesque ſenſim diſcant imitari, ad omnia attentiſſimi. Longo item rerum iſtarum experimento didicimus, pſittacos quosvis a pueris, fœminisque, quibus ſcilicet vox ſvavior, felicius, lubentiusque, quam a viris erudiri.

Paracaubay` dicti ejusdem, cujus Paracauteè, magnitudinis, ac figuræ ſunt, niſi quod plumis ſolum viridantibus, cæruleis pauculis veſtiantur, quin plumulam ſeu croceam, ſeu roſeam capiti, alis, caudæ inſperſam circumferant. Hi quoque natura magiſtra concionabundi deblaterant aliqua, quæ nemo intelligat. Vocem articulatam nec proferunt unquam, neque condiſcunt, fruges conſumere nati.

Aruay prioribus aliquantulum minor, formæ venuſtiſſimæ, coloribus item roſeo, flavoque, & viriditate longe amæniſſima ornatus, ac, ſi magiſtri ſolertia acceſſerit, mire loquax.

Iribaya, carduelibus Europæis vix major, obſcure viridis, plumulis rubeis, cæruleisque parce conſperſus. Circulus albus, qui oculos circumdat, a cæteris eum diſtinquit. Vividiſſimi quamvis ingenii, garrulus, inquietus, mordax, hilaris, ad locutionem tamen condiſcendam ineptus, ac ſtridulæ vocis. Quibusdam in ſylvis innumerabiles oberrant adeo, ut alterius generis pſittacus nusquam compareat.

Mbaracanà, aliique plures ejusmodi undique virides docilitate, venuſtateque omni carent, ab Indis tamen ſæpe educantur. Tuy` plures in ſpecies di-

dividuntur. Pennarum viriditas omnes commendat. Illorum minimi digitum viri auricularem longitudine non excedunt, admodum feſtivi, & quibusvis aliis mordaciores.

Pſittacorum, quos quidem Paraquaria gignit, omnium maximi, elegantiſſimique ſunt Quaà, vel ut alii dicunt, Quacamáyo, & Canindè. Hic pennis cærulei, quem Berolinenſem vocant, & flaviſſimi coloris; Ille ruberrimis, & obſcure cæruleis omni ex parte ornatur. Illorum cauda pennis cubitum longis ſuperbit. Eadem utriusque forma, & magnitudo, qua Gallum Gallinaceum longiſſime ſuperant. Roſtrum illis tam validum, corticem amygdali duriſſimum primo impetu ut confringant; caute propterea manibus contrectandi. Domi ultra, quam credi poſſit, cicurantur. In S. Joachimi oppido & Quaà, & Caninde mire manſvetos menſibus aliquot habui. In domus noſtræ area totis ambulabant diebus. Alter ab altero avelli nunquam potuit; Sed conſociati usque rixabantur, ut illud poetæ: *Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te* in illos veriſſime quadrarit. Coelo ſudo in turrim campanariam, quatuor e columnis ligneis, ut iſtic moris eſt, conſtructam per gradus ligneos, aſcenderunt frequenter, unde concionatorum more, continua alarum jactatione, vocis contentione, variatione que maxima ad circumſtantes verba faciebant, ſed nihil prorſus ſignificantia; vix enim loquelam condiſcunt, niſi quod Quaà hoc nomen ſuum voce rauca articulate pronunciet identidem, clamoſeque. Hos pſittacos ad Boni aeris Gubernatorem victoriis clariſſimum Petrum de Zeballos miſi, id temporis in Quaranico ſancti Borgiæ oppido ad orientale Uruquayi litus cum quingentis equitibus deſultoriis commorantem, qui, etſi admodum ſerius cætera, ac mi-

lirariter gravis has volueres in deliciis habuit, maxime Caninde, quod is dimachis ſuis, qui flavis pariter cæruleisque veſtibus utebantur, concolor eſſet. Optaveram ſæpe, ut Caninde pullus adhuc implumis e nido mihi afferretur, loquelam certiſſime a me docendus. Verum irrita hæc erant vota; Nam Indi ſeniſſimi quique in ſylvis nati, verſatique una omnes voce mihi reſpondere: *Tupâ immonangára ñote oiquaà &c.* Deus omnium conditor ſolus novit, ubi Canindè nidos condat ſuos. In abſtruſis nempe nemorum latebris, quas pauci ſubeunt, fœtus abdere ſuos creditur, unde cum pullis adoleſcentibus ad campos patentes advolat demum, ubi palmæ humiles Yataì nuces ſuas pro eſca propinant pſittacorum gregi. His in paſcuis per latentes ſub frondibus Indos Canindes plurimi Laqueis capiebantur. Vindobonæ in Cæſareo palatio, quod Belveder hodie audit, inter imagines, clariſſimorum omni ætate pictorum artificia effigiem Caninde pſittaci vivis, verisque coloribus optime expreſſam attonitus ſpectavi, optavique, eadem ut fidelitate Americæ res perſcriberent hiſtorici, qua pictor Americanam hanc avem figuravit. Tot pſittacorum ſpecies etſi ſeu venales proſtent in mercatorum Ulyſſiponenſium tabernis, ſeu in hortis principum ſpectandæ paſſim exhibeantur, Caninde tamen pſittacorum nulli venuſtate ſecundum nusquam deprehendi extra Paraquariam, quamvis & illa in provincia haud ubique terrarum viſatur, cum, ut alii, quorum memini, elegantiores pſittaci in ſylvis duntaxat ſeptentrioni propioribus incunabula ſua, ac ſtativa ſoleat habere. In locis ad Auſtrum magis vergentibus Pſittaci prægrandes, ſed obſcura viriditate triſtes, inconditis clamoribus moleſti nemora, præſertim palmeta gregatim pervagantur. Haud ſpernendi tamen, qui ibidem copioſiſſimi circumvolant, pſittaci

par-

parvuli alaudæ magnitudine, pennis pallide viridantibus conſpicui, quos Hiſpanus Catitas, Abipon Kikìlk vocat. Hilares ſunt, agiles, feſtivi, aſtuti, & ad verba aliquot pronuncianda ſat dociles. Coriaceis in caveis paſſim ſervantur. Incredibile, quantam ſtragem agris tritico Turcico conſitis inferant. Cuſtodibus, qui eas identidem arceant, eſt opus. In Sancti Joachimi oppido pſittacos novem, ſingulos diverſi generis, nominisque, rotunda in tabula, quæ tornato pede fulta ex alio in alium locum poterat transferri, collectos menſibus aliquot alui, obſervavique. Verum cum me abſente felis voraſſet aliquot, Aruay omnium venuſtiſſimus avolaſſet, ſuperſtites libertate donavi. Indi colorem nativum pſittaci ſui mutare norunt in alium, quem ipſi optaverint. Operæ pretium eſt ſingulare artificium explanare. Plumas naturales radicitus evellunt. Locum, unde avulſæ fuerunt plumæ, manu perfricant, donec rubeſcat, ſanguisque inde ſcaturiat. Plumarum veterum poris, ſeu alveolis ſuccum ejus coloris, quem volunt, inſtillant, imprimuntque. Si alis, ſi caudæ flavum, ſi cæruleum, ſi purpureum colorem infuderint, pennæ flavæ, cæruleæ, purpureæ ſenſim ſubnaſcentur. Id apud Braſilos, Quaranios, & teſte Patre Joſeph Sanchez labrador apud Mbayas Barbaros uſu receptum. Sed, ut idem obſervavit, vere, vel autumno ineunte id præſtari ab Indis: Colorem viridem in flavum facillime mutari: Plumis flavis, ſi evellantur, non niſi flavas ſuccreſcere. Hæc illius ſunt & monita, & experimenta. Quid ſi cui luberet idem Europæis in avibus experiri? Rara certe avis, ac pretioſa eſſet canaria rubicunda, Acanthis crocea, Alauda cærulea. Varios e ſuccis colores haud equidem puto Europæis defuturos. Indi pro purpureo granâ, ſeu cochinilla, pro rubro magis diluto Achote Uru-

 cù,

cù, Nibadena, pro flavo lucidiſſimo virga aurea, pro cæruleo Indigo, pro nigro Ñandipà utuntur. Pſittacorum amoenus color, ac hilaris garrulitas ut oculis, auribusque oblectandis, ſic caro ſtomacho ſatiando egregie ſervit, Hæc, cum ſit duriuſcula, ut miteſcat, tantiſper maceranda eſt. Indis tamen in itinere eſurientibus, quin & mihi ea uti induſtria nunquam vacavit. Fames optimum cibi condimentum. Quantamvis mandendi moleſtiam dentes tolerant, latrans dummodo ſtomachus tranquilletur. Suſpicaciſſimi cum ſint pſittaci, non quodvis tempus illis venandis eſt opportunum. In arborum ramis altiſſimis congregati dum confident, eorum quispiam ſummum arboris cacumen occupat, ubi ceu in ſpecula excubans, ſi quis hominum propinquet, clamore ſubito ſocios de periculo commonet, & ad fugam hortatur. Sole jam declinante Gallinarum more ad quietem componunt ſe ſe. Ingens plerumque caterva ad eandem confluit arborem. Eorum quivis eminentiorem ſibi dum ambit ramum, rixa cooritur quotidie, alter alterum de capta jam ſtatione deturbat; Horrendos inter clamores plumis, quas jam roſtro mordaci, jam unguibus ſibi evellunt, hac illac volitantibus. Has inter de loci eminentia pugnas laneo adrepit pede Indus, Hiſpanuſve venator, & ſeu ſclopo, ſeu arcu pſittacos litigantes ſternit. En ambitioſorum bellam imaginem. Dum alius alium e dignitatis gradu dejicere contendit, uterque non raro procumbit. In ſylva, quam fluvius Empalado alluit, cum Indis viæ comitibus dum noctem agerem, fœdiſſima tempeſtate exorta fulmen in vicinam nobis arborem pſittacis innumeris refertam excuſſum eſt. Qua qua verſus ſparſi vociferatione incredibili & aures noſtras, & omnem late viciniam com-

compleverunt. Si quando pſittacos, quos nobilium in ædibus videris, aliis, quam dixerim, nominibus audias appellari, memineris, eos vel ex aliis Aſiæ, Africæ, Americæve provinciis a Batavis, Anglis, Luſitanis fuiſſe allatos, vel novis pro arbitratu nominibus fuiſſe initiatos. Pſittacos albos criſtula rubra inſignes, Cacatù hic dictos: Alios item cinerei coloris, quos crebrius vidi in Germania, pluresque ejusmodi Paraquaria penitus ignorat, Pſittacos minores, quos Tuỳ lingua Quaranica dicimus, in Europa Perroquèt lingua Gallica appellant. Grandiores illos rubeis, cæruleisque pennis diſtinctos Quaà, ve Quacamayos vocamus, Germani Corvos Indicos perperam dicunt. Corvi Americani quales ſint, mox exponam.

Corvi Americani.

Corvi Americani nigri ſunt equidem, ut Europæi, ſed his multó longiores: Caput, collumque ad alarum principium usque calvum, glabrum, prorſus implume, ſed rugis conſitum habet. Cadaveribus quoque, & beſtiarum, quæ cæduntur, viſceribus veſcuntur. Quoties patente in campo, ut iſtic mos fert, boves jugulantur, tectis, arboribusve inſidentes corvi mox in relicta inteſtina irruunt, eorumque extremitates ſingulas ſinguli arripiunt, ac funis prælongi inſtar expanſas avolantes per aera raptant. Rex illis eſt pennis candidiſſimis nitens, qui, etſi rarius videatur, a corvis cæteris, undique nigris, veluti ſatellitibus ſtipatus volat. Rem nobis antea incredibilem in S. Hieronymi oppido ipſi ſpectavimus, de Regis corvórum adventu per Abipones commoniti. Hunc iſti Oaeñik, corvos vulgares Rateghàm, Hapeù, Roerepiglemarat appellant. Cum ſimilis ſimi-

li gaudeat, Abipones, qui rapto vivebant, corvorum rapacium pullos domi educare, mirumque in modum mansvefacere solent; Nam adulti heros suos equites, dum ad plures sæpe leucas rusticatum, venatumque excurrunt, volantes comitantur, illis subsistentibus subsistunt, cum redeuntibus ad oppidum redeunt, quin ab obviis Corvorum volantium catervis ad heros suos deserendos pellici se sinant aliquando. Corvorum pennas, quippe firmiores, sagittis adhibent suis plerique Barbarorum.

Caracarà, vel Carrancho.

Corvorum tribules, adjutorèsque sunt aves, quas Hispani Caracaràs, vel Carranchos, Abipones Eepràì vocant. Corpus ravi est coloris, ex fulvo scilicet in nigredinem desinentis, sed flavis, albisque punctulis variatur. Magnitudine gallinam, capite, rostro adunco, oculis, longisque unguibus, longa cauda accipitrem exprimunt. Cadaveribus, ut corvi, inhiant, Gallinis domesticis, avibusque cæteris perditissime insidiantur. Illorum caro nulli est usui.

Accipitres varii.

Caracaràs Kirikirì sequuntur accipitres varii coloris punctulis maculosi. Infinitus sim, si omnes, qui accipitrum ad genus pertinent, persequar. Horum e numero sunt Nariam Gavilan, Kataingìt Halcon &c. E noctuis frequentiores sunt Kikik Lechuza, Kaalekavalk mochuelo. Vespertilio Abiponibus Kahit, Hispanis Murçielago varius, ut alibi dicetur, ac frequens est.

Au-

Anſer.

Volucrum aquatilium tantus eſt paſſim numerus, diſſimilitudo tanta, ut ſi rite deſcriberentur, juſtum volumen implerent. Aliquas obiter attingam. Anſerum, Europæis ſimilium, incredibilem in lacubus multitudinem, rarius tamen, deprehendi. Anatum vero tanta varietas, atque frequentia non lacubus modo, ſed & amnibus plerisque ineſt, ut aqua innatantium beſtiarum ſtercore contaminata, potari a nobis neutiquam poſſet.

Anates varii.

Anates nigris, albisque pennis veſtitæ, quas Hiſpanus Patos Reales anates Regias, Abipon Kaënr'a vocat, frequentiſſimæ diem in aqua, noctem in arboribus aquæ vicinis tranſigere ſolent. Facilius, crebriusque extra aquam ſclopis trajiciuntur. Eorum pulli ad oppidum translati, rariſſime manſveſcunt. Anatibus aliis, quæ Roakabì ab Abiponibus dicuntur, plumæ verſicolores, pedes eleganter rubicundi ſunt. Anaticulæ, Abiponibus Ruililiè, noctu multo cum ſibilo gregatim volitant, & a ſuperſtitioſis Abiponibus manes, umbræ, ſeu vita functorum ſpiritus (Mehalenkachiè) creduntur. Memorabiles præ multis aliis videntur anates mediocres, roſeo colore à capite ad caudam eleganter pictæ, ſed pulchritudinis humanæ ſymbola. Nam quantum pennarum venuſtate oculos ſpectantium oblectant, tantum nares propinquantium innato ſibi fœtore affligunt. Sub pennis alarum, cæterisque corporis pulcherrimis (quarum non plumæ modo, ſed & ipſi, quibus ad ſcribendum utimur, tubuli ruberrimo tincti ſunt colore) pellis, & oſſa, caro modiciſſima, putidiſſimaque la-

tet. Incredibilis tolerandus eſt fœtor illis, qui fœtido e corpore pennas roſeas evellunt. Pennis anſerinis ſunt graciliores. His Abipones ad vertices ſuos ornandos, coronandosque; Ego ad ſcribendum diutiſſime ſum uſus.

Ciconiæ.

Haud deſunt in Paraquaria aves fluviatiles, ardeis, Ciconiisque Europæis admodum ſimiles: Has Hiſpanus çigueñas, Abipon Nétagřanak, illas Hiſpanus Garzas, Yauige Lichìl Abipon vocat.

Haria.

Haria Ciconiæ par magnitudine cum ſerpentibus congreditur acerrime, iisque roſtro confoſſis veſcitur. Manſveſcit cito in domibus Hiſpanorum, utiliſſimamque hortis operam navat, cum inſecta noxia perimere ſoleat, certe fugare. Riſum mihi ſæpe movit avis alia fluviatilis ingens, quæ ſi collum protendat, virum procerum altitudine tranſcendit, corporis pondere agnum ſuperat. Albi eſt coloris undique, pedibusque prælongis. Horas complures motus omnis expers, veluti meditabunda in aquis perſiſtit. Fateor, me illius nomen jam ignorare.

Corvi aquatiles.

In flumine Parana, & alibi corvi aquatiles, Abiponibus Halemřaye, numeroſi viſuntur, quorum pullis Barbari avidiſſime veſcuntur, quamvis

ab

ab avium, Gallinarum, pullorumque esu abhorreant universi. Longum mihi sit, varia avium aquatilium genera commemorare, quæ turmatim majora pervagantur flumina, & solo victitant piscatu.

Hirundines.

Ab avibus ad pisces jam jam transituro mihi visum est corollarii instar paucula de gallinis vulgaribus, & Hirundinibus adjicere. Istæ ab Europæis figura, voce, moribus nil differunt. Quamvis Paraquaria nivibus careat, cum tamen hybernis mensibus Austro frigido sæpius grassante aer tantillum exasperetur, autumno ineunte, perinde ut Europææ, alio migrare solent hirundines, hyememque, in nescio quibus, latebris transigere, sub veris initium rediturae.

Gallinæ Brasilæ.

Gallinarum Paraquariensium eadem, quæ Europæarum, forma est, ac plumarum varietas. Paucos ante annos e vicina Brasilia Paraquariæ illatæ sunt Gallinæ vulgaribus multo majores, sed non meliores. Durior est illarum caro, & saporis minus grati. Pulli ex ovis exclusi penitus nudi diutissime circumeunt, & non nisi aliquot hebdomadibus lapsis pluma vestiuntur denique. Gallus insolitæ est magnitudinis. Pro crista, quam nostrates circumferunt, coronam prægrandem purpurei coloris magnifice ostentat. An. 1748. in horto magni Hetruriæ Ducis Florentiæ diversissima Gallinarum, quæ ex Africa, Asiaque allatæ, genera spectavi, & exoticas earum figuras non potui non admirari. Jam squamigerum Paraquariæ gregem juvat contemplari.

Piſcium genera.

Piſces Europæos haud equidem deprehendi in univerſa Paraquaria, ſed illis aliquâ ex parte conſimiles non paucos. Mihi notiores nominibus ſeu Hiſpanicis, ſeu Indicis inſignitos breviter exponam. Viginti aliquot eorum ſpecies memoria retinui: Dorado; Pacù, Corvino, Mungrullù, Sábalo, Boga, Armado, Zurubì, Palometa, Patì, Peje blanco, Dentudo, Raya, Vagre, vel Ñundià, Mandiy, Machete, Suchì, Mojarra, Vieja, Anguilla, Murena, Peje Rey, Sardina, Almeja grande, Liſa, Piquì varii &c. &c.

Dorado.

Piſcis Dorado, qui a Quaraniis Pyrayù, ab Abiponibus Henegelraik vocatur, a ſquamis auri inſtar fulgentibus piſcis inaurati nomen obtinuit. Magni ſæpe eſt ponderis. Carnem offert ſolidam, candidam, palato jucundam. Illius caput in cupediis jure numeratur, etſi piſces alii plerique omnes ſine capite, quod in culina reſectum abjicitur, menſæ inferantur in Paraquaria. Aurati hi piſces & in fluviis capiuntur, & in quibusdam Oceani tractibus hamô capti ſunt a nobis quam plurimi, præſertim dum procelloſus aliquot horarum turbo nobis impendebat. Certatim hami eſcam prenſarunt adeo, ut tempeſtatem ſæviſſimam præſagiiſſe, timuiſſeque maris jactationem nobis viderentur.

Pacù.

Pacù, Abiponibus Katlaàn, Lancea, non longitudine tantum, ſed & latitudine, egregioque carnis ſapore eximius, quam adeps copioſus commendat.

Squa-

Squamæ fuſci, & in quibusdam ſulphurei ſunt coloris. Caput pro tanta corporis amplitudine videtur minutius. Parana præſtantiſſimo hoc piſce abundat, quin & minores, qui hoc cum flumine miſcentur, amnes.

Coruino.

Coruino in vicinia potiſſimum portuum Montevideo, & Maldonado, ubi aqua dulcis fluminis argentei cum marina commiſcetur, hamis fere capitur. Speciem aliquam Carpionis refert, ſed mole corporis, ſaporisque præſtantia excellit adeo, ut a remotis quoque civitatibus impenſe expetatur.

Mungrúllu.

Mungrúllu fluviatilium in Paraquaria fors maximus, robuſtiſſimusque. Interdum centenarii pondus excedit. Ejus caro firma, & rubicunda.

Zurubì.


Zurubì, Abiponibus Etapîamak, priori vix minor, non ſquamis tegitur, ſed pelle lubrica coloris, qui ad cinereum accedit, & punctis nigris majuſculis, tigridum more, undique eſt maculatus. Carnem præbet candidam, ſolidam, ſapidam, ac ſalutarem. Pondus ejusmodi piſcis ex hoc conjice, quod e pertica ſuſpenſus bajulatusque binorum Indorum humeros fatiget.


Patì.


Patì ſuperiori & pondere, & bonitate propemodum par cenſetur.

Armado.

Piſcis Armado nomine ſuo dignus utique, quippe a lateribus, a tergo branchiis, pinnisque octo acutiſſimis undique armatus, quibus piſcatorem, dum hamum ejus e faucibus retrahit, horrendum rugiens, ſe ſeque jactans configere nititur. Id circo, ut primum ex flumine protrahitur, valido ſtipite ejus caput eſt contundendum; Hoc latum, ranarum capiti ſimile, teſta duriſſima, ceu clypeo, munitum. Oculos habet exiles, ſed claros, ac circulo aureo cinctos. Os illi anguſtum, ſed barbâ hiſpidâ, ut militem decet, terrificum. Corpus ferrei coloris, ſquamis oblongis, duriſſimisque veluti loricatum. Craſſior hic piſcis, quam longior quatuor ſæpe, ſæpe ſex librarum, quin & plurium eſſe ſolet. Ejus caro ſolida, optimi ſaporis, & ipſis adeo ægrotantibus ſaluberrima putatur. Nobili hoc piſce Paraquayns fluvius abundat. Ex Aſſumptionis urbe ad Boni aeris portum navigantes quotidie hamô cepimus complures. Lineam, qua piſcabar, manui circumplicatam cum haberem, parum ſane abfuit, quin ab Armado prægrandi hamum trahente e navis prora in flumen raptarer. Sed miles Hiſpanus, ut Raphael Tobiæ quondam, periclitanti, vociferantique mihi opem tulit, linea, ut extricare manum poſſem, utroque brachio arrepta.


Palometa


Raya


Armado.



Vagre.

Vagre, Abiponibus Ypik, vel Yheloraye, Quaraniis Ñundià, truttarum e genere. Ejus caput dura testa tegitur. Cutis glabra, lubrica, punctulis rubris picta. Caro sapidissima est. In amnibus variis variæ istorum species occurrunt, quæ pinnarum, branchiarum, barbarum numero, magnitudine, & colore discriminantur, omnes tamen sapidissimæ. Ex eorum vesica, quæ dentibus primum conteritur, admixtoque vino cremato gluten tenacissimum conficitur, quo ad conglutinandas chelium tabulas Hispani, Indi Vilelæ, dexterrimi sagittarii, ad pennam mucronemque sagittarum arundini agglutinandum feliciter utuntur. Ad ejusmodi varios fines vesica Husonis, piscis Hungarici, usui est fabris Europæis.

Sávalo.

Sávalo ad Carpionis nostri similitudinem aliquantulum accedit, tenuior tamen, sapidiorque. Duabus libris graviorem vix invenias. Est spinosissimus præterea. Nusquam hamo capitur, licet in plerisque rivis, lacubusque frequentissimus. Cur isti nomen Piscis per antonomasiam ab Indis passim tribuatur, haud intelligo, cum cæteros minime excellat pisces. Ab Abiponibus certe Noay', quæ vox piscem quemcunque significat, dicitur. Idem apud Indios Mataràs observavi.

Bòga.

Bòga, ab Abiponibus Parik vocatus, a Sávalo parum differt; Hoc tamen præstantior, etsi minus frequens.

Peje



Peje Rey'.

Peje Rey' piſcem Regium denotat. Re enim ipſa, etſi corporis ſit vix mediocris, carne nobiliſſima præcellit. Et capitis & oris eſt ampliſſimi. Pinguedine omnino caret. In fluvio Parana, ubi ſanctæ fidei urbis agrum alluit, capitur duntaxat, vel in finitimis amnibus, ad quos fœtificandi gratia ſe recipere conſuevit. Recens adhuc inter præcipuas menſarum nobiliorum delicias numeratur. Solo aere, quin ſalis mica illi inſpergatur, ſiccatus ex illa urbe ad alias mitti ſolet copioſus, diuque ſervari poteſt incolumis. Si per viam tamen madefiat, confeſtim putreſcit. Ab Abiponibus Lalagr̂aik albus vocatur.

La vieja.

La vieja, quod Vetulam ſignificat, Abiponibus Aor̂aik, piſcis eſt ſingularis, & exoticus; Corpus enim ejus totum teſta valida, ſeu cortice corneo undique clauditur, quem ne culter quidem perrumpat. Hinc captus una cum concha ſua prunis ardentibus imponitur. Sic aſſus comedi ſolet. Rariſſime capitur hamo. Raro libram unam excedit. Amnibus biennali ſiccitate exhauſtis ſeu mortuos jam, ſeu moribundos plures in fundo deprehendimus.

Dentudo.

Dentudo ubique frequentiſſimus, & palato, ni tot ſpinis horreret, perquam jucundus eſſet. Vix unum pondo æquat. Hamo cepi innumeros, edique; ſed & hamos non paucos, corroſa a validis eorum dentibus lineâ, amiſi.

Raya.

Raya.

Raya figuræ tam insolitæ piscis est, piscibus ut vix adnumerandus videatur. Abipones Epaſañik eum appellant. Lancem, qua cibi mensæ inferuntur, ovatam planæ superficiei refert. Ejus tergus nigrum, venter albus est. In ejus medio os angustum, seu bucca conspicitur. Caudam teretem, tenuem, sed prælongam habet, quæ serræ instar denticulata aculeo venenato armatur in extremitate. Sub litoris arena latitans hoc aculeo nudos nautarum ambulantium pedes gravissime sauciat, dum potest. Vulnus mox tumescit, inflammatur, & nisi cinis calens ei protinus applicetur, mortem adfert. Hinc nautæ cautiores, dum remigationem molestam pertæsi adverso flumine navim fune trahunt pedites, sociorum aliquem præmittere solent, qui litoris, quod perambulandum, arenas baculo fodicet, feriatque identidem, ut Rayas, si quæ istic lateant, seu detegat, seu arceat. Mirandum sane, venenato hoc Rayæ aculeo, ceu scalpello ad secandam venam, Abipones impune, feliciterque uti. Caro Rayarum esculenta est equidem, sed a non esurientibus spernitur passim. Fateor tamen, diligenter frixam mihi eam sapuisse. Magnitudo, & forma Rayarum (Plures equidem earum species novimus) in variis varia est. Illas esse viviparas, constat. Earum in ventre embriones inventi sunt frequenter.

Palometa.

Palometa, quam Abipones Rakik dicunt, natantibus præ quovis Crocodilo est formidabilior. Maxilla enim quælibet quatuordecim acutissimis, triangularibus dentibus, ceu totidem mucronibus instructa il-

li pro armamentario eſt, quibus quamvis humani corporis partem invadit, unoque ſecat ictu. Plantam pedis altiſſime fiſſam in Abipone ſtrenuo, Pedis digitos quatuor in Abipone puero propemodum reſectos, & ſola e cute pendentes ipſus vidi. Binos milites Hiſpanos, qui nantes in flumine nantes equos ſequebantur, perfectiſſime eviratos a palometis novi. Horum alter ex urbe ſanctæ fidei fluvium Rey' (Abiponibus Ychimaye) id temporis tumidiſſimum transmiſit; Alter Correntinus ingens flumen Parana jam Paraquayo conjunctum. Incredibilia hæc tibi ne videantur, noveris, Abiponenſes fœminas Palometæ mandibulâ, ceu forficibus, ad tondendas oves etiamnum uti. Eadem, dum cultris fereis adhuc caruerant, ad Hiſpanorum cervices reſecandas Abipones olim utebantur. Hic piſcis ubique frequens, ubique obvius hoc tamen diſcrimine, quod in rivis minoribus minor ſit, & vix ſemilibram æquet; In fluviis majoribus in duarum, pluriumve librarum molem excreſcat, ejus tamen longitudine latitudini nunquam reſpondente. Tergore eſt curvo, capite obtuſo, ore hiante, oculis minutis, rotundisque, cauda biſulca, & late expanſa. Præter mandibulam, ut dixi, formidabilem, branchiis oſſeis grandioribus, & ſeptem pinnis aculeatis aggreſſori cuicunque minatur, quarum una medio in tergore longior caudam verſus excurrit. Corpus ſquamulis dilute cinereis tegitur, colore cæruleo, igneo, flavoque per intervalla intermicante. Caro illorum firma, candidaque non eſculenta modo, ſed & perquam ſapida, utinam minus ſpinoſa eſſet! Hamo cepi, edique innumeros. Eorum e faucibus dum hamus extricatur, cautis manibus attrectandi ſunt, ne ſeu dentibus, ſeu pinnis aculeatis vulnus infligant, quod & doloris, & periculi plenum experti ſumus.

Mbu-

Mbuzù.

Cœnoſis in lacunis, quin & in amnibus piſces viſuntur, anguillis Europæis ſimillimi. A Quaraniis Mbuzù, quod magnum ſignificat, ab Abiponibus Nauin vocantur, ſed a neutris, quod anguium ſpeciem referunt, eduntur. Cum ejusmodi piſcem, e fluvio ſalado forte allatum, comederimus, rumor Indos inter vulgabatur illico, Europæos homines ſerpentibus veſci. Illi piſces revera anguillæ num ſint, an anguium genus, necdum auſim affirmare. De cæteris, quorum nomina recenſui, piſcibus nihil admodum memorabile mihi in mentem venit.

Cancer fluviatilis.

Etſi vario piſcium lectiſſimorum genere abundet Paraquaria, Cancros propemodum ignorat. In quibusdam agri Uruquayenſis rivulis latere aliquos, aſt minutiſſimos, & forma non marinis, ſed fluviatilibus Germaniæ cancris ſimiles, intellexi dudum, quin & ipſe in Uruquayenſi Conceptionis oppido menſæ noſtræ illatos aliquot vidi, ſed tales, ut, ſi cum hujatibus conferantur, pigmæi, cancrorum umbræ, vel embriones poſſent putari. In tantis per Paraquariam itineribus, navigationibus, piſcationibusque; cum cancer præterea nullus uspiam in conſpectum mihi venerit, aut nullos paſſim dari, aut pauciſſimos, usque opinor. Cancer ab Abiponibus Oateleè dicitur. Miror illis nomen animalis ſuppetere, quod nemo eorum, certe pauciſſimi unquam viderint.



Cancri marini.

Cancrorum marinorum multa varietas, variaque eſt magnitudo. Minores ſquillæ, Gamari mediocres, grandiores Aſtaci a latinis dicuntur. Quantæ ſint molis aliqui, vel ex hoc, quod referam, conjectabis. Anno 1748. die ſexta decima Auguſti Ulyſſipone in menſa, cui interfui, cancri marini chela, ſeu brachium unicum lanci prægrandi, pernæ ſuillæ inſtar impoſitum ſexaginta aliquot hoſpitibus, quorum plerique aliquid ſibi inde decerpſerant, ſatis fuit, ſuperque. Hæc Cancri immanis portio oculis multum admirationis, jucunditatis prorſus nihil attulit palato.

Teſtudines fluviatiles.

Cancrorum penuriam in Paraquaria Teſtudinum frequentia ſupplet, quæ noſtratibus multo majores, ſed neutiquam meliores ſunt. Ab Abiponibus Epaȓek dicuntur. His amnes, lacus, flumina ſcatent. Vix hamum aquæ injecimus, ei mox teſtudo adhæſit, a nobis ſemper rejecta; Nam nec ab Hiſpanis, neque ab Indis in majori Paraquariæ parte editur. Timent Abipones, ne ex teſtudinum eſu innatam illis lentitudinem contraherent. In bimeſtri per Paraquayum & Paranam navigatione quotidie piſcantes ſæpe hamo teſtudinem cepimus, ſed a nautis citra moram in flumen ejectam: Malum hoc omen eſſe, affirmantibus timendumque vel naufragium, certe navis, ſi teſtudo illa remaneret, tarditatem. Tantam eorum in cerebro ſtupiditatem ecquis non rideat? Sed enim quis neſcit, trecentas ſuperſtitiones ubique gentium plebejis mentibus dominari? In ſancti Hieronymi, oppido teſtudinem eandem ſemel, iterum, ac tertio

co-

coquendam nobis curavimus. Verum vel toties cocta, recoctaque ea fuit duritie, ut illi mandendæ dentes noſtros impares doleremus. Is ſolum teſtudinum fructus in Paraquaria, quod earum conchis ampliſſimis pro patinis, lancibusque in culina vulgus utatur.

Teſtudines marinæ.

Teſtudines immanes, quæ centenarium pondere excedant, variis in maribus reperiri tum hiſtoricorum authoritas, tum mea me experientia docuit. Ex portu liburnenſi Ulyſſiponem navigantes nos menſe Januario exeunte pertinax multarum horarum malacia detinuit prope Algirienſem piratarum urbem. Per tranquilli, menſæque inſtar planiſſimi maris ſuperficiem innumeræ teſtudines] dormientes hac illac fluitabant. Cornelius Janſen navarchus ſuecus, vir optimus, ut ſcapha conſcenſa eas captarent, nautis petentibus copiam fecit. Iſti remis binis teſtudinum dormientium ventri ſuppoſitis duas ſupra triginta in ſcapham dextre jactarunt, & ad nos demum reduces attulerunt. Ponderatæ ſunt a Navarcho nobis aſpectantibus. Plerasque omnes quinquaginta circiter librarum eſſe, comperimus, præter duas nondum adultas, quas in ſveciam tansferre conſtituit Navarchus. In Scapha minori, cui aquam infuderunt nautæ, collocatas teſtudines obſervavi diligenter. Mandibulis erant tam validis, ut ſtipitem illis a me porrectum uno morſu, ceu ſtramen, contriverint. Noctu dormientes rhonchos edebant, quales nauta temulentus ſolet. Sveci illas ſenſim conſumpſerunt, una nobis dono data, qua tamen veſci ut poſſemus, ſvecorum dentes a nobis deſiderabantur. Tantæ erat duritiei. Navarchi navis Anglicæ, cui Principis Friderici no-

men, bellicæ vicario, ad nos bello ſcilicet ardente, examinandos miſſo binas item teſtudines noſter Cornelius impertiit. Teſtudines porro, quas in Mediterraneo cepimus, etſi ſat grandes, haud erant ex illarum genere, quarum e conchis pixides, & vaſcula varia confieri ſolent; Haud equidem ſolidæ, ſed veluti ex pelliculis variis, uti cæparum ſuperficies, compactæ conchæ illæ videbantur. Pretioſæ aliæ artificibus ad varia opera utiles ex inſulis Cuba, Jamaika, aliisque e provinciis adferuntur. In Quyana conchæ teſtudinum albo, rubeo, cæruleoque colore variatæ ſuppetunt. In Acadia pedes duos in diametro habere dicuntur. Plures alibi.

Teſtudines terreſtres.

Ut Abipones, Quaranii, aliique, quos inter verſatus ſum, Indi a teſtudinibus non abſtinent modo, ſed abhorrent etiam, ſic Indi Chiquiti illis potiſſimum per majorem anni partem aluntur. Eas, variis coloribus diſtinctas, per nemora, rupesque conquirunt laborioſe, ne illis menſibus, quibus eorum territoria alluvione merguntur, deficiat annona. Cum enim iſtic plus ſylvarum, montiumque, quam camporum ſit, deficientibus paſcuis nec tot boves ali, neque pro Indorum ſuſtentatione cædi queunt, uti Quaraniorum, Abiponumque in Coloniis ſolent. Carnem Igitur bubulam apud Chiquitos teſtudo ſupplet, quæ in Quaraniis carumbe appellatur.

Cochleæ.

Cochleæ, ſeu limaces conchis ſuis impliciti in ſylvis, campis, lacuumque marginibus innumerabiles paſſim viſuntur. Ab Hiſpanis Caracòles, ab Abi-

po-

ponibus Nalaginiga vocantur, ſed qnod quidem ſciam a nemine mortalium in Paraquaria eduntur. Vacuæ Cochlearum, ſeu limacum conchæ foco in calcem redactæ parietibus dealbandis ſerviunt apud Quaraniios, ubi lapides calci parandæ idonei deſiderantur, quamvis terram candidam, quæ Tobatỹ dicitur, Tripolitanæ conſimilem in promptu habeant multi, qua ad albedinem muris inducendam fere utuntur. Ex candidis limacum quorundam conchis Indi pedites Vilelæ incredibili cum patientia orbiculos, ſeu ſphærulas minutiſſimas, in medio perforatas, elaborare norunt, venduntque aliis Indis. Ingentes ejusmodi Sphærularum chordæ inſertarum faſces magni ponderis e collo ſuſpendunt Abipones; Viri, fœminæque eo ornatiores ſibi videntur, quo magis onerantur, Ad Uruquaỹ fluminis ripas quædam limacum ſingularium ſpecies viſitur, qui virili pugno majores ſua in concha aſſi ab Indis avide vorantur. De conchis, conchiliisque, ſi quæ ignobilia usquam ſuppetunt, cæteris nihil admodum memoratu dignum ſe mihi offert. Unionibus, lapillis nobilioribus, aliisque, quibus cæteræ per Americam provinciæ ſuperbiunt, theſauris deſtituitur Paraquaria. Quadrupedantes, cornutasque beſtias Paraquarienſium opes præcipuas eſſe, dudum affirmavi, id iterum, iterumque affirmo.

Piſcationis modi.

De piſcibus poſtquam dixi aliqua, aliqua de variis piſcandi rationibus dicenda reſtant. In urbe Boni aeris Hiſpani piſcatores flumen argenteum, quatenus vadoſum eſt circa litus, equites ingrediuntur. Funis, quo rete ſeu expanditur, ſeu piſcibus repletum contrahitur, extremitates bini manibus retinent,

& horis ſæpe non multis plurimos, nobiliſſimosque piſces ad litus efferunt, cuicunque mox venales. Indi, quos Payaguas, & Vilelas dicimus, piſcibus potiſſimum victitant. Cum in fluminum, lacuumve ripis ſtativa habeant ſua, piſces natando & æmulari norunt, & capere. Piſcatui rete perexiguum adhibent; Binas ejus extremitates præcinctorii inſtar ventri adſtringunt ſuo, binas alias utraque manu complectuntur. Sic præcincti e litore in aquarum gurgitem præcipitant. Si quem in fundo piſcem conſpiciant, eum ſub aqua nando inſectantur, & reti, quod ejus corpori ſupponunt, concludunt denique, ac a ripam deportant. Indum, quem ſub aquis diutiſſime latitantem jam ſubmerſum crederes, remotiſſimo in loco præda onuſtum e lacu emergere ſtupebis. Hos ſane urinatores rectius, quam piſcatores dixerimus. Pellucida fluvii unda, qualis eſt fluminis ſalado, ſi piſces reddat aſpectabiles, eos jam ſagitta, jam haſta, jam ferreo tridente in illos jacto Paraquarii configunt. Indi ſylvicolæ aſtibus, artibusque ſæpius, quam armis capiunt piſces. Interdum amnis ſpatium aliquod ſtipitibus injectis, ramisque arborum ſcite implexis ita ſepiunt utrinque, ac claudunt, ut ingreſſus quidem piſcibus pateat, exitus haud item; Eo fere id præſtant modo, quo Europæi piſcatores fiſcellas, corbium inſtar, e vimine, vel juncis textas in diverſis fluvii ſtationibus collocant, quas piſces, quin egredi queant, ingrediuntur. Alias plantam Yçipotingi, quæ per arbores ſerpit, vel Caraquatæ folia, aut radicem ejus recentem bene contritam aquis injiciunt, quibus piſces inebriantur, & dum ſui impotes in ſuperficie fluitant, manibus capiuntur. Sæpe foliis cujusdam arboris, quæ ad ripas amnis Atingy frequens, aquam flagellant. Succum ejusmodi foliorum piſcibus eſſe fatalem, ajunt. Ad

eun-

eundem pifces inebriandi finem Europæos quoque nucibus quibusdam ex Ægypto, vel Malabaria allatis, quæ cocculi di levante vulgo dicuntur, uti aliquando, puer adhuc intellexi. Nonnunquam uncis e ligno, vel arundine factis pifces capiunt Indi. Commune pifcandi inftrumentum, atque unicum nobis hamus ferreus fuit, cui bubulam recentem pro efca præfiximus. Ne vetita quibusdam diebus carne vefci cogeremur, dum Abiponum novis in coloniis verfabamur, ipfi ad remotiores fæpe amnes pifcatum excurrimus, fæpe ob palantes Barbaros cum vitæ periculo, nunquam citra moleftiam, quippe a culicibus, penes aquam frequentioribus, undique obfeffi. Vacuis eheu! non raro manibus domum redivimus.

Pifcatus maritimus.

Et Lufitani, qui in Americam navi nos vexerant, & Hifpani, qui in Europam nos revexere, pifcatui operam dederunt frequenter. Ad tempus fallendum alii, alii ad ftomachum recreandum, cum pifcis recens præ ficcis, falfis, rancidifque carnibus, præ lentibus, & fabis optabilior plerisque videretur. Ratio pifcandi varia. Lufitani ad alliciendos pifces panni rubri fegmentum, quod carnis fpeciem referat, hamo appendunt; Hifpani vero albas plumulas e Gallinarum clunibus avulfas, quas pifces majores pro pifciculis volantibus habent, avideque arripiunt. Ex quo quidem, pifces marinos vel magis efurire, vel magis ftupidos effe, quam fluviatiles arguo, cum fola carnis fpecie oculis objecta decipi fe, capique patiantur; Alii enim, qui in fluviis degunt, nifi carnem ipfam, vel vermiculos feu vifu, feu odoratu perceperint, hamum vix attingent. In diverfis Oceani tractibus diverfos commorari pifces, iden-

tidem obſervavi. Nam primis hebdomadibus non niſi Dorados cepimus. Multarum leucarum ſpatia emenſi non niſi Bonitos, quin Dorado vel unicus jam compareret.

Piſciculi volucres.

Piſcis hic præ aliis piſciculos volatores, quos Quaranii Pirabebè, Hiſpani Peje volador, alii Piſces Hirundines appellant, maxime procelloſo mari inſectatur; E mari evolant, ne vorentur. Luſitani nautæ diem Divo Franciſco Aſſiſiati ſacrum magnopere reformidant, quod ejus fune flagellari mare tunc, irritarique credunt. Hanc opinonem a majoribus ſuis acceptam, quamvis nobis ridicula, luculenterque ſuperſtitioſa videatur, experientia tuentur ſua. Et vero, quod fortuitum utique, ipſi nos idem experti ſumus. Eo equidem die vento tumultuoſiſſimo, licet nobis ſecundo, adeo concitatum eſt æquor, exaſperatumque, Ut poſt multos navigationis dies tunc demum piſciculos illos catervatim volantes viderimus. Eorum non pauci in navim decidere noſtram, a nobis cominus diligentiſſime conſiderati. Magnitudine haleci majori pares ſunt. Corpus illis teres, & circa caudam tenuius. Caput amplum & compreſſum. Oculi prægrandes, Globoſi, pupillæ nigerrimæ, circulo croceo, alioque maiori nigrican e circumdati. Os mediocre, dentibus orbum, ſed mandibulis limæ inſtar leviter denticulatis armatum. Cauda late expanſa, & bifida. Alæ ſat grandes, e membrana, papyro ſubtiliori, compoſitæ coloris, qui cinero proximus, albeſcentis. Pinnulis ſex, teſta oſſea, & in fine aculeata, ſquamis varii coloris, variæque figuræ, & halecis inſtar relucentibus veſtiuntur. Dorados ſibi inſidiantes eva-

evaſuri, ex undis avolant. Sed enim hic volatus paucorum momentorum eſt; Nam alis aere ſiccatis in æquor recidunt. His denuo madefactis repetunt volatum. Diverſis in maribus diverſam eſſe eorum figuram, ac magnitudinem, noveris præterea. Nautæ luſitani illorum carnem haud aſpernantur.

Tuburon piſcis prægrandis.

Sed cum huic hominum generi major plerumque eſuries ſit, ſtomachusque capacior, piſciculis palmaribus neutiquam ſaturandi, piſcibus grandioribus inhiant, Tuburonibus, cumprimis, quorum plurimos noſtra in navigatione ferreo librarum plurium hamo ceperunt. Tuburones plerumque naves ſequuntur, ac quidquid ex his ſeu cadaverum, ſeu quisquiliarum, ſordiumque ejectum fuerit, abſorbent. Adeo vaſti ſunt corporis, ponderisque tanti, ut nautæ robuſti duodecim ſingulis e mari ad navim fune trahendis vix, ac ne vix quidem ſufficiant. Neque id mireris, velim; Tuburon enim ad novem circiter pedes longus, tres, pluresve latus eſt. Horrendæ illius fauces, in quibus dentes ſerrati triangulares triplici ordine locati excubant, ad quidquid diſcerpendum prompti. Truculento, & ſemper vigili eſt obtutu. Pelle tegitur aſperrima varii coloris. Quoties a nautis captus exenterabatur, ejus ſtomachus riſu dignum ſpectaculum nobis fuit. Scrutariam quisquiliarum omnium tabernam videre nobis videbamur. Attritas uſu veſtes, obſoletas interulas, vento abreptos petaſos, Gallinas integras, quidquid demum a nautis in mare dejectum, in eo deprehendimus. Repentinus venti impetus pileolum, quem ſoli Deo vulgo dicimus, ſociorum meorum cuipiam noctu rapuit, & in mare deturbavit. Poſtridie in ſto-

ſtomacho Tuburonis ante meridiem capti repertus idem pileolus, ſed phlegmate viridi, ceu muſco obductus, domino redditus eſt ſuo mire plaudenti quod alium, quo caput tegeret, non haberet. Noſtrum plerique, eum pileolum, qui noctem integram in Tuburonis abdomine egerit, non in capite porro geſtandum, ſed in rerum exoticarum cimelio dein ſervandum eſſe, exiſtimarunt. Sunt, qui Jonam Prophetam a Tuburone olim abſorptum fuiſſe, opinentur, eumque piſcem canem Carchariam, vel Lamiam vocari, neſcio, quo jure, contendunt. Illud mihi compertum, humanis cadaveribus vel globos tormentarios, vel ſaxa appendi, ut, dum in mare jactantur, fundum petant, ne in maris ſuperficie fluvitantia a Tuburonibus confeſtim dilacerentur. Illorum carnes, licet candidiſſimas, præter nautas famelicos nemo unus deguſtavit. Quamvis & hi Tuburones fœmellas aſpernentur. Unam, quam me adſtante ingenti cum labore ceperant, ſexu ejus cognito in mare protinus rejecerunt. Cauſam diſcriminis ignoro. Abipones locuſtas fœminas aſſas comedunt, faſtidiunt, abjiciuntque maſculos. Cur? Ipſi noverint.

Delphini.

Novem menſibus, quos in Mediterraneo, Oceanoque navigans, renavigansque conſumpſi, plures alias ſquamigeri gregis formas viſu terribiles ſpectavi equidem; Sed præter piſces mediocres, ac Tuburones ex hac Neptuni familia a nautis captum eſt nihil. Mari tranquillo, vento quieſcente Delphinos feſtiva corporum jactatione, veluti choreas agere vidimus crebro, quin tamen ejusmodi ſpectaculum nobis fuiſ-

ſet

ſet jucundum, Delphini tripudium turbinis, tempeſtatisque impendentis prænuncium eſſe, ac prodromum, toties expertis.

Balenæ.

Balenarum immanium, etſi nunquam navi propinquaverint, conſpectus in Oceano nobis minime rarus, ſed bis omnino terrificus fuit. In Braſiliæ deſertis litoribus myoparonem piraticum videre nobis videbamur. Ne quid ſiniſtri nobis accideret, Navarchus luſitanus, qui tum domierat, confeſtim accerſitur. Is e ſupremi mali faſtigio cetum ampliſſimi corporis tubo optico detexit. Fluctus inter jactans ſe ſe immanis bellua navis ſpeciem referebat. Pinna eminens, quæ interdum ad quinquaginta pedes alta dicitur, malum expreſſit. Ex horrenda capitis branchia, veluti ex ſiphone grandi incendiario, vim aquarum incredibilem identidem in altum ejaculabatur, quæ a vento diſperſæ, & a ſolis radiis (Nam paulo poſt meridiem fuit) illuſtratæ velorum navalium more albeſcebant. Hæc erroris noſtri, terrorisque Panici origo fuit, qui mox communem in riſum deſiit; Adeo enim cetus nobis jam propinquior, nunc columnæ inſtar in altum erectus, mox fluctibus depreſſus mimicis geſticulationibus hiſtrionem egit. In Europam renavigantes aquas modo inſolito ſubſilientes, refractasque haud procul a navi conſpeximus. Scopulos, vel brevia in propinquo ſuſpicatus Navarchus proram alio rſum verti juſſerat. Aſt fœtor intolerabilis putridum ceti prægrandis cadaver, in quod aquæ reſilientes impingebant, nobis detexit, curasque abſterſit omnes. Ad ſtygiam illam mephitim levandam plus tabacæ Hiſpalenſis naribus intruſum hora unica, quam integris alias diebus.

Ba-

Balenæ eodem, quo naves, fato intereunt, dum vadis, brevibusque illisæ ſenſim emoriuntur; Earum tamen cadavera a pelago æſtuante ad litora interdum ejecta, ſpectamus. De melotis piſcibus vaſtiſſimis, quarum greges innumerabiles hebdomadum aliquot ſpatio menſe Novembri obvios habuimus, alio jam loco mentionem feci. De piſcibus ſeu marinis, ſeu fluviatilibus, de conchiliis &c. plura noſſe ſi cupias, Ychtyologiam Kleinii, Linnæum, Aldrovandum, Geſnerum, Rondeletium, Liſterum, Rumphium, aliosque id genus viros clariſſimos conſule; Hi ex inſtituto iſta fuſe, &, ut ajunt, ſyſtematice pertractarunt; Ego velut aliud agens mea potiſſimum experimenta adnotavi, & ad Abipones, ſcriptionis meæ ſcopum præcipuum, feſtino, quibus pro piſce quovis bubula, vel ferina caro magis probatur, etſi plures Americæ populi Ychtyophagi piſcibus non veſcantur modo, ſed & mirum in modum oblectentur. Ex aqua jam ad campos, ſylvasque Paraquariæ tot plantis, arboribusque exoticis ſuperbientes transeamus.

Plantæ.

Sacerdos noſter Thomas Falkoner Anglus ſcientia medica, Botanicaque in paucis clariſſimus, qui Barbaros inter auſtrales fretum Magallanicum verſus diu verſatus Paraquariæ annos permultos utilem navavit operam, ſæpe, palamque dictitabat: Paraquariam tot plantis, radicibus, reſinis, lignis, fructibusque ſaluberrimis a benefica natura fuiſſe locupletatam, ut quisquis earum rerum cognitione tinctus ſit, ad morbos quosvis profligandos Europæorum pharmacopæis neutiquam habeat opus. Nam, ſeneca teſte, medicina paucarum quondam fuit ſcien-

tia

tia herbarum, deinde ad hanc pervenit tam multiplicem varietatem. E multis, quæ ſeu ad medicamenta, ſeu ad alios hominum uſus offert Paraquariæ ſolum, præcipua exponam eo, quo mihi in mentem venerint, ordine. Articulatius, enucleatiusque iſta authores Botanici ſcripſerint, nil dubito; Num verius quoque, iſtud non auſim polliceri de ſingulis.

China chinæ, ſeu cortex Peruvianus.

Arbor Pizóes ab Indis chiquitis dicta eorundem in finibus perfrequens, &, ſi quæ alia, memorabilis, quippe cujus cortex china chinæ, cortex Peruvianus, vel Febrifugus appellatur. Arbor hæc mediocris proceritatis, neque magnæ molis fructum profert prope orbiculatum, in medio non nihil elatiorem, ſed minime eſculentum, qui nucleos duos flaveſcentes, & amygdalorum corticis inſtar undique ſulcatos continent. Liquore balſamico fuſci coloris, odoris ſuaviſſimi, ſed inſigniter amaro turget. Indi hoc balſamo dolores oculorum, gutturis, & ſtomachi ſedant, ſi ex frigore fuerint orti. Cortex arboris natura ſua albet, ſed a trunco avulſus in ſuperficie ſenſim obſcure flaveſcit, maculisque pallidis aliquantulum variatur; Intus vero non ſanguinis, ſed cinnamomi more eſt rubicundus, & flavedine quadam tinctus; Saporis eſt amari, ſed aromatici, odoris grati quidem, ſed quodamodo ranciduli. Supervacanea hæc deſcriptio rei, quæ in omnium oculis, ac manibus hodie verſatur, cuiquam poſſet videri. Corticis iſtius cum tantus ubique gentium ſit uſus in febribus, morbisque aliis curandis, ſæpe mirabar, Peruvienſes, Quitenſesque, ubi arbor hæc maxime naſcitur, ſylvas dudum exhauſtas non fuiſſe. A quibusdam cortex Peruvianus pulvis Jeſuiticus dicitur quod Jeſuitæ

in

in Peruvio Miſſionarii ſingularem ejus ad febres expellendas virtutem primi vulgaverint. Ab Eminentiſſimo Cardinali de Lugo, Jeſuita prius Hiſpano, hæc medicina anno 1650 in Europam allata dicitur a Clariſſimo Medico Woyts.

Zarza parrilla.

Zarza Parrilla radix eſt plantæ ſarmentoſæ viridis, ſpinis per intervalla minutiſſimis armatæ. Folia habet prope ſpithamam longa, ad quorum exortum duo capreoli, veluti cincinni prodeunt, quibus ſe plantis aliis implicat. Flores racematim naſcuntur, quibus baccæ ſuccedunt primum virides, dein' rubeæ, denique, poſtquam maturuerint, nigræ, & ceraſorum ſiccorum inſtar rugoſæ, quorum formam quoque, ac magnitudinem imitantur. Hæc planta a Quaraniis Yuape cangà, ab Hiſpanis Zarza parrilla dicitur, quia ut dixeram, ſpinoſa eſt; Zarza enim Hiſpanis plantam ſpinoſam denotat, uti eſt Zarza mora, Rubus. Parrilla Hiſpanis eſt Craticula, in qua carnes aſſantur, Cum igitur plantæ iſtius folia tribus neruis majuſculis in longum excurrentibus, multis autem venulis transverſim poſitis craticulæ formam aliquomodo exprimant, nomen *Parrilla*, ſeu Craticula plantæ obtigit, quam Botanici ſmilacem aſperam Peruvianam, alii ſarmentum Indicum appellare ſolent. In litoribus fluviorum Uruquayi, & Nigri, quorum aqua a ſalubritate eximia laudatur, Zarza parrilla perfrequens eſt, imo & in ripis fluvii tertii (El Rio Terzero) reperitur in urbis ſanctæ Fidei agro, & in aliis Americæ terris. Quæ ex territorio de las Honduras adfertur, plurimum celebratur. Radices zarzæ parrillæ, quibus duntaxat virtus medica ineſt, penna anſeris, qua ſcribitur, vix craſſiores, in ſuperficie rugoſæ, &

fuſcæ

fuſcæ, intus vero candidæ ſunt, omnesque ex eodem plantæ condylo, ſeu nodo naſcuntur Sapore, odoreque ſingulari carent. Ex reſina & gummi, quod pars earum lenior eſt, conſtant. Coctæ aquam rubro tingunt colore. Radicum harum uſus multiplex medicis, quin & ægrotantibus notior eſt, quam ut explanari a me debeat. Aliud quoque eſt plantæ Yuapecangà genus, quod venenatis animalium morſibus dicitur mederi, & Vejucus ſerpentium, imo Radix Chinæ ab aliis putatur.

Rhabarbarum.

Rhabarbarum, Hiſpanis Ruybarbo, radix eſt plantæ ex genere lapathorum. Ex foliorum vagina oritur florum faſciculus in plures ramos diviſus, cui flores quatuor foliis cincti incumbunt, e quibus ſemen triangulare oritur. Radices ſunt longiuſculæ, non nihil ſpongioſæ, ſat multi ponderis, foris flavescentes, intus, ut nux moſchata, marmoris inſtar variegatæ, ſaporis acrioris, amaræ. Eas mandentibus faſtidium creant, & aroma redolent. In diverſis Paraquariæ tractibus, maxime in alpibus (la Cordillera) Aſſumptionis urbi propinquis, ad ripas quoque amnium Ypane miri, & Tapiĩaquay Rhabarbarum provenit Alexandrino colore, ſapore, odore, virtuteque ſimile eo tamen diſcrimine, quod folia Alexandrini in ſuo exortu cuſpidata, in fine ſint latiora; Paraquarienſis vero Rhabarbari folia primum lata, dein' in cuſpidem deſinant, uti folia liliorum, teſte Joſepho Sanchez labrador, cujus fide id ſcribo. Rhabarbarum ex Indiis, quæ ſolem orientem reſpiciunt, ex Perſia item, Moſcovia, & Tartaria allatum a medicis Americano præferri, audio.



Jalapa radix.

Abundat Paraquaria radicibus Jalapa, cujus planta Mirabilis Peruviana a Botanicis dicitur. Hæ radices longiuſculæ ſunt, Craſſæ, & reſinoſæ. Si foris leucophæi, ſeu cinerei coloris ſint, intus vero citra ullam cariei notam ſplendeſcant, maxime probantur. Non bilem ſolum, ac pituitam, ſed alios etiam noxios humores e corporibus expellunt. Fit ex illis Reſina Jalapæ, utilitatis luculentæ. Jalapa a quibusdam Mechoacàn nigrum appellatur.

Mechoacàn.

Mechoacàn radix ingens, ſed levis, initio undique alba, deinde cinerea evadit. Ab aliquibus Bryonia Indica dicitur; Sed licet ad ſimilitudinem Bryoniæ accedat, ejus planta convolvulus eſt, folia gerit cordis figuram exhibentia, & baccas exiles producit. Mechoacàn etiam Rhabarbarum album vocatur, infantibus leniter purgandis opportuniſſimum; Pulvis enim, in quem radix redigitur, ſaporis expers farinæ ſpeciem refert.

Saſſafràs.

Saſſafras arbor, per omnem prope Americam frequens, & ſalubritate, & elegantia ſe commendat ſua. Trunco eſt rectiſſimo, plano, & ad triginta circiter pedes procero, ubi demum in ramos, frondesque ejus ſe explicat cacumen. Non lignum modo iſtius arboris, ſed & cortex, & radix inſigni pollet fœniculi fragrantia, quæ cum cariem, putredinemque arceat, hoc lignum per annos quam plurimos durat, ut pharmacopœorum, ſic fabrorum

of-

officinæ utilissimum. Santali instar coloris est e cineraceo in flavum desinentis: Saporis acris aromatici, sed una grati odoris. Circumspiciendum caute pharmacopolis, ne pro ligno Sassafras lignum abietis rubræ in aqua cum fœniculo coctum sibi a negotiatoribus exteris obstrudatur. Est & alia arboris Sassafràs species. Hæc foliis lauri vestita fructum gignit odoriferum, & postquam maturuerit, nigrescentem. Cortex e cinereo obscure rubri coloris est. Iisdem, quibus prima, hæc altera species virtutibus pollere dicitur ad sudores, & urinam ciendam, ad morbos e frigore ortos, ad luem Gallicam, viscerum obstructionem, uteri intemperiem &c. curanda. Neque pluribus opus est. Medici nostrates ligni apprime salutaris & vim, & usum probe norunt. Apiterebí, frequens in Paraquaria septentrionali arbor, arboris Sassafràs genus esse præterea quibusdam videtur.

Lignum sanctum.

Arbor, quæ ab Hispanis Palo santo, ab aliis Lignum sanctum, ab Abiponibus Enèrañañat dicitur, ampla quidem est, haud tamen admodum procera. Foliis vestitur parvis, & propemodum rotundis, quorum bina ex singulis pediculis, seu caulibus prodeunt, in summitate veluti incisa. Flores, qui partim in medio, partim in extremitate ramorum singuli, vel bini nascuntur, flavent. Lignum, si quod aliud, durissimum est, & vel in aquis prope æternum. Medulla arboris plumbei coloris est. Resinam, quam arbor sudat, amaram, aromaticam, perinde ut lignum, medicinalem esse ajunt Eadem, uti & illius gummi in pulveres convertuntur, quos cum aqua calida potos dysenteriæ mederi credunt Para-

quarii. Quibus præterea morbis, qua ratione salutare hoc lignum adhibendum sit, meum haud est suggerere. Hispani indigenæ cochlearia, quibus in mensa utuntur, pocula, e quibus herbam Paraquaricam bibunt, fistulas, e quibus tabacæ fumum hauriunt, e ligno sancto fabricatas, pro thesauris, & alexipharmacis domi habent. Hæc arbor non in Australi Paraquaria, sed in Boreali, ubi Mocobii, Abiponesque habitant, solum provenit, & in quibusdam Tucumaniæ superioris tractibus. Milites corrientini Nicolao Patron Pro-Gubernatore suo Duce in chacum provinciam eo fine excurrerunt aliquando, ut viam, qua olim herba Paraquarica per Vallem bonam (Val buena) ad urbem salta plaustris devehebatur, rursus detegerent, & Mocobios adhuc Barbaros, si locorum, temporisque opportunitas tulerit, oppido novo sancti Ferdinandi semper infestos multarent. Multum jam in chaco progressos Hispanos, & citra hostium suspicionem meridiantes Amokin Caziquius longo Mocobiorum suorum agmine stipatus oppressit, terruitque. Pro-gubernator, etsi cætera strenuus, impavidusque tanto Barbarorum numero imparem cum se putaret, per interpretem suum Hispanum (Casco illi nomen erat) annos plurimos Abiponum captivum Mocobiis blandiri maluit, & ne ad manus veniretur, impedire. Aureos Caziquio pollicebatur montes, ac hostili se animo adesse, pernegabat. Neque latum unguem progredi porro ausus, re infecta, domum rediit. Milites, qui lauros, palmasque messuri excurrerant, ligno sancto, quod per viam secuere, onusti urbem ingressi sunt. Et vero rem magnam præstitisse sibi videbantur, quod ope ligni sancti, si non sanctiores, certe saniores se futuros nil dubitarint. Irrita hæc in chacum expeditio tanto

to cum ſtrepitu ſuſcepta, cum exitus exſpectationi nulla ex parte reſpondiſſet, omnium ſermone, ac riſu eſt celebrata, me id temporis in vicino S. Hieronymi oppido apud Abipones agente. Paulo poſt ad S. Ferdinandi oppidum translatus cum negotii cauſa in urbe Corrientes verſabar, interpretem agere juſſus ſum ejusdem Caziquii Amokin, qui cum ſuorum Mocobiorum manipulo ad viſitandum Progubernatorem Patron repente venerat. Sed enim vir bonus tum denique perſpexit, faſſusque eſt, ſe Mocobiis, dum eorum multitudine oppreſſum ſe in chaco viderat, viribus, facultatibusque ſuis majora promiſiſſe.

Quayacàn.

Hallucinantur profecto, qui lignum ſanctum, & Quayacàn idem eſſe ſibi perſuadent. Etſi enim utrique ligno easdem prope vires ad morbos quosdam eliminandos ineſſe, haud inficiemur, arbores tamen, ut nomine, ſic forma differunt luculenter. Quayacàn enim, quod Abipones Enerapanpat Laèrana vocant, in majorem altitudinem aſſurgit, Nuci arbori propemodum par. Ramis abundat. Folia gerit dura, minuta, foliisque Algárrobi arboris, quæ ſiliquas græcas profert, ſimilia. Ejus flores crocei ſunt coloris, e quibus fructus, pingui ſemine fœti, oriuntur. Medulla arboris quo nigrior, eo magis reſina prægnans. Cortex arboris ejusdem durus, reſinoſus, ex pluribus veluti telis ſeu pelliculis compactus, foris coloris cinerei maculis conſperſi, intus pallidi in ruborem deſinentis; Saporis amari, odoris non ingrati eſt, plusque efficacitatis in medicina habere creditur, quam ipſa ligni ſegmenta. Joannes Fabri medicus Florentinus, Fracaſtorius, Huttenius, Boerhave, & qui non? Quayacan, ſeu, ut illi lo-

quuntur, Quayacum, ceu validiſſimum luis Gallicæ remedium laudibus in cœlum tollunt. Illuſtriſſimi quoque Barones Gerardus Van Swieten, & Antonius Störck Cæſarei Archiatri, aliique, quibus Vindobona hodie gloriatur, doctiſſimi Medici uſum Corticis Peruviani, Rhabarbari, Zarzæ parrillæ, Jalapæ, Mechoacàn, Saſſafras, ligni ſancti, & Quayacan magni faciunt etiamnum, etſi pluribus aliis, In quibus fidei, fiduciæque pluſculum collocarant veteres, medicamentis exteris ſeu contemptis, ſeu valere juſſis. Id mecum reputans nobiliſſimarum plantarum deſcriptioni tantiſper immorandum mihi putavi. Obiter perſtringam, quæ memoriæ occurrerint, cæteras, variis uſibus opportunas.

Zuyñandy̆.

Zuyñandy̆ arbor vaſta, celſaque ligno conſtat molli, cortice, qui multo humore turgeſcit, craſſo: Floribus puniceis, qui ex folio grandiori expanſo, & ſerici inſtar blando videntur componi. Cortex, pellis aſperioris ſuperficie nudatus, riteque contuſus vulneribus, ſi applicetur, curandis mirum in modum conducit, quæ ſeu unguibus, ſeu dentibus tigridis fuere inflicta.

Zamuû.

Zamuû & forma, & nomine ridiculo gaudet; Ab Hiſpanis equidem Palo borracho arbor ebria appellatur. Eſt procera. Truncum ſpinis grandioribus undique cinctum, flores majusculos, pulchreque rubentes, inſolitam cæterum figuram oſtentat. Nam trunci pars ſumma, & infima anguſta, media ampliſſima eſt doliorum more. Inde eſt, quod

quod ex ejus ligno admodum molli facillime canthari, vel dolia conficiantur. Quanto longius a fluviis abeſt, tanto plus hæc arbor dilatatur. Adeo ab aqua abhorret, neque tamen ſterilis eſt; Fructum namque profert rotundum majoribus quibusdam cucurbitis ſimilem, corticisque minime fragilis. Hic, poſtquam maturuit, ſponte diſſilit, floccosque laneos Goſſipio ſimiles detegit ſerico blandiores, ſed fibræ adeo curtæ, ut fila ex iis non niſi ægerrime duci queant. Illius arboris ſpinæ non lædendis, ſed juvandis hominibus natæ videntur; Nam contritæ coctæque aquam rubro imbuunt colore, quæ oculis ægris mederi dicitur. Idem ejus folia præſtant.

Mangaÿ.

Mangaÿ ceraſi-arboris magnitudine, floribus candidis, qui odorem ſpargunt perjucundum. Fructum gignit aurei coloris, & pruno majori parem. Maturus palatum ſuaviſſime afficit, quin officiat ſtomacho. Et arbor, & fructus lacteo quodam & reſinoſo affluit ſucco. Is (Mangaÿcï dicitur lingua Quaranica) cortice inciſo uberrimus manat, & manibus, vel tabula excipitur. Aura accedente coagulatur, & in pelliculæ ſpeciem coit. Hæc in pilas convolvitur, vi quadam elaſtica tam inſignes, ut a ludentibus ſolo leviter alliſæ altiſſime ſubſiliant. Singulæ ſcuto, ſeu imperiali Hiſpanico in Paraquariæ urbibus veneunt, ubi aliquis viget monetæ uſus; Alias, quod univerſim obſervandum, res, quæ imperialis pretium æquent, uti Goſſipium, tabaca, ſaccharum &c. porriguntur ab emptore. Idem liquor reſinoſus Mangaÿcï adverſus dyſenteriam multum valere dicitur. Dolendum magnopere, quod pauci admodum huic re-

resinæ colligendæ dent operam, multis vel in Europa usibus futuræ.

Sanguis draconis.

Arbores Caá verà, e quibus sanguis draconis (Sangre de drago Hispanis) provenit, mediocres sunt, seu truncum eorum, seu altitudinem spectes. A botanicis quibusdam Palmæ pruniferæ foliis jaccæ appellantur, sed, me judice, nullam cum palmis habent affinitatem. Ex urbe Assumptionis ad Boni aeris portum navigantes in litoribus Paraquay & Parana, ubi tot noctes a nobis actæ, harum arborum sylvas densissimas deprehendimus. Ex earum trunco alte inciso succus profluit & colore, & spissitudine sanguini consimilis. Igne decoctus in resinam condensatur hepatici coloris. Aliquando hirci sanguinem Bolo, vel Lignum Brasilium rubicundum Gummi Arabico permixtum Pharmacopolis Europæis a mercatoribus exteris pro sanguine Draconis vendi, medici conqueruntur. Salutari arboris Caa vera ligno ad scalpendos dentes utendum suadent nonnulli. Quamvis receptum ab Hispanis proverbium: *Con oro, ò plata, ò bisnaga, ò nada* dentes vel auro, vel argento, vel bisnaga purgandos esse, vel prorsus non tangendos, affirmet. Bisagua planta est fœniculo persimilis, & passim prostat in Paraquaria. Illius pediculos, seu caudices pro dentiscalpro adhibent plerique, ut alibi lentiscum.

Cupay.

Paraquarienses arbores etsi fructus suos sua sponte, palamque offerant indigenis, oleum tamen, quo prægantes sunt, non nisi cæsæ, vulneratæque red-

reddunt. Harum ſane de numero eſt Cupay arbor vaſta, procera, foliis ſemipedem longis, nervis, venisque ſubrubentibus conſpicua. Præter lignum obſcure rubrum, durum, fabricisque idoneum præbet fructum in ſuperficie fuſcum, cujus nucleus magnitudine, ac forma juglandem imitatur. Is fructus dulcedinis plus, quam carnis licet habeat, ab Indis inter eſcas, a ſimiis inter bellaria etiam numeratur. Sed enim nominis ſui claritatem, pretiumque hæc arbor oleo, quo turgeſcit, nobiliſſimo debet ſuum. Succum hunc plurimis apprime utilem ut elicias, armata manu opus eſt, opus eſt induſtriis. Multiplici experimento doctus docebo te methodum. Truncus arboris (quæ nec annoſa ſit, nec nimis tenera) ad medullam usque ſecuri inciditur. Paulo poſt peractam inciſionem crepitum tenuem, ab oleo ex ramis, & cacumine defluente excitatum ſenties; Aura ſcilicet calentior per poros ſectæ arboris liberalius ſe inſinuans oleum natura reſinoſum, ſpiſſumque rarefacere, fluidiusque reddere videtur. Ad hoc citius, certiusque impetrandum oppoſito arboris inciſæ lateri ramos aridos ardentes applica, quorum calore oleum per arboris fibras ſparſum magis, magisque liquatur, & uberrime profluit in vas trunco ſubjectum. Paucas intra horas cantharum oleo repletum, videbis, Cantharos plures replere ſi cupis, plures arbores Cupay incide, in ſylvis Paraquarienſibus, quæ Boream reſpiciunt, frequentiſſimas; Alibi vel raras, vel nullas. Hæc operatio verno tempore, ſeptembri menſe, luna plena ſuſcipienda eſt. Si enim luna deficiente, ſi æſtate, ſi hyeme eam ſuſceperis, actum ages, ne unam quidem olei guttam quibuscunque induſtriis elicies. Id certum mihi, & repetita experientia compertum. Rideo illos phyſicos, qui lunæ nullam in plantas vim ineſſe contendunt.

dunt. Experimenta terra, marique a me facta contrarium me docuere. Neque mirum verno solum tempore, quo maxime vigent arbores, oleum manare. Hoc ab aqua vix discrepat colore, saporis est amari, odorem nec suavem, neque naribus molestum spirat, & non medicis duntaxat, sed & pictoribus magno est usui. Illius virtutem, quam ex aliis didici, nunquam tamen ipse exploravi. accipe; Calefactum, vulnerique applicitum sanguinis fluxionem sistere, sauciumque brevissime consanare dicitur. Serpentum morsibus curandis, abolendisque cicatricibus servit. Illitum pectori stomachi languorem: Ventri, colicos e frigore dolores sedat. Binæ, ternæve guttulæ si cum ovo cocto sorbeantur, dysenteriam, aliasque, quæ corpori officiunt, fluxiones tollunt, tonum visceribus reddunt, roburque. Interdum cum saccharo ex aqua plantaginis, vel oleo rosarum soluto enematis loco injicitur. Sed hæc non nisi e medici, cui & æger, & ægritudo perspecta fuerit, arbitrio adhibenda. Id universim omnium animis inculcatum magnopere velim, quidquid de usu, vel salubritate plantarum dixero. Históricum ago, non medicum; Istius erit, quid obsit ægro, quid prosit, dispicere. Neque enim mihi in mentem venit unquam, in alienam messem falcem immittere. Ex eodem Cupaÿ oleo celeberrimum per Europam balsamum Cupayba conficitur in Brasilia, & frequentius in Maragnonis provincia, quæ his arboribus abundat. Verum huic balsamo alias etiam resinas, maxime ex arbore Ybirapaye, de qua plura dicemus alibi, admisceri, odoris fragrantia singularis prodit. Pictoribus quoque ut Americanis, sic Europæis Cupaÿ oleum multas adfert commoditates; Coctum enim cum allio præ quavis Vernice splendorem addit picturis, nullo unquam tempore obscuran-

randum, ſi olei loco, quod ex lini ſemine exprimitur, cum coloribus miſceatur. In ſculptis præſertim e ligno imaginibus ad faciem, manus, & quidquid carnis eſt, vivo colore pingendum nihil opportunum magis. Vix mihi perſuadeo, oleum Cupaỹ purum putum ex America afferri hujatibus officinis, cum mercatores ad augendum pondus quæſtus gratia heterogenea, neſcio, quæ ſoleant admiſcere. Tres in Paraquaria novi arbores admodum diverſas, quibus, ſi nomen ſpectes, multa affinitas, ſcilicet: *Cupaỹ*, *Curupaỹ*, & *Curupicaỹ*: De prima mihi hactenus ſermo fuit. Curupaỹ æque ut çevil, corticem miniſtrat, quo ad corium bubulum macerandum utuntur Indi. Hoc rubicundum ut evadat, cortici curupaỹ corticem alium arboris caatigua (quod Abipones Achitè vocant) immiſcent. Curupicaỹ arbor ſambuco nec major, nec durior ligno conſtat fungoſo, & ad nihil, quod ſciam, idoneo. Vel levi manu tacta ſuccum lacteum, quem venenatum vulgo putant, fundit.

Piñon del Paraquay ſeu Nux cathartica.

Arbuſcula foliis, figura, ligno molli ficui noſtrati multum ſimilis. Ex ejus trunco, ac foliis manu compreſſis, liquor lacteus, copioſo ſero mixtus, ſtillat. Fructus, quos profert, juglandes ſunt fuſcæ, ſub quarum duro, nigroque cortice tres nuclei candidi, candida quoque membrana tecti, totidem veluti, cameris diſcreti latent, & tum ſaporis dulcedine, tum figura amygdalam referunt. Hi nuclei Piñones del Paraquay, ſeu Nuces pineæ Paraquarienſes, a Quaraniis Mandubi quazù, a medicis jam Nuces catharticæ, jam Ricini Americani, vel fabæ purgatrices dicuntur. Duo enim, vel tres nuclei, quos pri-

prius alba pellicula nudandos, vino macerandos, & igni non nihil torrendos, monent plerique, ad virtutem eorum purgatricem mitigandam, comesti & vomitum cient, & alvum insigniter purgant, noxiosque expellunt humores. Nostri certe Abipones, dum stomacho nimia carne onerato invaletudinem aliquam senserant, confestim hos nucleos pro remedio a nobis poposcere, iisque feliciter usi sunt. Primi, qui Paraquariam adiêre, Hispani cum nullam Americanorum fructuum cognitionem haberent, annona destituti hos nucleos, amygdalis propemodum dulciores avidè, immoderateque vorarunt; sed mox intempestivo vomitu, ventrisque purgatione immodica fatigati aviditatem damnarunt suam, & quod escam putarunt, medicinam esse multos inter cachinnos sunt experti. Num Europæis in pharmacopæis prostent venales hi nuclei? Num Medici nostrates eorum usum ægris suadeant? Ignoro. Illud certum, caute iis, & ægrotantium viribus probe circumspectis utendum esse Ramus hujus arbusculæ resectus, terræque mandatus confestim radices agit, celerrimeque adolescit.

Vaynilla.

Vaynilla (dulce nomen illis, qui choccoladæ inhiant) planta sarmentosa humidioribus in campis nascitur, & palmis quibusdam, ceu fulcris implicat se se. Foliis amplis, & circiter palmum longis, floribus candidis sed exilibus insignitur. Leguminum ritu folliculos, seu vaginas pro fructu gignit, quartam cubiti partem longas, triangulares, & postquam maturuere, fusci in superficie, splendentisque coloris: odoris fragrantissimi ac ficuum more seminibus tenuissimis refertas. Ex his seminibus Indæ mulieres ad

col-

colli ſui ornatum roſaria concinnant, monilium loco ſervitura; Haud alium equidem Vaynillæ uſum noverunt quondam Barbari, qua tamen ſimii, volucresque avidiſſime veſcuntur. Cum fructus hic folliculo, ſeu vagina tenui claudatur, illi nomen Vaynillæ Hiſpani indiderunt, a quibus latinum vocabulum *Vagina* vayna, *Vaginula* Vaynilla dicitur. Iſtius plantæ, quæ invento Choccoladæ uſu Americanis quæſtuoſa evaſit, deſcriptionem Patri Joſepho Sanchez in acceptis refero, qui chiquitorum terras, ubi is fructus provenit, uti & in Peruvio, & alibi, peragravit. In reliqua enim, quam ipſus vidi, Paraquaria peregrina eſt hæc planta, non ſoli, ſed incolarum vitio, in calentioribus ad ſeptentriones plagis, ſi coleretur, haud dubie naſcitura.

Cacaò.

Vaynillæ faba cacáo ſocianda eſt. Arbor ejus genitrix Malo aureæ, ſi folia ſpectes, perſimilis, major tamen, in cacumine aliquam coronæ imaginem oſtentat. Fructum profert magnis peponibus ſimilem, ſub illo latent nuclei pingues, amygdalis pares, alba, dulciſſimaque pellicula, veluti ſepe quadam, diviſi ſinguli. Indi Peruviani nucleis, quorum pro choccolada paranda uſum tum neſciverant, abjectis ſolam illam pelliculam, melle quovis dulciorem, mandere quondam, ſugereque ſolebant. Iſtius generis arbores nativis in ſylvis prognatæ in magnam accreſcunt molem, peponesque, quos proferunt, foliorum, frondiumque amplitudine ita contegunt, ut non niſi a proxime adſtantibus cernantur. Alio in ſolo conſitæ nunquam adeo ingrandeſcunt. In Paraquaria unicam Cacáo arborem, nondum adultam vidi, paucos ante menſes in horto plantatam.

In

In Peruvio apud Indos Mojos, in Mexico, aliisque passim Americæ provinciis hoc luculentissimi quæstus fructu sylvæ abundant. Pro regionum tamen varietate nonnulla & arboris, & fructus varietas observatur, quod aliis quoque plantis, imo & pecoribus usuvenire experimur.

Tamarindus.

Tamarindi pharmacopolis Europæis notissimi prunorum genus sunt, fusci corticis, aciduli, sed palato jucundissimi saporis, multis, pulchrisque nucleis referti. Frigidæ immersi aliquamdiu si sumantur, ad sitim vel ardentissimam sedandam, ad alvum leniter laxandam quoqne plurimum conducunt. Nascuntur in arboribus, quæ palmarum referunt speciem, & ramis, frondibusque adeo prolixis gaudent, hominum tegere multitudinem, atque adversus solis æstum umbra sua protegere ut queant. Tamarindi, quos Herbarii dactylos acidos appellant, chiquitorum in territorio proveniunt, & alibi; Per cæteras Paraquariæ oras ignorantur.

Ÿçica resina.

Ÿçiy arbor resina scatet, quam Terebinthinæ Venetæ prorsus parem affirmant alii, alii eam gummi Elemi, quod ex Æthiopia adfertur, similem arbitrantur, quamvis hoc calidiorem eam esse, haud negent. Hæc Paraquariensis resina ad arboris radices sub terra reperitur, ad quam sole æstuante copiosissima ex illa defluere solet. A Quaraniis Ÿçica dicitur, & non solum curandis morbis, sed & navibus picandis, pice nautica deficiente, aliquando adhibetur.

Aba-

Abati timbaby arbor.

Abati timbaby arbor vaſta copioſum Gummi aurei coloris, & cryſtalli puriſſimi inſtar pellucidum ſole ardente effundit, e quo & Hiſpani plebeji, & Indi ſylvicolæ cruces, inaures, ſphærulas ad colli ornatum ſibi parare norunt. En artificium! Modulos, ſeu prototypa ejusmodi figurarum in ligno, vel arundine cavata arbori applicant, e qua ſtillans Gummi in modulos ſubjectos defluit, aura accedente duratur, & mox crucis, inaurium, ſphærularum figuras ſcitiſſime expreſſas miraberis, cryſtallinasque jurabis. Hæ vitri inſtar fragiles quamvis ſint, nullo tamen humore liquantur. Ea eſt Gummi iſtius non modo elegantia, ſed & durities. Europæis ſi artificibus id ſuppeteret, nodulos, fibulas, icunculas, mira quæqre ex illo conficienda, opinor. Quid ſi id in medicina nobilem ſibi locum mereretur? Nemo hactenus ejus virtutes exploravit.

Cedrus.

Tucumaniæ, Paraquariæque, qua ſeptentrionibus propinquat magis, nemora Cedris innumeris, celſiſſimisque ſuperbiunt, quæ, cum trunco ſint rectiſſimo, ſupra fidem procero, ac vaſto, & navibus, & fabricis quibusque materiem præbent eximiam, quippe, cum cariem ſentiant nunquam, vel ſub aquis æternam. Ex nulla, quotquot Paraquaria gignit, arborum aſſeres confiunt ſeu longiores, ſeu latiores, qui, cum non machina ab aqnis impulſa, ſed humanis manibus ſerram trahentibus laborioſe fiant, ex Tucumania per trecentas admodum leucas plauſtris advecti magno ſane pretio veneunt in urbe Boni aeris, ſylvis undique deſtituta; Eodem ex remotiſſimis Aſſumptionis nemoribus bimeſtri ſæpius navigatio-

tione per flumen adferuntur. In Tucumania equidem a Laico noſtro germano fabrica, ubi ab aquis rotæ illabentibus ſerra movebatur ad cedros magno laboris, temporisque compendio findendas conſtructa, ſed ab indigenis nova aſpernantibus paulo poſt neglecta, deſtructaque fuit. Ex una interdum Cedro linter prægrandis cavatur, cui impellendo triginta remiges ægre ſufficiant. Ferdinandus Arias Boni aeris, & Aſſumptionis Gubernator celeberrimus tali Lintre uſus fuiſſe ſcribitur, dum utramque Provinciam crebro viſitabat. Neque id mirum, aut inſolens. Nam ſi Plinio, aliisque fides, in Cypro inſula Cedri naſcuntur centum & triginta pedes longæ, eaque craſſitudine, ut quini viri eam nequeant complecti. Haud inficior, ex arbore Timboy quoque & Tabulas, & lintres breviores, tenuioresque confieri in Paraquaria, Cedri tamen primas tenent, quippe quæ amplitudine, rectiſſimaque proceritate trunci, materiæ docilitate, perpetuaque ſub aquis incolumitate præcellunt. Cedrus a Quaraniis Ygary dicitur. Cum ex Cedro potiſſimum lintres fiant, ab iisdem Yga, vel Ygáa, & portus, ſeu ſtatio navium, Ygarupà vocantur. Navim vero non ex una Cedro cavatam, ſed pluribus e tabulis compactam Ygaratà appellant. Quo nomine Cedrum inſigniverint Abipones, fateor, me neſcire. A Mocobiis, in quorum terris paſſim obvia eſt, Otelalarik dicitur. Duplex porro Cedrorum genus in Paraquaria proſtat: Aliarum enim lignum eleganter rubet: Aliarum vero pallidulum eſt. Utrumque tamen ſuaviſſimo fragrat odore, & ſole ardente e trunco ramisque copioſiſſimum Gummi jam candidum, jam rubicundum, ſemper pellucidum effundere ſolet. Ad res conglutinandas, illuſtrandasque iisdem, quibus Gummi Arabicum, uſibus nobis fuit, quidſi & medicamentis variis opportu-

tunum? Si aqua cum cedri ſegmentis cocta bibatur, ſanguinem, ut cum medicis loquar, extravaſatum eorum e corpore exturbat, qui vel præcipiti ex equo, aut arbore lapſu, vel ictu violento fuere contuſi. Quamvis talia paſſis ad accelerandam curationem Quinoa, legumen minutiſſimi grani, in aqua cocta bibenda porrigitur etiam. Alii ex eadem Quinoa in mortario prius comminuta, & cum aqua cocta conficiunt cataplaſma, parti læſæ, vel contuſæ applicandum. Humores noxios diſſipat celeritate tanta, ut & medici & ægroti ſuperet exſpectationem. Expertus id aſſevero. Idem legumen ſaluberrimus item quibuscunque eſt cibus.

Pinus americana Curiy̆.

Curiy̆ Pinum Europæam foliis, ac proceritate imitatur, ligni vero, quod pallidum rubris venis diſtinquitur, duritie ſuperat. Nodi præſertim, ſeu tubera eminentia, quæ Paraquarienſi Pino innaſcuntur, ſaxi duritiem propemodum æquant. Ex prægrandibus his nodis jam Divorum ſtatuas ſculpunt, jam ſphærulas precatorias torno ſcitiſſime Quaranii elaborant. Igni eminus admotæ, dum ſcilicet latens in ligni venis rubra reſina calore eliquatur, veluti Vernice, ut vulgus ait, obductæ eleganter rubeſcunt, mirumque ſplendeſcunt in modum. Viva adhuc arbor Curiy̆, æſtivis caloribus, reſinam egregie rutilantem, gratiſſimique odoris uberrime ſudat, magni ad curanda vulnera uſus. Pineas præterea nuces, ſeu ſtrobilos profert cucurbitis magnitudine pares; E ſquamoſo cortice exempti nuclei a quovis appetuntur. Ejusmodi Pini non ubique viſuntur. In quibusdam tamen Paraquariæ territoriis illarum ſylvas late patentes videas, quas Hiſpani los Pinares appellant. Etiam

ad hortos domeſticos translatæ Curiy' egregie adoleſcunt. In pluribus Quaraniorum oppidis vidi.

Algarroba, ſeu ſiliqua græca.

Multis nominibus celebranda venit arbor, cujus fructus ab Hiſpanis Algarroba, ab Abiponibus Hamap, a latinis ſiliqua Græca, a Græcis κεράτιον, a Galeno κερατωνία, a Germanis cultioribus Panis ſancti Joannis, a vulgo capricornu appellatur. Aſt noveris, Americanam Algarrobam mole, figura, colore differre ab illa, quæ in Germania paſſim venalis proſtat, & ab Hiſpanis Algarroba de la Berberia dicitur], unde in Hiſpaniam, & Luſitaniam a Mauris translata eſt, ubi hodie ſine cultu in ſylvis copioſiſſima naſcitur adeo, ut, quod ipſus ſpectavi, in illis provinciis hyberno tempore & bobus, & mulis pro pabulo quotidie objiciatur. Algarrobæ Hiſpanicæ vagina latior eſt, ſeminibus, ſeu lapillis grandioribus referta, fuſcique coloris, etſi pulpa ejus dulcis, & ſubalba videatur. Algarrobæ Paraquarienſis vaginæ, ſeu folliculi ſpithamam fere longi, pollicem virilem aliquando lati pellicula flava teneriori teguntur, ſeminio præterea minori, molliorique turgent, ac palato magis blandiuntur. E pluribus, quæ Paraquaria gignit, Algarrobæ generibus bina cum primis memoranda veniunt, quorum Alba altera, altera nigra vocatur. Hanc Abipones Roàk, illam òáík appellant. Alba & Sicca, ut ex arbore decidit, manditur, & in mortario contuſa jam manducatur, jam aquæ injecta tandem vineſcens potatur ſtrenue ab Abiponibus, aliisque Barbaris. Mulierum eſt eam in ſylvis legere, equô domum deportare, in mortario molere, pellique bubulæ, quæ pro ſcaphio, & dolio eſt, cum frigida mixtam infundere, ubi ſine rei alterius acceſſio-

ſione poſt horas circiter duodecim nativo calore, muſti inſtar, efferueſcit adeo, ut acris admodum, dulcis, ſalutarisque potio evadat denique. Immodicus illius uſus titubare facit & caput & pedes, & quod primo loco dicere oportebat, linguam. Temulenti ut ſint Abipones, ſuique impotes, nec Falerno, neque Tocaino illis vino eſt opus. Præ utroque potus Algarrobæ, quem Laagà vocant, id præſtat in plures ſæpe horas, imo dies productus. Hic tamen, uti multarum ebrios inter Barbaros cædium, vulnerumque eſt occaſiuncula, ſic, ſi modo moderatio acceſſerit, valetudinis roborandæ, vivacitatisque incredibilis eſt inſtrumentum. Enimvero ſi quando de tabe hectica, vel cachexia ſuſpectum, confectumque macie Abiponem conſpeximus, ſolenne nobis erat dicere: Vivat modo, ſiliqua græca dum maturuerit, hac recreatus miſer convaleſcet utique. Dictis, votisque eventus fere reſpondit. Tot ſane, qui proſtratis viribus emarcuerant jam jam, melleo potu affatim rigatos ſtupuimus reviruiſſe. Quid, qnod & equi, muli, boves nunquam ſint ſeu obeſioret, ſeu robuſtiores, quam dum Algarroba paſcuntur aliquamdiu, qua ſylvas late omnes affluere videas, in Chaco maxime, & in ſancti Jacobi finibus, quamvis alibi per immenſos Paraquariæ tractus ejusmodi arboris ne umbra quidem deprehendatur. Quaranii certe, qui in duas & triginta colonias trtbuti latiſſime habitant, ſaluberrimo hoc carent fructu. Neque nobis unquam viſum eſt Algarrobam, quæ promptiſſime naſcitur, plantare, ne illa, uti plerique Indorum ſolent, ad compotationes, temulentiamque abuterentur. Ad hanc impediendam certe nobis apud Quaranios erat vetitum, ex cannis ſacchari, quibus multa eorum oppida abundant, vinum, ut vulgo vocant, crematum parare, etſi ex malis Perſicis, Aurantiis, Cydo-

niis, aliisque id facere licuiſſet. Cæterum ſemina Algarrobæ, quaecunque in gleba vel temere effundantur, certiſſime, citiſſimeque in arbores excreſcunt. Campus, ubi ad fluminis Rubri (Rio vermejo) ripas urbs conceptionis, a Barbaris dudum everſa, ſteterat, hodie ſylva eſt impenetrabilis; Semina Algarrobæ, quam diu, noctuque potarunt incolæ, quotidie per urbis plateas abjecta ſylvæ tantæ origo exſtiterunt. Eadem de cauſa campi, qui Abiponum ſtativa fuere diu, ſylveſcunt omnes. Sed audi plura. Arbores Algarrobæ albæ non modo eſcam, potionem, medicinam miniſtrant, ſed & materiem plauſtrorum, ædium, navium fabricis opportuniſſimam; Earum enim lignum violacei coloris & docile eſt & vel in aquis firmiſſimum. Ex hoc navium, quæ per Paraquayum & Paranam fluvios commeant, carina potiſſimum ſtruitur, cui latera, & ſtatumina navis innituntur eo fere modo, quo ſpinæ dorſi animantium coſtæ. In ſancti Jacobi nemoribus equidem, & in ſylveſtri urbis correntinæ, quod ſolis occaſum ſpectat, litore Algarrobi vaſtiſſimæ juxta, ac inſigniter proceræ paſſim occurrunt. Alias alibi, quo quo te vertas, conſpicies, ſed quas, etſi proceritate, ac craſſitudine eximias, trunci tortuoſi obliquitas fabris, fabricisque inutiles reddit. Folia huic arbori, quam Abipones Oaikìk vocant, minuta ſunt, flores pallidi, & exiles. Ex his ſiliquæ folliculis, ut fabæ ſolent, clauſæ oriuntur. Menſe Novembri matureſcunt, & ad Martium usque vel in ſylvis perdurant, vel ſenſim collectæ a providentioribus domi aſſervantur. Ab Algarroba floreſcente annum auſpicantur ſuum Abipones; Hinc vox Ynierà florem Algarrobæ ſimul, ſimul annum ſignificat. Si quem, quot jam ætatis annos numeret, forte interrogent: Quoties, dum vivis, algar-

garroba floruit? Hegem leyera Ynierachi ? ajunt. Interrogatus, cum numeros, qui triadem excedunt, vocabulis propriis explicare nesciant, digitis pedum, manuumque exhibitis respondet. De Abiponum arithmetica alibi plura. Altera Algarrobæ species, quam Hispani nigram, Abipones Roàk appellant, priori cætera similis, nisi quod ista minor illa sit, dulciorque. Cortex fuscior maculis rubris aspergitur. Ejus vaginæ si crudæ mandantur liberalius, dulcedine mellea palatum demulcent equidem, titillantque incredibiliter, sed una linguam exasperant, & fandi adferunt difficultatem. Expertus id scribo. Nam, quod omnis alia in longo itinere annona mihi deerat, equitans ex obviis arboribus eum decerpseram fructum, latrantique stomacho objeci aliquamdiu, quo fames sedata quidem, sed loquendi facultas mihi repente fuit sublata. Horarum aliquot silentium, quod mireris, simul morbus, simul morbi remedium erat, Hispanis, qui me comitabantur, equitibus taciturnitatem meam festivo risu celebrantibus. Cæterum hoc Algarrobæ genus cibo sæpius, quam potui parando impenditur. Ejus vaginæ ligneo in mortario contritæ in farinam rediguntur; Hæc cribro purgata rotundæ e ligno arculæ injicitur, comprimitur manibus, cumque admodum resinosa sit, sponte sua in panem coalescit, & saxi instar duratur. Cum enim resina pingui abundet, pollen ipse suum sibi Gluten est. Hujusmodi panes, qui in sancti Jacobi coloniis potissimum conficiunt, & Patay dicuntur, ad alias missi urbes non escæ solum, sed medicamenti nomine absumuntur ab illis maxime Europæis, qui e calculo, vel stranguria laborant. Universim Algarrobam & albam & nigram, cum virtute diuretica plurimum polleat, sive potam, sive comestam tabescentibus, vel lotii difficultate vexatis magnopere prodesse, nemo unus

in dubium vocavit unquam. Indigenas certe, qui-bus ab adolescentia prope quotidianus est Algarrobæ usus, morbos ejusmodi ne de nomine quidem nosse, constat. Sunt, qui ex utraque Algarroba, de qua mihi sermo hactenus, Spiritus Nephriticis, Hecticisque saluberrimos arte chemica elici posse, contendunt. Non omittenda Algarrobæ tertia species, quæ ab Acacia, Ægypti arbore, gummi Arabici genitrice, nil differre quibusdam videtur. Ligno est durissimo, obscure rubeo, foliis iisdem, quibus Algarrobi a me memoratæ, vestitur, flores profert conglobatos, exiles, crocei coloris, & aromaticum quid exhalantes. Cortex vaginarum spissior est, & niger. Semina folliculis clausa lentibus similia, sed duriora. Folliculi sua cum pulpa resinosi, saporis acerbi, asperique, haud equidem esculenti sunt, aut poculenti. Lanæ, Gossipioque atro colore tingendis, alumine tamen, vel chalcantho accedente, a cordubensibus, Jacobopolitanisque prudenter adhibetur is fructus. Ex eadem arbore resina manat, Gummi Arabico, ut ovum ovo, similis. His accedit arbor exigua, quarta Algarrbæ species. Illius folliculi purpureum, ac prope fuscum præseferunt colorem; Saporis nec amari suut, neque dulcis. Indigenæ ex his potionem conficiunt, insigniter sudoriferam, qua multi curantur, teste Thoma Falconer medico, in Europa non nisi adhibita salivatione persanandi.

Palmæ variæ.

Palmæ solæ (quas Abipones Neboque vocant, Quaranii singulas singulis nominibus distinquunt) vasti voluminis argumentum præberent, si quis singularum specierum nomina, figuras, proprietates, utilitatesque explanaret. Palmeta Americæ Americanorum armamentaria, pharmacopolia, vestiaria, do-

mos

mos annonarias haud abs re quis dixerit ; Namque jam potum, jam escam, jam medicinam, jam arma, jam tectum, jam vestitum Indis palmæ ministrant. Paucula de multis, quæ ipsus spectavi in Paraquaria, juvat delibare.

Caranday̆.

Palmæ Caranday̆ proceræ flabelli aperti instar folia expandunt sua, dactylosque dulces propinant, quos ne ipsi quidem fastidiunt Europæi. Trunci cortex durissimus securi fissus, medullaque, seu pulpa, quæ e spinis acutissimis constat, exutus imbribricum, scandularumque loco ædibus tegendis, etiam in urbibus quibusdam, adhibetur, quin & tuguriis struendis. Nam luna propitia, decrescentem intelligo, sectæ palmæ si fuerint, earum cortex, me teste, fert ætatem. Illud quoque exploratum, palmas Caranday̆ inter uberrimum, omnique pecorum generi saluberrimum pabulum procreari ; Aqua enim pluvia per earum ramos in terram defluens nescio, quid salsuginis contrahit, nitrumque qua qua versus generat, optimum, jucundissimumque bestiis herbarum condimentum. In vicinis oppido palmetis plura equorum suorum millia pascebant Abipones; Nusquam certius, citiusque, quam istic, pinguescunt.

Pindò.

Pindò eximiæ proceritatis, & perfrequens palma cortice albescente, & aspero est. Pro ligno illi pulpa fungi instar rara, & levis, quæ ex filis quibusdam ad concipiendam flammam pronissimis componitur. Dactylos gignit, a Quaraniis Ybapy̆ta dictos. In mortario contusi jam cum aqua bibuntur, jam comeduntur. Ex palmis passim nascentibus de-

cidui dactyli ſylvas occupant, ac nudos Indorum pedes innata duritie incredibiliter offendunt, quamvis, cum per omnem ætatem calceis abſtineant, plantarum callo undique duratos. Ex hoc quantum me a pueritia calceis aſſvetum lapide aſperiores hi nuclei afflixerint, dum itinere in multos dies producto nudis pedibus ſylvas ſæpe perambulaveram, prona cuique fuerit conjectura; Enimvero & tibialia coriacea, & calceos, diuturnis imbribus, paludibusque emollitos, attritos, prorſus jam inutiles abjicere demum oportebat. Verum quamvis hæ palmæ Pindò moleſtiam creent iter agentibus, iisdem tamen & commoditatem præſtant minime ſpernendam. Quaranii equidem in ſylvis noctem ſi agant, tempeſtate impendente præſidium adverſus imbrem in promptu habent. Obvias ejus generis palmas aliquot ſecuribus ſternunt. Earum ex truncis fungoſæ, mollisque materiæ tugurium extemporale citiſſime ſibi ſtruunt, illudque ramis palmarum, frondibus earum partim dextrorſum, partim ſinſtrorſum reflexis belle contegunt. Salva res eſt. Toto licet impetu nimbi ruant, hoc ſub tecto ne gutta quidem, polliceor, ad illos pertinget. Subitario ejusmodi hoſpitio tectus fulgura, tornitrua, imbres crepitantes inter, & grandines noctem procelloſam ſiccus egi toties, & Quaraniorum tum beneficentiam, tum promptitudinem ſuſpexi. Si quando quibusdam in itineribus aquis pluviis egregie perlutum me, penetratumque fuiſſe, ſcribo, memineris, velim, mihi tunc aut Quaranios comites, aut Quaraniis palmas Pindò defuiſſe. Ex iſtarum foliis, uti alias ex viminibus, chordæ, fiſcellæ, corbes contexuntur aliquando. Hæ palmæ non ſolum eximia altitudine, ſed ramorum etiam, quos eleganter porrigunt, longitudine jucundum oculis ſpectaculum, hortisque egregium præbent ornamentum.

Yatay

Yatay̌.

Yatay̌, palma minor, præter dactylos germen tenerrimum in cacumine frondescens offert, quod butyri instar molle, aurei partim, partim candidi coloris, ut ex arbore decerpitur, crudum editur, nemini non gratissimum. Ad ejus nuces psittacorum turmæ convolant quotidie.

Yatay̌ quazù.

Yatay̌ quazù foliis amplissimis, & lætissimæ viriditatis, trunco squamoso, & quinque minimum ulnas alto prædita nuces (Coccos vocant Hispani) ovatæ figuræ producit. Caro, qua vestiuntur, permodica, sed, si coquatur, esculenta est. In singulis nucibus nuclei tres grandiores, palato amygdalarum instar jucundi sed illis pinguiores.

Mbocayay̌.

Mbocayay̌ in collibus frequentissima truncum, foliaque spinis prolixis, ac validis armata ostentat. Dactylorum, qui teretes, & amygdalarum instar dulces jam crudi, jam tosti eduntur, racemos profert. Ex his nucibus oleum, olearum liquori prope par, exprimi potest. Ex eadem palma proveniunt stamina cañabinis firmiora, e quibus Barbaræ nationes Chordas pro arcu, & lineas pro piscatione validissimas conficere solent. Ipse tali per mare sum usus. Cordubensi in territorio Palmæ visuntur, ignoti mihi nominis, e quarum foliis Scopæ fiunt tam fortes, tam commodæ, ut in remotas etiam urbes

certatim aſportentur. Hiſpani Jacobopolitani, qui ceræ, mellisque conquirendi cauſa ſylvas adeunt, palmas quasdam ad medullam usque ſecuri incidunt. Hebdomadum aliquot intervallo eandem ad ſtationem reduces in palmis a ſe ſauciatis vermes prægrandes, multoque adipe tumidos reperiunt, quibus in lebete, vel olla frixis læti veſcuntur. Sed longum ſit cæteras Americæ palmas, earumque utilitates recenſere. Enimvero tot mihi reſtant arbores, frutices, plantæ ſeu fructiferæ, ſeu medicinales, ſeu aliis uſibus deſtinatæ, quarum ſi non deſcriptio juſta, certe mentio mihi eſt facienda.

Arbores fructiferæ.

Fructus plerique, quos arbores in Europa proferunt, in Paraquaria deſiderantur paſſim. Poma, pyra, pruna, ceraſa, avellanas, caſtaneas &c. magnam ejus provinciæ partem pervagatus nunquam vidi, certe rariſſime. Arboribus iſtiusmodi diligenter licet plantatis, rigatisque nec Cœlum, nec ſolum Paraquarienſe videtur faviſſe; Nam vel ſteriles adſtant foliis contentæ, vel fructus pariunt adeo abſurdos, ut abortus naturæ potius, quam palati deliciæ mereantur appellari. Iſtorum, quos memoravi, fructuum inopiam incredibilis ubertas ficuum, malorum, Perſicorum, Cydoniorum, Punicorum, ſeu Granatorum, Citreorum dulcium, acidorumque, Aurantiorum prægrandium ad Europæ univerſæ invidiam liberaliſſime compenſat. Harum arborum non hortos, ſed ſylvas immenſas paſſim videas, partim Europæorum manibus conſitas, partim e ſeminibus vento allatis fortuito exortas. Tot malorum nobiliſſimorum genera etſi cruda edantur a multis, a plurimis jam cocta, jam eliquata in bellaria, potiones-

que

que diverſas, adjecto ſaccharo, convertuntur. In vicino chilenſium regno, ubi aura ob incumbentium alpium juga multo rigidior, Europæi fructus prope omnes, quin & plures alii nativi, lætiſſime proveniunt, & quæſtu non mediocri alias in provincias ſiccati deportantur. Sed quamvis Paraquaria multis Europæ fructibus deſtituatur, nativis tamen, quos ne de nomine quidem novit Europa, plurimis gloriatur. Arbores, fruticesque nullo diſcrimine, eo, quo in mentem venerint, ordine curſim adnotabo.

Miſtol.

Miſtol arbor prægrandis materiem duriſſimam rufi coloris, magnique ponderis fabricandis mortariorum piſtillis, haſtisque idoneam, fructumque præbet rubrum caſtaneæ nucis magnitudine, qui Ziziphi, quem Hiſpani Azofaifa, Pharmacopæi jujubam vocant, ex Africa olim in Hiſpaniam, Italiamque translati ſpeciem refert, & ab Abiponibus Naalà dicitur. Pellis illius tenera, nucleus grandiuſculus, ac durus, pulpa edulis eſt, atque ex ea potus dulcis, quin & panis conficitur, Indis pergratus, ſed meo, judicio, inſipidiſſimus. Ziziphum, ſeu jujubam pectoris ægritudini, tuſſi, raucedini, pleuritidi ſedandæ medici Europæi impendunt. Miſtol Paraquarienſis eadem num virtute polleat, ignoro

Chañar.

Arboris Chañar, Abiponibus Apehìk, lignum prædurum flaveſcens; Fructus priori aliquantum ſimilis (Abiponibus Apehè) ſed minus dulcis, minusque ruber cibum, potumque ſuppeditat, & a quibusdam ſiccatus aſſervatur.

Yaca-

Yacanè.

Fructus Yacanè arboris coloris eſt crocei, magnitudine Malum citreum mediocre, ſapore pyrum rancidum exprimit.

Quabyra quazu, & Quabiyù.

Quabyra quazu prunis, & Quabiyù ceraſis aliquantum ſimilis, jam cibo, jam potui adhibentur. Quabyra & copioſiſſima, & Indis gratiſſima eſt. Mihi nauſcam creavit ſemper ; Nam cimicem olet. Ambæ arbores, horum fructuum Genitrices, lignum torno aptiſſimum miniſtrant.

Quabyra miri.

Quabyra miri, ſeu minor a priori omnino differt, & tum ſuavitate, tum ſalubritate univerſis Paraquariæ fructibus mihi videtur præferenda. Pomulum eſt meſpilo & magnitudine, & figura admodum ſimile. Pelle tegitur duriuſcula, quæ primum viridis, mox, poſtquam maturuit, obſcure purpurea evadit. Pulpa ſeminibus teneris conſperſa gratiſſimo dulcem inter, & acidulum ſapore demulcet palatum, odoremque balſami ſuaviſſimum ſpirat, quo & cortex vel ſolus, & folia fragrant. Hæc in pulveres redacta herbæ Paraquaricæ inſperguntur, eique ut odorem, ſic pretium addunt. Illud ſingulare: quantamvis fructus hujus, natura calidi, eſitationem nemini vel noxiam eſſe, vel periculoſam. Quabyra miri naſcitur e fruticibus more Juniperi, qualis Auſtriaco provenit in ſolo; In aliis equidem provinciis Juniperus in arborem excreſcit. Frutices hi trunco te-

tenui, ſed radicibus plurimis, nodoſis, craſſis, longe, lateque ſub terra excurrentibus nituntur. Non niſi in ſolo arenoſo, melioris graminis experte prodeunt. In campis Tarumenſibus, ubi ſancti Joachimi oppidum condidimus, in vicinis territoriis urbeculæ Curuquati, & urbis ſancti Pauli finibus Braſiliam verſus Quabyra miri paſſim in conſpectu eſt. Sed per eosdem terrarum tractus hoc fructu abundantes paſcua minus læta deprehendas, vel arenis gramen ſuffocantibus, vel his fruticibus meliores terræ ſuccos abſumentibus. Per reliquam ſane, quam peragravi, Paraquariam gleba pinguiori gaudentem nullum Quabyræ miri veſtigium usquam conſpexi. Neque ſilentio prætereunda alia plantæ hujus utiltas: In ejus ramulis cera conficitur a formicis lacte candidior, & balſami nobiliſſimi inſtar mire fragrans. Micis, ſeu granulis albis minutiſſimis per fruticem ſparſis ea conſtat. Ex his per fœminas operoſe collectis, & ad focum eliquatis candelæ fiunt ad templorum uſum, ubi accenſæ ſuaviſſimum exhalant odorem. Dolendum profecto, ceræ cæterum præclariſſimæ duritiem deeſſe; Nam candelæ ex ea paratæ cito colliqueſcunt, brevique conſumuntur. Diutius ut durarent, ceræ formicarum vulgarem apum ceram admiſcui frequenter. Nobilem hanc Quabyra miri ceram, viris Principibus uſui, omnibus admirationi, fors & ægris levamini futuram in Europæas nunquam provincias advehi, mirabar ſæpe, & magnopere dolui.

La granadilla, ſeu flos Paſſionis Dominicæ.

Priori jure ſuccedit fructus ſaluberrimus, quem Hiſpani la granadilla, Mburucuyà Quaranii, Netegniklepà Abipones vocant. E frutice, qui hederæ in-

inſtar ſepibus, dumetisque adhæreſcit, copioſiſſimus in campo naſcitur, nullo anni diſcrimine. Complura illius ſunt genera, ſola partium conformatione colorumque varietate diverſa. Singula pomulum referunt mediocre, coloris aurei, rubentibus maculis diſtinctum, ſapore acidulum inter, ac dulcem medio, odore ſuavi præditum, ſeminibus nigris rotundis refertum. Sive crudum edatur, ſive cum ſaccharo, mali citrei inſtar, decoctum, ac frigidæ admixtum bibatur, humanis corporibus mirifice conducit. Melleus illius ſuccus ad ventriculum roborandum, ad artus ſolis æſtu laſſos ſine periculo refrigerandos facit plurimum. Elegantiſſimum plantæ hujus florem attentis ſi inſpicias oculis, flagrum, coronam, clavos, crucem, columnam, aleas, fel, ac cætera, quibus ſervator noſter excruciatus eſt, inſtrumenta in illo non obſcure expreſſa deprehendes. Explodendi, qui id ceu phantaſticum pietatis fanaticæ commentum, futilemque naturæ interpretationem explodunt. Vetuſti de hoc argumento verſiculi exſtant, incerti authoris.

Pulcer in America Moſcho redolentior eſt flos,
Qui fert occiſi nobile ſtemma Dei.

Idcirco omnium ore Flos paſſionis dicitur, dignusque videbatur olim, qui ex America Romam afferretur, Paulo quinto ſummo Pontifice. A noſtro Euſebio Nierenbergio Naturalis Hiſtoriæ libro quarto decimo, decimo capite minutatim deſcriptus, varie a variis calamo depictus eſt, ſed niſi coloribus, ac penicillo exprimatur, vivam ejus imaginem nunquam animo comprehendes.

Quembè.

Fructus Quembè eo ſane memorabilior, quo minus cognitus, etiam multis, qui in Paraquaria incanuere; In Borealibus enim duntaxat ejus provinciæ nemoribus nativum illi eſt ſolum. Spithamam longus, pugno virili craſſior in medio, in extremitatibus utrinque tenuior ad Cylindri figuram prope accedit, & columbam plumis nudatam exprimere videtur, aliquando bilibris. Pelle tenera flaveſcente, tuberculis, fuſco punctulo in medio inſignitis undique plena veſtitur. Pulpa illi liquida dulciſſimi ſaporis, ſed ſpinis teneris, quas palatum duntaxat, non oculus percipit, referta eſt, atque eam ob rem non lente mandenda, ſed celeriter glutienda. Siquis enim pulpam dentibus cunctanter contriverit, linguam ſpinis latentibus exaſperatam ſentiet aliquamdiu, & ad fandum minus expeditam. Caulis, qui, ut in tritico Turcico, medium occupat, ligneum quid habet, abjiciturque. Incredibile, quam jucundi ſaporis, quam ſalutaris hic ſit fructus, quantum reficiat hominem ambulatione diuturna feſſum, ac ſudore diffluentem. In crebris per ſylvas itineribus, quæ ad ſylvicolas Barbaros quærendos pedes confeci, id ſum expertus. Tanti ponderis fructus e lento frutice, qui funem refert, & hederæ ritu altis ſe implicat arboribus, naſcitur, & ex illo, ceu fune, pendet. Is frutex, quem Quaranii Quembepi dicunt, quantæ firmitatis ſit, ex eo conjice, quod Indi robuſtiſſimi, dum mellis legendi gratia celſam arborem ſecuri incidunt, huic frutici ramis, truncoque illigato diu, tutoque inſideant. Ex dicto Quembepi Hiſpani, Luſitanique rudentes, Cannabinis quibusvis fideliores, contexunt interdum.

Tata-

Tatayў, Morus.

Tatayў arbor procera, & grandiorum e numero Mora profert ſapore, & figura noſtratibus ſimilia, ſed coloris flaveſcentis, & majora. Mora hæc Tatayyba a Quaraniis dicuntur. Arboris iſtius materies duriſſima, docilis, croceique coloris. Ex hac tibiæ, litui, pyxides, aliaque, ut apud Europæos e buxo, elegantiſſime ab Indis tornantur. Ejusdem ligni ſegmenta cum alumine cocta lanæ, Goſſipioque flavo colore tingendis feliciter impenduntur.

Mammones.

Mammones, fructus pomi cotonei magnitudine, imo & majores aliquando, viridi quadam, poſtquam maturuerunt, flavedine, in ipſo arboris trunco naſcuntur, & e brevibus pediculis pendentes, mammarum ſpeciem referunt, unde illis nomen. Eorum pulpa Melonum colorem luteum, ſaporemque imitatur, & jam cruda editur, jam, quod melius, cum carnibus cocta. Arbor proceritate, craſſitieque eſt mediocri; Cinereo cortice Juglandem; Foliis latioribus, & in varios angulos ſectis ficum aliquomodo exprimit. Ejus lignum debile liquore lacteo, inſipidoque turgeſcit. En alteram, cur a mammis nomen obtinuerit, rationem! Hæc arbor quavis anni parte & flores, & fructus oſtentat; Sed tanta fertilitate exhauritur adeo, ut ultra quadriennium vix perduret. Recens plantata primo mox anno adulta ſimul, ſimul fructibus prægnans videtur. Duæ ſunt hujus arboris ſpecies, quarum Mas altera, altera fœmina dicitur. Quibusdam in rebus a ſe differunt equidem, ſalſum tamen, alteram ſine altera ſterilem

eſſe.

esse. Hoc sexus discrimen plautis, arboribusque variis assignatur. Mammones fructus ut in Brasilia, aliisque Americæ regionibus frequentissimi, sic rarissimi sunt in Paraquaria, & extra hortos vix spectantur.

Alabas.

Frutex, quin rectius, carduus humilis, spinosus, & arenoso potissimum solo gaudens Alabas profert, quas in California Pitaháyas, unicas indigenarum cupedias, vocant. Poma sunt rotunda, ovi Gallinacei magnitudine, cortice crasso, lento, & spinis acutissimis, sed tenuibus armato, sub quo pulpa jam sanguine rubrior, jam nive candidior, liquidiorque latet, quæ seminibus nigris tenerrimis, pulvere pyrio minutioribus undique consperfa sapore dulci gratissimo palatum oblectat, corpusque calore æstuans insigniter refrigerat. Enimvero hunc fructum, si in Europa suppeteret, mensarum secundarum bellariis haud dubito adnumerandum. In quibusdam Paraquariæ tractibus passim prostat; In aliis raro visitur. In itineribus mihi sæpe ad mactandam sitim præsentissimum remedium fuit.

Aguay̆.

Aguay vastæ molis arbor fructus prunis consimiles præbet. Succo acriori cum affluant, aqua percocti sæpius, tutiusque eduntur. Huic arbori nominis affinitate similis alia, sed re, ac figura dissimillima est.

Anguay, vel ybira payè.

Anguay proceritatis, craffitudinisque eximiæ; ligni, qnod ad fabrilia quoque opera idoneum, perquam duri, rubei, & infigniter fragrantis. Pro fructu offert femina dura, amygdalis fimilia, quæ etiam in medicina locum habent. Fructus hujus offa violacei eoloris, & triangularia, cum nitide fplendeant, Indæ Barbaræ e collo fufpendunt fuo, & his veluti monilibus ornari fe putant. Refina, quæ ex hac arbore ftillat, odoris eft fragrantiffimi, ac faluberrimæ virtutis. Balfamum Peruvianum, & Brafilienfe, ubique gentium celebre, ex hac refina, admixto oleo Cupay arboris, aliisque conflatur. Eadem & thuris loco, quod fuavitate plurimum fuperat, in templis adhibetur. Cortices ejusdem arboris idem prope præftant, quippe refina prægnantes. Anguay arbor dicitur, quod ex illa potiffimum mortaria conficiuntur a Quaraniis, quorum lingua etiam Ybira paye vocatur, Arbor præftigiatorum; Payè enim præftigiatorem, magum, medicum, augurem, verbo, veteratorem fignificat. Hujus inftituti Sycophantæ barbari, quoties vifitandos fe a contubernalibus, confulendosque profpexerant, hac refina foco injecta tugurium fuffire fuum confvevere, divinum quid fpirare ut viderentur.

Yba poroyty.

Yba poroyty pomulum eft cerafis affine, aciduli, fed grati faporis. Ex arbore balfamum conficitur.

Ta-

Tarumay.

Tarumay arboris fructus ad Olivæ ſimilitudinem accedit equidem, ſed ab illius ſapore abeſt longiſſimè. Ab arborum iſtiusmodi frequentia territorium, ubi ſancti Joachimi oppidum collocavimus, Tarumà ab Hiſpanis Indisque appellabatur. Qui huic fructui magnopere inhiet, nemo eſt omnium.

Quayába.

Quayába arbor pyra quædam, ovatæ figuræ, granis referta gignit. Eorum ſuperficies, dum maturuerunt, flaveſcit, pulpa rubet. Cum ſaccharo cocta & ſapiunt, & proſunt magis. Immatura ſi coquantur, ad ventriculum roborandum, adſtringendamque alvum plus valent Hæc arbor in ſolo etiam minus pingui feliciter adoleſcit.

Vinàl.

Vinàl arbor grandior foliis oleæ, ſed latioribus tegitur. Vaginas, Algarrobæ nigræ ſimiles, dulcesque profert, ſed longius protenſas. Ex hoc fructu potus paratur. Spinis horret arbor ſpitamam longis, peracutis, robuſtisque. Illis qui compungitur, rem & periculi, & doloris pleniſſimam ſentiet. Adeo virulenti ſunt hi aculei. Sed & medicamentum offert arbor eadem. Succus equidem ex foliis illius, prius contritis, expreſſus oculis ægris mederi dicitur, ſi illis illinatur, maxime dum humore noxio laborant.



Ybi̊ra yepirô.

Ex Ybira yepirô balſamum non ſpernendum parare nôrunt, uſibus, neſcio, quibus deſtinatum.

Caaÿçÿ.

Caayçy, quod lentiſci genus eſſe perhibent nonnulli, reſinam pellucidam, & ſuavis odoris miniſtrat.

Aguaribaÿ.

Ex frutice Aguaribaÿ, qui pariter lentiſci, ſeu maſtiches genus creditur, balſamum quoque fit, mundandis, ſanandisque vulneribus perutile. Ore ſumptum ſanguinis profluvio, tuſſique ſedandæ conducit.

Molle.

Molle arbor haud obſcuri nominis lignum ſolidum offert fabris, ſed teredini obnoxium. Foliis lauri ſemper virentibus ornatur, quæ contrita macerandis pellibus caprinis, imo & medicinis ſerviunt. Ex ejus trunco copioſum juxta, ac fragrantiſſimum gummi manat, quod thuris loco accenditur. Fructus fert nigri coloris, ab Abiponibus Apaŕañi dictos, quibus jam maturis cortex pallide cæruleus. Ex his fructibus, quippe ſiliqua græca dulcioribus, cum aqua coctis, acer, dulcisque confit ſyrupus. Hic, ſi aqua permiſceatur, potum dat gratum, ſed vehementem. Temulentia inde orta ebriorum oculis, ne-

nescio, quam ferocitatem infundit, & per biduum vix exhalatur. Cæterum & ramos, & resinam hujus arboris multiplices in usus convertere norunt medici, luculenta ægrorum utilitate, quam ipse fui expertus.

Bacoba, & Bananà.

Bacoba, & Bananà fructus Americanis jucundissimi ad ficuum genus pertinent. Ovi figura, rubro colore sunt. Frutices, e quibus generantur, semine, ramisque carent, sed foliis longis, latis, & virore ornatissimis superbiunt; Illorum è medio Germen, fructusque emergit. Truncus fruticum, seu caulis tenuis est, ac fragilis. Partu unico defuncti intereunt, sed per surculos ex eorum radice pullulantes compensantur. Bananæ fructus longiores sunt, figuræ quadrangularis, pellis croceæ, pulpæ mollis, succi non uberrimi, & frigidioris, atque adeo, ni omnino maturi fuerint, stomacho infesti. Bacoba igitur Bananâ salubrior. Uterque tamen fructus rite exhibitus morbis variis medetur. Potus ex illis expressus temulentiam adfert intemperantibus. Ambæ arbores in solo quamvis sterilissimo oriuntur, & quavis anni parte fructus protrudunt. Sunt, qui Bacobam Platanum appellant. Verum liquet, istam inter, ac Platanum Romanorum plurimum interesse.

Ananàs seu Piña del Paraquay.

Ananàs mensarum nobilium delicias in Europa, ac hortorum ornamenta Hispani indigenæ Piñas del Paraquay, quippe Pineis nucibus aliquantulum similes, & in Boreali Paraquariæ tractu frequentissimas, appellant. A Quaraniis Nanà, quod Carduum significat, is dicitur fructus. Hic cum & in hortis

Principum paſſim ſpectabilis, & ſæpe in foro venalis proſtet, ſupervacaneam duxi ejus deſcriptionem. Corollarii tamen loco ſubjiciam aliqua. In agro Tarumenſi, ubi octennium egi, ſponte ſua in campo etſi frequens naſcatur hic fructus, non niſi bis tamen a me fuit delibatus, quod ejus eſu ſtomachum ſenſerim refrigerari. Ananàs alii cum Monardo frigidas, alii cum Chriſtophoro Acoſta calidas affirmant. Quis ſententiam ferat? Paraquarienſes Europæis majores, ſed has illis dulciores, obſervavi. Illarum ſuccus fragorum inſtar ſuavis equidem palato, ſed, niſi penitus maturuerint, acer eſt, & cauſticus; Ea de cauſa fructus ſecundum longitudinem in taleolas ſectus vino generoſo prius eſt macerandus. Ejus liquor, maxime per ignem expreſſus, lanquorem animi, ſtomachique nauſeam abſtergit, urinæ difficultatem, nephriticosque minuit dolores, ac ſenibus calorem reddit naturalem. Etiam ſaccharo conditas Ananàs nonnulli aſſervant. Plantæ ſingulæ fructum quot annis unicum edunt, & effœtæ ſenſim intereunt. Earum loco plantula, quæ in corona maturi fructus naſcitur, inde decerpta humo inſeritur, anno proxime ſequenti fructum datura. Id quod in campo, nulla cultoris manu accedente, contingit etiam. Novum enim illud germen, e plantæ faſtigio delapſum, radices agit.

Mandioca.

Mandioca radix natura lethalis animantibus quibusvis, rite præparata tamen tot Barbararum gentium ſalutare alimentum eſt, & Braſiliæ, quæ tritico Europæo deſtituitur, totius præcipua annona. Americanis in hiſtoriis crebra ejus mentio cum recurrat, operæ pretium fuerit illius originem, formam, præpa-

pa-

parationem, ufum, utilitatemque diligentius explanare. Mandioca radix eft arbufculæ Mandiò, quæ proceritate virum mediocrem æquat. Trunco nititur rectiffimo, gracili, pollicem majorem craffo, arundinis ritu nodofo, Cortice corylo fimili, medulla, ut fambucus, fpongiofa, & lactis plena. Circa faftigium ramis, ramulisque, ac foliis elegantibus, longis, fed anguftis, Rofæ Pæoniæ ritu amœnè virentibus. Flores lutei funt coloris. Fructum, quo caret, fupplent ejus radices tres interdum pedes longæ, fragiles, & humano brachio fæpe craffiores. Earum pellis, ut cortex coryli, obfcura. Medulla candidiffima liquore lacteo glutinofo, venenatoque turgefcit. Ut in frutice cinnamomo folus cortex, fic in Mandio arbore fola radix humano eft ufui. Aliquot fupra viginti arboris hujus fpecies & figura, & virtute nativa difcrepantes Americanis innotuere. Mandio femen profert, femini Ricini Americani, quem Piñon del Paraquay dicimus, haud abfimile, fed plantæ propagationi inutile prorfus. Hunc enim in finem truncus, feu caulis arbufculæ adultæ in taleolas duarum circiter fpithamarum fecatur, quarum ternæ femper terræ in tumulos congeftæ infiguntur ita, ut ad fpithamæ altitudinem e terra promineant. Exiguo temporis fpatio germinant, frondefcunt, adolefcuntque. Neque opus eft unquam rigatione; Nam ab aqua, & umbra hæc planta abhorret, foloque gaudet aridiori, & aprico. Iftiusmodi plantatio in terra probe ficcata, menfibusque æftivis eft fufcipienda. Sex a plantatione menfes poftquam fluxerint, radices jam edules equidem invenies; Re tamen ipfa, ut maturefcant plene, folitamque nancifcantur magnitudinem, anno integro eft opus, quo etiam lapfo quamvis non effodiantur, incolumes fub terra remanent diu, fed effoffæ jam tridui fpatio celerrime pu-

trefcunt. Idcirco radices citra cunctationem diligenter purgatæ, avulfa prius pellicula, in fruftula fecantur, folique, ut arefcant, exponuntur per biduum. Arefacta radicum fruftula cretæ inftar albefcunt, duranturqne tantum, ad exarandos characteres illis uti ut liceat. In mortario ligneo contufa in farinam fubinde rediguntur, ex qua panem coquunt variæ figuræ falubrem quidem, fed illis duntaxat fapidum, qui triticum noftrum ne primoribus quidem labris deguftarunt unquam. Panes ejufmodi Americani tabulæ funt rotundæ, candidæ, tenues, corticis, qui ex fubere avellitur, inftar duriufculæ, & Mbeyù a Quaraniis vocantur. Liborum, quæ ex farina melle mixta in Germania fiunt, fpeciem referunt, fed fapore omni deftituuntur. Alias ex Mandiò radicibus fuccum exprimunt, qui per binas horas in vafculo relictus albam in fundo deponit fæcem. Ex hoc ficcata farinam, ex farina placentulas, globulos, & nefcio, quæ alia, conficiunt. Ex eodem fucco ad focum excocto pultem parant a Quaraniis Mingaù dictam, quæ ut ad famem fedandam plerumque, fic etiam amyli loco ad incruftandas veftes, imo & glutinis loco ad papirum conglutinandam aliquando adhibetur. Aliud Mandio genus eft, cujus radices aquis per dies aliquot im̃erfas, & jam molliores fub cineribus affant, eduntque impune. Longum fit modos referre omnes, quibus Mandiocam jam in cibum, jam in potum, jam in medicinam, jam butyro, oryza, faccharoque admixtis in bellaria convertere folent. Felices Americani, qui tot artificiis ftomachum decipere fuum, & tranquillare nôrunt! Ego enimvero, fæpe in itineribus efurientiffimus licet, a me impetrare nunquam potui, ut Mandiocam quocunque demum modo conciñatam in famis remedium adhiberem. Illam

gustavi identidem, identidem cum nausea rejeci. Americanis sapit. satis est. Haud equidem invideo. Miror magis. Fateor tamen, radicem Mandiò integram, rite perpurgatam, cum carne bubula coctam neutiquam insuavem esse palato. Talis mandiocæ usus & gratissimus mihi, & unicus fuit. Aliis quoque modis præparatas has radices, etsi insipidas Europæo, succi tamen, sanguinisque boni genitrices esse, nunquam dubitavi; Nam, ut alia taceam argumenta, matres Americanæ, siquando ad prolem lactandam lac sibi deficere sentiant, quam primum cocta Mandioca se refecerint aliquoties, aridas paulo ante mamas lacte rursus impleri, experiuntur. Lusitani in Brasilia sola plerumque Mandiocæ farina (Farinha do pao) instructi ardua multorum mensium per immensas solitudines itinera pedites suscipiunt, perficiuntque. Lusitani quoque nautæ, dum in Brasiliæ portubus multos menses detinentur, dumque in suam renavigant lusitaniam, Mandiocâ potissimum aluntur, quin & major indigenarum pars; continuis enim pluviis tritici culturam impedientibus nobilissimi solum triticeo vescuntur pane farina magnis sumptibus per Oceanum Ulyssipone advectâ. Americani quoque Boreales magni faciunt, coluntque solerter mandiocam, quæ a Mexicanis yucà, & panis ex ea coctus Cazave appellatur. Radicem Mandio, quam a Divo Thoma Apostolo (de quo alio in loco plura differemus) sibi detectam ex majorum suorum documentis asserunt Indi Brasili, Paraquariique, præclarissimum optimi Numinis beneficium putant, quippe unicum non raro vitæ tolerandæ subsidium. Quamvis enim jam a locustis, formicis, aliisque bestiis voracibus, jam diutina cœli siccitate triticum (Mayz) olera, legumina, pepones, arborum fruges funditus deleantur, Mandioca sub terra semper

ſuperſtes rerum cæterarum ſolet eſſe ſupplementum; Arboris enim hujus ramis, foliisque quacunque de cauſa deſtructis licet, ejus radices vigent, creſcunt, incolumes remanent. Siccitas, plantis reliquis lethifera, iſti propitia eſt, & maxime ſalutaris. Mirandum illud, breviterque diſcutiendum: Mandio radices crudas a beſtiis citra ullam noxam vorari, ajunt; ſuccum vero ex iis expreſſum beſtiis juxta, ac hominibus lethalem eſſe, cum tamen idem rite coctus omnibus ſit ſalutaris. Si enim venena aliqua per calorem evadunt nocentiora, cur ſuccus Mandiocæ igne coctus redditur innoxius? Cardenas medicus opinatur, Mandiocæ ſuccum e rebus duabus diverſis componi, quarum altera vapor quidam ſubtilis virulentus ſit: Altera craſſior, glutinoſa, & animantibus ſalutaris; Per ignem diſſipari vaporem noxium, partem vero illam craſſiorem, & innoxiam remanere. Hæc ille. Si cui aliud ſentire lubuerit, nil repugnabo. Multa certe vel ob nativum frigus, vel ob calorem nimium humanis corporibus pernicioſa per artem chemicam ope ignis corriguntur, mutanturque adeo, ut quod crudum antea fuerat venenum, medicorum arbitrio, artificioque coctum, vel immixtis aliis temperatum ſubito evadat medicamentum. Ex cicuta, aliis trecentis id liquet. Cæterum author ſum advenis Europæis, ne cibis e Mandioca paratis, neu obviis in America fructibus quibusvis temere veſcantur; Indigenarum ſtent conſilio, qui plantarum ſuarum ſcientia, experientiaque præditi eſcam a veneno, innoxia a noxiis diſcernere nôrunt. Elegantiſſimum, quod oculis mire blanditur, pomulum viſceribus, ſi edatur, labem adferet, vel cruciatum. Sed jam nominum affinitas, ut a Mandio eſculento ad laniferum Mandiyù tranſeamus, me monet.

Man-

Mandyù Goſſipium.

Ut Mandiò ad Americanos alendos, ſic Mandiyù (latinis Goſſipium, Hiſpanis Algodòn) ad eos tegendos plurimum confert. Hoc etſi oculis uſurpent Europæi, verſentque manibus quotidie, ejus tamen originem quam plurimi ignorant. Dicam. Procreatur a fruticibus, qui corylo hujate vix majores, lignum, corticemque ſambuci referunt. Foliis tenerrimis, copioſis, laciniofisque veſtiuntur. Tria inter foliola, qualibus avellanæ adhuc virides cinguntur, flores oriuntur roſis ampliores, e quinque foliis latis flavi coloris compoſiti, ſtriis rubris intermixtis. Ex concavo florum fundo ſtamina crocea aſſurgunt. Flores in fructum abeunt denique viridem ovatæ figuræ, vel potius conicæ, calici, ſeu globo roſarum nondum explicitarum ſimilem, qui prunum majus magnitudine excedit jam adultus. Maturus nigreſcit, & ſua ſponte in tres finditur partes, ac Goſſipium candidiſſimum undique protrudit, quod ſeminibus nigris, figura, & mole ſua piſtaceis ſimilibus, eſt pleniſſimum. Sub atra horum ſeminum cute latens medulla coloris albi eſt in flavedinem inclinantis, ſaporis dulcis, & multæ pinguedinis, magnique ad tuſſim, ac reſpirandi dificultatem ſedandam uſus. Oleum ex eodem ſemine expreſſum adverſus calculi dolores, ad obliterandas item cutis maculas valere dicitur. Goſſipium ipſum crematum ſanguinem ſiſtit. Cum ſenſim matureſcat, maturumque ſuo e clauſtro erumpat goſſipium, non uno, ut triticum, die colligitur, ſed, qui quotidie colligant, mittendi. Quaranicis in oppidis id puellarum eſt negotium, quæ leni gradu agrum luſtrantes blanda, ne frutices offendantur, manu fructum decerpunt. Collectum quotidie Goſſipium in domus area per pelles bubulas ſparſum, ut ſicce-

ſiccetur, ſoli exponitur. His rite obſervatis vel ſacco coriaceo clauſum annos plures tutò vel ſervari poteſt, vel, ut primum lubuerit, in fila attenuari. Ex eo enim omnis generis telæ, carbaſus, ſindon, byſſus ab Indis texuntur. Ad ſemina illa e Goſſipio extricanda fœminæ machina lignea, quæ duobus e cylindris, binos digitos craſſis, conſtat, utuntur. Hos intruſo illis Goſſipio dum circumagunt manu, ſemina ultro humum decidunt, quia, cum craſſiora ſint ſpatiô duos inter cylindros medio, ab his arctè compreſſis expelluntur. Germani Goſſipium lanam arboream non abs re appellant, quia, etſi fere ex fruticibus colligatur, in arboribus tamen provenit aliquando. In urbe Sancti Jacobi ejus generis arborem annoſam, trunci, proceritatisque mediocris ipſus ſpectavi, ex qua collectum goſſipium impendebatur ellychnio lampadis argenteæ, quæ noſtro in templo ad ſignificandam, honorandamque Euchariſtici Numinis præſentiam diu noctuque, ut ubique mos fert, lucebat. In nonnullis Paraquariæ locis goſſipium flavum provenit. Sed hæc rariora. Quidquid enim alias Goſſipii in illa provincia eſt, nivis inſtar albet, & e fruticibus naſcitur, qui e ſemine per agri areolas ſparſo orti fructum reddunt annis plurimis. Si quæ forte planta vel exareſcat, vel conſeneſcat, novo ſemine injecto nova ſuccreſcit, ac primo mox anno eſt fructuoſa. Goſſipium amat ſolum apricum, lapidoſum, altum, ventis undique pervium; Loca paluſtria, ſylvis clauſa, uliginoſa, Cœlum pertinaciter pluvioſum huic plantæ ſunt certe exitialia. Ex humore enim, vel imbre nimio vermes innumeri procreantur, qui fruticis ramos, folia, corticem, fructum ipſum miſere depaſcunt, ſed raro impune; Nam volucres prægrandes, nominis mihi jam ignoti, turmatim advolant, a quibus vermes Goſſipii vaſtatores

devorantur, nullo tamen, vaſtatis ſcilicet jam agris, colonorum emolumento. Campus Goſſipio generando ſuapte opportuniſſimus cxquiſitam poſcit culturam. Arandus iterum, iterumque eſt, ac ne tribuli, lolia, herbæ increbreſcant, identidem repurgandus. Sulcos, ſcrobesque, quibus ſingulis terna, quaternave Goiſipii ſemina recentiora inſeruntur, via recta, tantoque intervallo relicto facere oportet, ut per æquales areolas bobus duobus aratoribus tranſitus pateat. Annis equidem ſingulis idem arandus eſt denuo ager, & vere propinquante plantarum rami, foliis hyeme nudati, ut vites, putantur, novis mox frondibus veſtiendi. Prolixius de Goſſipii cultnra diſſerui, quòd dudum optaveram, ut de utiliſſima hac planta in Auſtriacæ ditionis provincias introducenda cogitetur aliquando, ne cogeremur tantam Goſſipii vim ex Melita, Candia, vel aliis, quas ſeu Archipelagus, ſeu America habet, inſulis immenſo ſumptu mercari. Haud equidem inficior, Goſſipium non niſi mitiore ſub Cœlo procreari. Ea certe de cauſa nec ubique terrarum provenit in America. In Boni aeris, cæterisque Auſtro, qui iſtic fri idus eſt, propinquioribus territoriis nuſquam in campo Goſſipii plantam videas. Videres forſitan, ſi ſereretur. Hæc opinio certo mihi nititur experimento. Oppidum yapeyu, cui etiam a Sanctis tribus Regibus nomen eſt, ſepties mille Quaranios incolas Chriſtianos numerat, in occidentali uruquayi litore ſitum, & ducentas admodum leucas orientem inter & Boream (Nordoſt) a Boni aeris urbe remotum Tabacam, Herbam Paraquaricam, Goſſipium Indis habitatoribus neceſſaria ex aliis Quaraniorum oppidis, ſeptentrioni vicinioribus emere cogebatur quot annis, quod aura illic rigidior ejuſmodi plantarum procreationi obſtare crederetur ſemper. Ovium, boum-

que,

que, quibus ſupra Europæorum fidem illud abundat oppidum, multa quot annis millia pro Goſſipio, tabaca, Herba Paraquarica vendebantur. Pater Franciſcus Serdaheli Hungarus, meus in Auſtria, & navigatione ſocius, & oppidi Yapeyu per annos complures Parochus illas tres plantas ſevit, coluitque ea felicitate, ut uberima ſubinde meſſis omnium expectationem ſuperarit, luculenta ejus oppidi utilitate. Etſi non omnis ferat omnia tellus, multi tamen telluris tractus a ſegnioribus colonis nequidquam ſterilitatis accuſantur. Dummodo ſemen, culturamqne ab iis acciperent, fructum redderent haud dubie quantavis ſpe majorem. Plures Bannatus, Sclavoniæ, Hungariæque campi, qui vino generoſo, & nativa Tabaca abundant, Goſſipio pariter, ſi sereretur, abundarent. De Goritienſi, vicinisque territoriis, ubi aura lenior, eo confidentius id affirmo. Quanta jam ſerici portio his in provinciis colligitur quot annis! Moros, bombycum altrices, quis enumeret? ſericum incredibili cum quæſtu vendunt nepotes, quod eorum avi, atavique de nomine duntaxat norunt. Nobiliſſimo Hungariæ Regno auri, argenti, æris, pecorum, vini, tritici, tabacæ, omnis generis frugum ditiſſimo novus hic opes augendi fons detectus eſt Auguſtiſſima Maria Thereſia imperante, colonorum induſtriam & acuente, & remunerante. Quidſi Joſepho Secundo Cæſare, ſceptrorum illius digniſſimo hærede his iam Provinciis dominante, & ſuorum commercium terra, marique ad vicinorum invidiam feliciter amplificante Goſſipii quoque cultura invaleſceret? Quanta inde orbi Auſtriaco emolumenta accedent, quanta compendia! ſi domi habuerimus, quod foris erat petendum. Sit, qui incipiat, principiis optati reſpondebunt progreſſus. Neque imitatores deerunt uſquam coloni, utilitatum ſpe allecti,

cti, quin & laboris facilitate, cum multo operosior sit lini, quam Gossipii præparatio; Hoc enim a frutice avulsum, & sole horas aliquot siccatum fœminis, quæ fila ducant, potest tradi. linum e contrario, antequam ad textrinam transeat, quot hominum occupat manus! Evulsum ex agro, calycibusque jam liberum in lacuna macerandum, rursus in calefactis tuguriis torrendum, stupariis malleis contundendum, frangibulo conterendum, ferreo pectine, ut cortices decidant, & flocci, carminandum. Hæc dum rite præstentur omnia, hebdomades abeunt non paucæ. Minoris negotii gossipium est, quod maximo & temporis, & laboris compendio ex campo ad colum, vel fusum, inde ad textrinam transfertur. Quare labori ut parceretur, & tempori, Quaraniorum in coloniis non linum, etsi satum lætissime proveniat, sed Gossipium seritur, quo centena propemodum Indorum millia quot annis vestiuntur. In iisdem tamen oppidis ager lino conserebatur, sed eum duntaxat in finem, ut ex ejus seminibus oleum exprimeretur tum medicinis, tum pictoribus necessarium. Scapus lini, metu laboris, abjicitur semper. Vulgus Hispanorum Paraquariensium indusiis gossipinis utitur, opulentiores lineis. Malunt telas lineas ex Europa allatas incredibili plerumque pretio emere, quam lini colendi molestias subire. Num reprehensione minus digni Europæorum multi, qui gossipium magnis sumptibus aliunde advehunt, quod, dummodo id plantare non pigeat, tellus patria illis liberali manu largiretur. Idem prope de Oryzæ cultura in Austriacas terras introducenda sentiendum.

Oryza

Oryza.

Primis, quos in Paraquaria egeram, annis adeo rara fuit, caraque oryza, ut, cum alienis e provinciis adveheretur, vix aliquando, ac ne vix quidem noſtris in menſis compareret. Nusquam ſeminabatur, & qui ſponte ſua in remotiſſimis ad Paraquayi ſeptentrionalia litora naſcentem oryzam colligeret, adferretque, nemo Hiſpanorum fuit, Payaquas Barbaros iſtic graſſantes, jure formidantium. A luſitanis Braſilis demum inſtructi Quaranicis in oppidis oryzam ſerere cæpimus, tantaque paſſim meſſis erat, ut conſumi neutiquam poſſet. Cum enim operoſum ſit, oryzæ granum ſuo extricare e cortice, Indi tantum laborem pertæſi triticum Turcicum, quod nullo negotio in mortariis conteritur, quam oryzam edere malunt. Uberrimam igitur meſſem tanta oryzæ multitudo conſecuta eſt quanta ejus tum caritas, tum inopia quondam fuit. Neque ſibi perſuadeat quispiam, oryzæ ſeminationem, educationemque artificiis, neſcio, quibus conſtare; Nam tritici Europæi more & ſeritur, & metitur eo tamen diſcrimine, quod vere ineunte, campoque natura humidiori ſemina ſint mandanda. Oryzam non niſi in locis paluſtribus, & uliginoſis generari, perperam affirmarunt plerique. Enimvero quæ a nobis in ſylvis, vel potius in campo, qui olim ſylva fuit, ſeminata eſt, uberiorem longe nobis reddidit fructum, quam quæ paluſtri in loco ſeminabatur. Locus equidem ab arboribus antea occupatus nativam diu humiditatem retinet, cineresque ex arboribus exciſis, ac eadem in ſtatione crematis incredibilem humo impertiuntur fertilitatem. In hujusmodi campis Quaranii & tabacam, & Mayz, & pleraque alia, goſſipium ſi excipias, ingenti cum fœnore paſſim ſerere conſueverunt. ſincero, quo in

Pa-

Patriam noſtram feror, ſtudio impenſius hæc, prolixiusque annotanda putavi. Ardentiſſime enim optabam dudum, his ut in provinciis civitate donaretur Goſſipii, & Oryzæ cultura, quæ innumerabilium orientem ſolem verſus populorum princeps eſt, ſaluberrimaque annona, & humanis corporibus præ quavis carne robur infundit ſingulare, exiguoque temporis intervallo convaleſcentibus lapſas vires reddere conſuevit. Experimentum multiplex de hoc me reddidit certiſſimum. In multis, multas in hebdomades productis itineribus oryza unicum mihi ſæpe, utiliſſimumque viaticum fuit. Cui lubuerit, licebit tentare hunc ſeu Goſſipii, ſeu Oryzæ ſatum, & vix pœnitebit tentaſſe. Alius, aliusque locus, aliud, aliudque tempus experiundum, ſuadeo, dum optata denique meſſis reſpondeat ſementi. Quot flores, fructusque peregrini, quot plantæ ex Africa, Aſia, America ad nos translatæ ſolo huiati egregie aſſueverunt! ſed hem! ſuperi boni! quantum in hoc arborum, fruticum, plantarumque labyrintho me implicui, exitum e ſylvis ut vix inveniam. Quin illis immorari lubet tantiſper, dum, arboribus ſeu medicinalibus expoſitis alias quoque ſeu fabricis tantum utiles, ſeu alio nomine memorabiles ſaltem raptim enumeravero.

Tayÿ Urundeÿ Quebracho.

Præter arbores jam recitatas: lignum ſanctum, Quayacàn, Miſtol, Tatayÿ, Anguaÿ, Algarrobo, Molle &c. Singulari duritie, magnitudineque excellunt Tayÿ, ſeu Tajibo, Urundeÿ, Quebracho ſeu rubri, ſeu pallidi coloris; utraque arbor ab Hiſpanis Quebracho, vel Quebrahacho dicitur, quod, ni-

ſi a lignatore, aut fabro perito dextre cædantur, ſecures primo frangant ictu.; Duritie enim ferrum prope æquant. *Hacha* ſecurim, *quebrar* frangere ſignificat. Quebracho colorado, ſeu ruber, cortice quamdiu tegitur ſuo, pallet. Ut primum cæditur, ac elaboratur, reſina, qua abundat, per aerem calidum liqueſcente, & ad exteriores ligni partes affluente illico rubeſcit, ac Porphyrii marmoris inſtar ſplendet. Quaranii Tayỹ arboris ſegmenta comburunt, fumumque, ſeu fuliginem inde aſſurgentem ſcutella munda excipiunt, & aqua calida affuſa bene ſubactum in atramentum pro ſcribendis literis convertere nôrunt, ſi gum̃i, & ſacchari aliquid admiſceatur, non aſpernandum.

Lapacho.

Lapacho ligni ſui duritie, pondereque eminet, molis, quibus cannæ ſacchari, olivæ, aliaque exprimuntur, plauſtrorum item rotis fabricandis inſigniter ſervit.

Virarò.

Virarò materiem albam, haud equidem duriſſimam, ſed perdiu durantem miniſtrat.

Eſpinillo.

Epinillo, Abiponibus Apagnìk, vel Apar̃ek, ignum firmiſſimum, ſed, quia indocile, foco, quam abrili operi aptius.

Neter.

Neterge.

Neterge, Hiſpanis Palo de dardo, ex cujus medulla haſtæ, & haſtilia validiſſima conficiuntur. Arbor eſt & trunci amplitudine, & proceritate inſignis. Illius folia, ſpinis longis teretibus ſimilia, humum verſus porriguntur. Vaginas præterea, ſeu folliculos, ut Algarroba nigra, fructus loco profert, ſpithamam circiter longos, & balſamum olentes. Arboris medulla, duritie ferro par, violacei eſt coloris, qui tamen, dum haſtæ manibus teruntur aliquamdiu, in nigrum mutatur. Qua ratione haſtilia inde parent Barbari, alibi docebimus.

Ÿbarô.

Ÿbarô arbor magnæ molis Palo de Roſarios ab Hiſpanis appellatur, quod ſphæras nigras, ſplendentes, avellanis prope pares magnitudine proferat, e quibus in medio terebratis Roſaria Mariana concinnantur. Abundant & campi non nulli fruticibus, in quibus ejusdem coloris ſphærulæ, ſed multo minores, naſcuntur, quales in Europa vulgo frutillas vocamus.

Çevil.

Çevil arbor ſimul corticem præbet coriis macerandis utilem, ſimul folliculos quosdam, quos Indi Barbari quondam incenderant, & arcto in tugurio clauſi eorum fumum, follibus concitatum, ore, naribus, toto corpore excipiebant, quo ebrii, amentes, & aliquamdiu furioſi evaſere. Sed is mos Barbarorum barbariſſimus dudum exolevit. Hodie fumo non contenti potionibus variis temulentiam ſibi, amentiamque accerſunt. De quo plurima alias.



Seibo.

Seibo, Abiponibus Naiñik arbor mediocris, floribus violaceis ſuperba, ramis tortuoſis, ligno ſpongioſo, & ut ſuber, tam molli conſtat, ut recens cultello quovis, ceu pomum, ſecari poſſit quidem, aridum vero neque ſecuribus elaborari. Ramulus illius quivis humo infixus radices agit confeſtim, creſcitque. Tigris quoties ungues ſibi ardere ſentit, iisdem ad dolorem mitigandum hujus arboris corticem dicitur refricare.

Palo de leche.

Palo de leche ab Hiſpanis, ſeu arbor lactea, ab Abiponibus Nichiegík dicitur, quod ejus lignum lacte candidius ſit, ſed adeo blandum, ut cultro vulgari ſcindi poſſit, & ad fabrilia opuſcula adhiberi.

Ÿçapÿ.

Ÿçapÿ arbor ampla, & eximiæ proceritatis, foliis pomi citrinæ, ſed exilioribus, virorisque magis pallidi affluit. Id ſingulare, quod aere leniori diu, noctuque quodvis ejus folium aquam ſtillet copioſam, quæ circumjectum arbori ſpatium rigat, adeoque lutoſum reddit, ut nobis ſylvas peranbulantibus plurimum ſæpius moleſtiæ crearit. Lignum arboris perleve eſt, ac lentum, nec humiditate finditur; Quapropter ſtapedibus, ligneis enim vulgus utitur, opportunum. Joannes Verkens lipſienſis in relatione itineris a Batavis ad orientales Indias ductore Petro Wilhelmo Verhuffen olim ſuſcepti narrat, in inſula Ferro, ex canariis una, arborem prægrandem inveniri, quæ quavis anni parte diu, noctuque aquam

ſtillan-

ſtillando fundit, ad quam pro ſuo, pecorumque ſuorum uſu recipiendum indigenæ cantharos majores ſuſpendunt; Incredibilem enim aquæ dulcis penuriam iſtic eſſe, affirmat. Quæ ſi vera ſint, eandem eſſe arborem ſuſpicor, quæ in Paraquaria Ÿcapy a Quaraniis appellatur. Hanc aquam medica quadam virtute pollere ferunt, ſed quali, me latet.

Arbor formicarum.

Arbol de hormigas, arbor formicarum dicitur. E ligno componitur imbecilli, & ſpongioſo. Arbor, quanta eſt, cribri inſtar undique perforata, & a formicis inſeſſa eminus fugienda, ſi ſapiunt, tranſeuntibus. Si enim arborem vel attigeris, veluti claſſico audito formicarum exercitus e latebris ſuis proſiliens & te, & arborem ipſam opplebit. Maturandam, illico fugam, ni miſere excruciari a formicis, dilaniarique velis, magnopere tibi ſuadeo.

Umbù.

Umbù ab Abiponibus Akalmaik dicitur. Tanta eſt arboris hujus, ſi ramos, truncumque ſpectes, amplitudo, ejus pedem ſol nunquam ut videat. Viris quinquaginta ſub illa conſidentibus umbram liberalem præbet, eoſque adverſus imbrem quantumvis tuetur. Tiliæ Europææ cum umbu annoſa compoſitæ quid? niſi umbræ, ac pumiliones.

Salix.

Salix, Hiſpanis Sauçe, Abiponibus Apañañik; etſi inſulas Paranæ, & quorundam amnium ripas paſſim impleat, alibi ad multa ſæpe terrarum ſpatia non

 repe-

reperitur. Saligna folia, vel ligna jam medicinæ jam alium in finem necessaria multo interdum, sed irrito semper labore a nobis quærebantur. Salicetorum in insulis, & ipsarum adeo insularum originem interitumque alias exposuimus.

Ambaў.

Ambaў ex ficuum sylvestrium genere paucos intra menses in mediocrem assurgit altitudinem. Caudice est tenui, & sambuci instar perforato, cortice ficubus proprio, ligno betularum colorem album imitante, sed adeo molli, cultellis secari ut queat. Ramis paucissimis, foliis vero prægrandibus, ac laciniosis circa summitatem duntaxat ornatur; Major enim caudicis pars, ut palmis usuvenit, frondibus nuda adstat. Indis volupe est penes sua tuguria hanc plantare arborem, quod illis multiplici est usui. Nam radicem illius siccatam bacillo ex ligno duriori facto subjiciunt, quem dum manibus velocissime circumagunt, per utriusque ligni affrictum ignem eliciunt, admotaque stupa, palea, vel folio arido excipiunt, aluntque. Idem, quod Ambaў radix, lignum caraquata, vel Urucuў præstat, quin seu chalybe, seu pyrite, aut silice opus sit Americanis. Adhæc Ambaў arbor tum foliorum amœna viriditate, qua oculos recreat, tum corticis, succi, folii, quibus vario modo applicatis jam Gonorrhœam, jam sanguinis menstrui immoderationem, jam alvi proluviem compescunt, salubritate Indis magnopere se commendat.

Nux juglans.

Nux juglans, quæ ab hujatibus figura, fructuque nil differt, in Tucumaniæ sylvis frequentissima est,

in

in aliis Paraquariæ territoriis rarior. Ejus lignum ſcloporum thecis, mannbriis, aliis arculariorum operibus impenditur. Nucum diverſa ſunt genera: Aliæ prægrandes, & blandi corticis: Pumilæ aliæ, & corticis prope lapidei.

Urucuỷ.

Urucuỷ frutex arboreſcens ligni candore, ac corticis nigredine corylum imitatur. Ejus folia grandiora ſunt, & corculi ſpeciem referunt. Flores e quinque foliis albis non nihil rubeſcentibus compoſiti Roſam vulgarem magnitudine æquant, carent tamen odore. Pro fructu illi ſunt ſiliquæ primum virides, dein' rubicundæ, in quarum ſingulis quadraginta circiter grana latent piſornm inſtar, ſed utrinque complanata, &, ut malorum ſemina carnem habent candidam. Eorum ſuperficies rubore luculento ſplendet, eoque tangentium ſe manus tingit confeſtim. Siliquæ maturæ ultro diſſiliunt. Grana hæc ſeu ſicca jam, ſeu recentia Minium ſupplent. Contrita, aquaque conſperſa jam Barbarorum corporibus ornatus gratia, jam telis, cantharis, quibusvis aliis rebus pingendis, tingendisve paſſim adhibentur. Coccineus hic color rebus illitus pertinaciſſime inhæret, ſi granis Urucuỷ aqua calida ſubactis urina, vel alumen admiſceatur. Eadem grana aquæ feruenti injiciuntur, & ex colore in fundo ſubſidente tabellæ fiunt. quæ in Europa a fœmiuis ad fucandas facies, ad alia a pictoribus, tinctoribusque impenduntur. In medicina quoque, ac culina locum habent, variis modis parata, ac permixta. Ligno urucuỷ, ut paulo ante dixeram, ad eliciendum ignem Indi utuntur. Ex arboris cortice rudentes, chordas, funes,

cannabinis fortiores texunt alii. Territorium ſylvis, rupibus, paludibus, ſtagnis horridum, quod a frequentia arborum Urucuy Urucutì appellatur, ſæpe, diuque repetitis itineribus, jam eques, jam ut res ferebat, pedes, peragravi, dum in vicino ſancti Joachimi territorio octennium verſabar. Cum de coccinei coloris origine egerim, de plantis, quæ cæruleum, purpureum, flavum, nigrumque colorem ſuppeditant, juvat diſſerere.

Añil, ſeu Indigo.

Maſſa illa cærulei coloris, quæ ab Hiſpanis Añil, vel Añir, a cæteris Europæis Indigo dicitur, conſit ex planta, cui radix tenuis, longa, in plures ſurculos diviſa; Inde caules prolixi partim humi ſerpentes, partim in altum arrecti oriuntur. Uno e latere rubeſcunt, ramulis, foliolisque rotundis digiti auricularis unguem mole æquantibus, hinc obſcure viridibus, inde argenti inſtar albentibus onerantur. Plantæ hujus floſculi purpurei non nihil palleſcunt, floribus piſorum, vel ut alii explicant, caſſidi apertæ ſimiles. His ſiliquæ a caule pendentes ſuccedunt, ſemine olivarum colorem referente, & raparum ſemini ſimillimo, refertæ. Folia plantæ jam maturæ in faſciculos colligata lapideo in mortario tunduntur primum. Mox lebeti aqua tepida, vel quod alii magis probant, frigida pleno injecta macerantur aliquamdiu, ac identidem circumaguntur. In menſa denique lignea, ligneo margine altiori circumdata, in qua hinc, atque illinc ſcrobes cavati ſint, effunduntur. Aqua inani dilabente ſpiſſior coloris materia in illis ſcrobibus ſubſidit, coagulatur, induraturque. Inde exeptæ particulæ ſolidæ pluribus porro diebus ſiccantur; Quo enim ſicciores, eo propius ad

cæruleum, quem venetum appellant, colorem accedunt. Atque hic modus eſt colorem Indigo parandi, etſi alios aliis modis, atque inſtrumentis eundem in finem uti haud ignorem. Qui telas, pannosve eo colore tingunt in Paraquaria, puerorum urinam, ut firmius color inhæreat, non alumen illi admiſcent. Hæc planta Añil alibi ſeritur, in Paraquaria ſponte ſua per campos paſſim naſcitur, ſed, ut plura alia, e quibus quæſtum facere poſſent indigenæ, fere negligitur, induſtria liberalitati naturæ raro reſpondente. In prædio quodam urbis ſancti Jacobi officina Indigo colori parando deſtinata ingentes olim hero ſuo attulit utilitates, quod ex ſuperſtitibus rationum libris patet. Mortaria ſaxea, & neſcio quæalia deſertæ officinæ inſtrumenta viſuntur etiamnum. In Europæis quoque provinciis, ubi mitior aeris temperies, plantam hanc coli poſſe, dubitavi nunquam. In blandiori ſcilicet, beneque ſubacto ſolo jaciendum eſſet ſemen. Teneræ adhuc plantulæ, ut lactucam, & braſſicas ſolemus, transferendæ eo modo, ut alia ab alia opportuno diſtet intervallo. Ne lolia plantas adoleſcentes ſuffocent, curandum ſolerter. Hæc planta, de qua mihi ſermo hactenus, quo vocabulo a latinis deſignetur, arduum eſt ſtatuere. Arabes colorem cæruleum, & notam herbam Iſatidem, vel Glaſtum *Nil* vel *Nir* vocarunt. Hiſpani idem nomen plantæ Indigo applicuerunt, ſyllaba *An* ceu articulo præfixa, dicuntque Añil, vel Añir, eo fere modo, quo pro Chimia Alchimia, pro Coràn Mahumetis lege Alcoràn dici ſolet; *Al* enim articulus nominis putatur. Vide dictionarium vetuſtiſſimum Antonii Nebriſſenſis Hiſpani. Alii quoque lexicographi Glaſtum & Iſatidem pro ſynonimis vendunt; Hoc enim græcæ, illud latinæ originis eſt, quamvis linguæ Britannicæ vocabulum ab aliis rectius putetur. Nam

Cæſar libro quinto, capite quarto decimo ait: *Omnes vero ſe Britanni vitro inficiunt, quod cæruleum efficit colorem; Atque hoc horridiore ſunt in pugna aſpectu.* Alii non *vitrô* ſed *Glaſtô* legeudum eſſe, multis paginis contendunt. Qui Cæſaris commentarios commentariis ſuis illuſtrarunt, ni dicere mavis, obſcurarunt, incredibile eſt, quam acriter, quam inutiliter de diverſa hac lectione inter ſe digladientur; Eo enim controverſia demum recidit, ut *vitrum* vocem latinam, Glaſtum Britannicam eſſe, & utramque eandem herbam ſignificare, quæ cæruleum efficit colorem. Nam Plinius libro 22. Capite 1. ſcribit: *Simile plantagini Glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges, nurusque toto corpore oblitæ quibusdam in ſacris, & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes*, ſcilicet fuſcum, Glaſto proprium; Haud enim colorem cæruleum cæleſtem, ſeu, ut vulgo dicimus, Berolinenſem imprimit, ſed obſcurum. Glaſtum vero, & vitrum ſynonyma eſſe, ut aliorum teſtimonia omittam, ex Humfredo Lhuyd Cambro-Britanno perſpicuum eſt, qui ait: *Nec hi, ſed Britanni, ut Cæſar, & alii referunt, corpora Glaſto in cæruleum colorem, ut hoſtibus terribiliores viderentur, pingere ſoliti. Et nobis in hunc diem, quod antiquitatem probare videtur, cæruleus color Glas dicitur, quo nomine & herba illa plantagini haud diſſimilis, & mercatoribus nunc optime cognita nuncupatur.* Hæc Anglus de Anglia ſcribens. Nos quoque Germani vitrum *Glas* etiamnum vocamus. De hoc argumento plura noſſe ſi cupis, lege clariſſimi viri Franciſci Oudendorpii Batavi commentarios in librum quintum, caput quartum decimum Cæſaris paulo ante a me memoratum. Qui rerum naturalium hiſtoriam noſtra ſcripſerunt ætate, Iſatidem tinctoriam, Germanis ſalix Der Waid, in Gallia, Thuringia, & alibi provenientem ab Indigo colore Americano diſtin-

ſtinquunt. Sed hæc lis de nomine eſt, quam aliis arbitrandam lubens committo.

Cochinilla.

Cochinilla, vel, ut alii, Cochinella noti coloris ab Abiponibus Cachil, ab Hiſpanis la grana dicitur, propter aliquam cum granis Chermes affinitatem, quæ ex Ilice coccigera colliguntur. Hæc arbuſcula frequentiſſima eſt in Hiſpania, maxime in Bætica, olim Turdetana provincia, in Luſitania item, & in quibusdam Galliæ tractibus. In Ilicis iſtius foliis cocca, ſeu grana rubra procreantur, reipſa, ut ferunt, vermium nidi; muſcæ enim minutæ hæc folia terebrant, ac in iis ovula deponunt ſua, unde grana Chermes oriri dicuntur, quibus tinctores, pictoresque ad res colore coccineo, ſeu purpureo imbuendas uti ſolent, quem & Murex, oſtrum, ſeu conchylium aliis miniſtrat. Cochinillæ Paraquarienſis origo ſunt inſecta alata, quæ carduis quibusdam, quos Hiſpani Tunas, alii ficus Indicas appellant, ſemper inſident, eorumque ſucco aluntur. Plura ſunt carduorum ejusmodi genera ut fructu, ſic figura diſcrepantia. Alios Lakà, alios Roàyami, Kakeè, Nanapraħéte alios vocant Abipones, omnes tamen eſculentos. Carduus, in quo Cochinilla reperitur, univerſali nomine Tuna ab Hiſpanis, Jamacarù a Braſilis, Opuntia a Botanicis vocatur. E radice admodum brevi truncus aſſurgit craſſus jam trium, jam quatuor angulorum, viridis, tortuoſus, pulpæ albæ, & fragilis, undique ſpinis aculeatus; huic foliorum, & frondium loco trunci alii omnino ſimiles, ſat longi hinc, atque illinc adnaſcuntur, ſucco pleniſſimi. Floribus flavis fructus ſuccedunt rubri, ficu vulgari majores, dulcis ſimul, ſimul aciduli ſaporis, ac vel ideo palato jucundi. Eo-

rum

rum pulpa nigris, minutisque ſeminibus, ut uva acinis, turget; cortice nudata mirifice ſapit, maxime ſitientibus, & ex calore ægris. Ex his igitur fruticibus per campos paſſim obviis fœminæ Cochinillam colligunt, quæ ex micis albis, perexiguis, fluidis, & muco ſimillimis conſtat. Plurimæ iſtiusmodi particulæ in tabellas tenues rotundas compactæ, aerique aliquamdiu expoſitæ rubeſcunt demum, & indurantur. Neque alia, ut pingendis tingendisve rebus ſerviant, induſtria porro eſt opus. Sunt, qui Cochinillam vermiculum Indicum eſſe, ex quo toſto, vel manibus contrito color coccineus conficitur, ſcripſerunt, quibus, ſi de quavis Americæ Cochinilla id dictum velint, non poſſum non repugnare. Plus equidem fidei oculis meis, quam verbis alienis tribuo. Maſſam illam albam, fluidam, e carduis collectam, a fœminis allatam toties vidi, manibus contrectavi meis, floribus pingendis, aceto colore rubro imbuendo adhibui, nunquam illi vel minimam illius inſecti particulam immixtam deprehendi Ejusmodi reculas Cochinillæ admixtas ſi deprehendant Europæi, id fraudibus mercatorum exterorum factum credant, qui res heterogeneas immiſcendo & pondus, & lucra ſua augere conantur. Sic Tamarindis pruna noſtratia ab illis admiſceri, pharmacopola ingenue mihi erat conqueſtus. Paucis abhinc annis in publica urbis taberna cochinillam emi, ſed adeo Corruptam, & neſcio, quibus quisquiliis vitiatam, ut, cum nullum prorſus colorem redderet, nulli mihi uſui fuerit. Clariſſimus medicus Woyts in ſuo gazaphylocio, triplicem, quin quadruplicem cochinillam ab exteris mercatoribus Europæ inferri, alteram ab altera multum diſcrepantem, refert. Quid alibi ab aliis fiat in paranda Cochinilla, plane ignoro; Paraquaricam, de qua ſola mihi ſermo eſt, inſectorum, quæ carduis

insident, excrementum esse, existimo, vel rectius eorum seminium eo prope modo, quo bombyces fila serica e suis egerere visceribus consueverunt. Bombyces mori foliis, insecta cochinillæ Tunarum carduis aluntur; Hi cardui ut fructum purpureum generant, sic insecta, quæ carduis istis vescuntur, succum quemdam initio album, dein', ut primum siccatur, purpureum egerunt. Quemadmodum formicæ, quæ fruticibus Quabyræ miri fragrantissimis se nutriunt, ceram suavissimi odoris producunt, quod paulo ante memoravi. Hunc igitur, quidquid sit, insectorum succum ex carduis opuntiæ collectum, &, postquam aura siccatus est, in massam purpuream coalescentem cochinillam in Paraquaria vocamus, atque rebus quibusvis seu tingendis, quin alia opus sit præparatione, impendere, solemus. Ejusmodi cochinillæ, dum plura florum millia ad templi ornatum meis concinnavi manibus, vim sane magnam consumpsi, quin vel minimam insecti particulam illi inspersam deprehenderim; Si quis alter deprehenderit, muscam, aut vermiculum talem massæ illi adhuc humidæ vel fortuito, ut in cibis contingit, illapsam, vel mercatorum exterorum ponderis augendi gratia fraudibus admixtam fuisse, sibi tuto persuadeat. Illud mihi exploratissimum, in Paraquaria neminem seu pictorum, seu tinctorum insectis ipsis, sed eorum, qui in carduis reperitur, succo uti. Num vero ex insectorum ejusmodi, quæ viva colorem purpureum effundunt, exanimis jam corporibus idem, vel similis color exprimi arte queat, ignoro; Nobis equidem nunquam lubuit id experiri, cum naturalis cochinilla semper fuerit in promptu. Grana illa, grano piperis vix minora, fusci plerumque, interdum lucidi coloris, partim rotunda, partim polygona, & rugosa, quæ in aromato-

matopolarum tabernis, in tinctorum officinis passim prostant, cochinilla vulgo appellantur equidem, re tamen ipsa mihi videntur cocca ilicis (Des stechbalm, oder gruneiche Kermes beere, scharlach beere) esse, ex Hispania, Gallia, vel ex alia Europæ provincia probabiliter allata; Nisi forte ex insulis Americanis, quæ a Joanne Bermudes Hispano, & a Georgio Sommer Anglo nomen habent, aliquando advehantur. Istic enim grana, quæ Sommerinsl rothholz dicuntur, generari scribunt nonnulli, purpurei, ut vera cochinilla, coloris. Quidquid sit, cochinillam Paraquariensi ulla ratione similem nusquam a me in Germania visam esse, sancte affirmo, videoque granis variis, quæ cochinillæ colorem aliquomodo imitantur, cochinillæ nomen promiscue impertiri eodem jure, quo Indi potionem seu ex uvis, seu arborum fructibus paratam vinum appellare consueverunt, quia utriusque abusus homines, reddit temulentos. Noster Joannes Marchiseti, Fluminensis, oppidi Quaranici, cui Nuestra señora de Sancta Fé nomen dedit, diu Parochus Carduos opuntiæ, seu Tunas in horto, qui latissime patebat, domestico plantandas curavit, ne cochinillam oppido suo necessariam per campos remotissimos conquirere porro opus esset. Carduis jam adultis insecta illa alata, cimicibus prope similia, quæ per Indos corbibus e campo allata, undique insparsa fuerunt successu, qui vota superaret, optimo; Tam copiosa enim, tam eximia cochinilla identidem collecta est, ut a vicinis Parochis ad oppidorum suorum usus, quovis pretio oblato, certatim posceretur, quod præ campestri illa, & Sylvestri amænius, luculentiusque rutilabat, maxime, dum succo mali citrei conspergebatur. Annis succedentibus idem Pater Marchiseti hujusmodi carduis omnes oppidi aditus obsep-

obſepſit; ne equitibus Barbaris, a quibus multæ clades acceptæ, pluresque indies timendæ fuerant, acceſſus dein tam expeditus eſſet. Hujus generis ſepimentum vivum, quo & Hiſpani in hortis, prædiiſque utuntur ſuis, ut ſecuritatis inſtrumentum, ſic cochinillæ ſeminarium exſtitit ſemper fœcundum, quæ Paraquarienſibus non colorem modo nobiliſſimum, ſed & medicinam præbet cordi roborando, ſudori ciendo, arcendoque veneno utilem, ut adeo aceto, aliiſque liguoribus ſalubriter condiendis tuto miſceatur. De Paraquarienſi cochinilla duntaxat id a me dictum noveris; Aliam quamcunque mihi ignotam, & vel hoc nomine ſuſpectam ne primoribus quidem labris admoverem. Abbas Vidaure ſcribit: Inſecta foliis Opuntiæ inſidentia a Chilenſibus aciculis compungi, capique. Chilenſi id fieri in provincia etſi concedamus, de Paraquaria idem affirmari haud poſſe, tot annorum experientia mihi conſtat.

Virga aurea.

Virga aurea, Abiponibus Nakalìk, caudice rectiſſimo, foliis, frondibusque ab imo ad ſummum ſtipato, & jam quatuor, jam quinque pedes alto, flore inſigniter flavo ſuperbiens in plurimis Paraquariæ Campis abundat. Illius ſeu caudex, ſeu folia admixto alumine in aqua percocta colorem croceum ſplendidiſſimum pictoribus, infectoribusque offerunt; ſi quid cœrulei immiſceas, colorem lætiſſime viridem habebis. Segmenta arboris Tatayŷ, ut alibi expoſui, colorem item flavium, præbent, ſed minus clarum. Eadem virga aurea magni quoque eſt apud medicos nominis, variique uſus. Matronam nobilem, annos plures lecto affixam, cujus morbus, neſcio, quis, & medicorum plurium ſagacitatem, & medicamentorum vires eluſit ſemper, ab advena

Ger-

Germano plantæ iſtius uſu in urbe ſanctæ fidei prompte, feliciterque curatam fuiſſe, recordor. Plura ſunt virgæ aureæ genera. Unicum in Paraquaria novi.

Radices rubri coloris.

Quaranii e campis paluſtribus eruere ſolent radices quasdam, Yzipò dictas, fuſcæ ſuperficiei, quibus laneas, goſſipinasque telas colore rubro, ſed obſcuriori, imbuere ſolent. Num hæc ſit radix Rubiæ tinctorum (vulgo Der grapp) non auſim affirmare; Etſi enim id genus plantæ in Auſtria jam colatur paſſim, a me nunquam eſt viſum.

Caatiquà cortex.

Cortex arboris Caatiquà, Abiponibus Achite, aquis immerſus ruborem, ſed pallidum, rebus imprimit, coriis, dum macerantur, maxime.

Coloris nigri materiæ.

Ad telas nigro colore tingendas jam quadam ſiliquæ Græcæ ſpecie, quam Acaciæ arbori Ægyptiacæ ſimilem alibi deſcripſi, jam nota herba, quæ potui ſervit, Paraquarica, jam argilla pingui nigerrima utuntur. Goſſipium nigrum colorem etſi recipiat, haud diu tamen retinet; Hinc veſtes, quibus in Paraquaria fere induebamur, Goſſipinæ nigrore ſenſim emoriente nullius prope erant coloris. Matronæ Hiſpanæ Jacobopoli, Indique Chiquiti norunt Goſſipium nigredine pertinaciſſima imbuere, quod artificium latet cæteros.

Frutex anonymus colori viridi ſerviens.

Ad ripas amnis Nárahagem ſylvæ inambulans fruticem mihi ignotum detexi foliis tanto virore ſplen-

ſplendentibus præditum, ut ea deguſtandi lubido me inceſſerit. Ea ſaccharo quovis dulciora deprehendi, & herbæ Paraquaricæ, dum cum aqua fervente bibitur, condiendæ ſacchari loco adhiberi poſſe, judicavi. De utiliſſima, ut videbatur, inventiuncula magnopere mihi applaudens ſocio meo Hiſpano folium ejus fruticis guſtandum porrexi. Is vero, quod res erat, prudenter ſuſpicatus, plantæ peregrinæ non guſtatu modo, ſed & tactu abſtinendum ſibi videri, reſpondit. Indæ vetulæ hac de re in oppido conſultæ: Hæc folia rebus viridi colore inficiendis adhiberi equidem, ſed virulenta eſſe, affirmarunt. Enimvero de hoc factus certior inconſiderantiam damnavi meam, qui præcipiti manu plantam mihi nondum exploratam ori admoverim meo.

Ligna tinctoria.

Ligna porro tinctoria varii coloris, quæ ex Braſilia, Quayana, aliisque Americæ provinciis in Europam transferuntur, pleraque ſuppetunt in ea Paraquariæ parte, quæ Braſiliæ confinis. Idem de radicibus, arborum oleis, ſuccis, reſinis, gummi, nucleis &c. dictum puta.

Cardones ſeu Cerei.

Carduis, quos tunas, vel ficus Indicas appellant, ſociandi videntur Cardones, ſeu Cerei (Alagarík Abiponibus) quorum truncus & vaſtus, & procerus, pulpæ fungoſæ, ac fragilis. Foliorum, ramorumque loco caudices alii craſſi, & longiſſimi innaſcuntur, ſpinoſi undique, ſucco turgentes, & in altum erecti. Flores iis albi, fructus ovo anſerino grandior, figuræ ovatæ, coloris obſcure rubri provenit, quo

Indi impune veſcuntur. In Paraquariæ ſolitudinibus ſylvas cardonum longe, lateque porrectas ſæpe peragravi. Mel, quod in illis apes fundunt, plurimum celebratur. Singulas prope cardonum partes, ſuccum maxime ex iis expreſſum in uſus medicos convertere nôrunt & Europæi & Americani. Multa ſunt cardonum genera, diverſæ, monſtroſæque figuræ. Humi ſerpunt alii, alii ſurſum arrigunt ſe ſe. Horum memorabilior cereus Peruvianus major ſpinoſus, ad vigintì pedes altus, pedem unum craſſus. Ejus truncus varios angulos, & veluti canales, tubera item, ac aculeos habet. Cortex illi viridis, pulpa carnoſa, & ſub hac materia lignea, ubi medulla candida ſucci plena eſt. Parce floreſcit. Plura de hoc cereo nôſſe ſi cupias, hortos Principum, ubi proſtat ſpectabilis, adi.

Caraquatà variæ ſpecies.

Caraqnata Quaraniis, Abiponibus Kalitè, Mexicanis Maguey, vel Metl ubique frequens, & ad varia perutilis eſt planta. ob aliquam affinitatem ſpecies Aloës a quibuſdam, atque adeo ab Hiſpanis Azibar, vel Závila dicitur juxta Antonii Nebriſſenſis lexicon. Complures ſunt ejus plantæ ſpecies in Paraquaria paſſim obviæ. Mihi notiores carptim memorabo. Caraquata quazù, ſeu grandis radice craſſa, ſed brevi nititur. Foliis viginti aliquot pinguiſſimis, utrinque ſerræ inſtar dentatis, peracutis, ad duos pedes longitudinis ſe ſe porrigentibus conſtat, in quorum centro ſcapus trunci inſtar aſſurgit, quinos, ſæpe plures pedes altus. Ejus vertex croceis floribus coronatur. E foliorum fibris, ut alii e lino, vel cannabe, fila ducunt Indæ, chordas, veſtes. retia ſibi texunt, in quibus bina ex arbore ſuſpen-

ſuſpenſis cubare ſolent. Hæc tamen fila nullo ſeu tempore, ſeu artificio perfectam nanciſcuntur albedinem, neque colorem, qui illis illinitur, retinent diu. In Quayana tamen provincia ex eodem Caraquatæ filo, quod Hiſpani hilo de pita, vel chaguar appellant, tibialia adeo venuſta texi, ſcribunt fide digni, ut ob firmitatem juxta, ac egregiam mollitudinem ſericis tibialibus interdum præferantur in Gallia. Aliud Caraquatæ genus, priori admodum ſimile, in ſylvis viſitur, ſed ad fila ducenda ineptum; Hinc ab Abiponibus frater Caraquatæ, Kalitè nañalhevoa, vocatur. In ſylvis Mbaè verà, Acaray, & Monday fluvios inter ad Nord oſt ſitis non ex Caraquata, ſed ex cortice arboris Pinó rite perpurgato fila, veſtesque ſibi parant Indæ ſylveſtres ſindonis Europææ ritu candidiſſimas, quas ipſus toties vidi, ſtupuique. Tela enim ex corticis hujus filo contexta, ſoli aliquamdiu expoſita, frequenterque irrigata non modo albeſcit inſigniter, ſed & colorem, quo tincta eſt, quemvis fideliſſime ſervat. Dolendum ſane, hanc arborem Pinó in ſylvis editioribus duntaxat reperiri, ac per pleroſque Paraquariæ tractus ignorari omnino. Caraquata alterius figuræ ſpeciem cinaræ, vel Ananæ refert. Fructum coccinei coloris generat, ſemenque copioſum, cauli recto. ſed gracili incluſum habet. Circumdatur foliis vaſtiſſimis, ſerræ inſtar denticulatis, ac humum verſus pendentibus, in quorum centro aquæ clariſſimæ portionem non modicam iter agentes inveniunt, ſitimque levant ſuam in aridis ſolitudinibus, ubi nuſquam gutta aquæ ſuppetit aliquando. Caraquata alia foliis gladio ſimillimis, & utrinque minaci ſpinarum ſerie armata fructum intus, foriſque pallide flaveſcentem, ſemine nigro refertum, ſucco acidulo, ſed grato prægnantem profert. Verum hunc

e tot aculeis, quibus folia ejus custodes horrent, citra vulnus extricare, hic labor, hoc opus est. Ex fructu, saccharo admixto, & potus saluberrimus, & nobile adversus morbos varios medicamentum paratur, fugiendum tamen maximopere fœminis prægnantibus, quibus abortum ciere dicitur. Hæc, aliaque Caraquatæ genera innumerabiles Americanis præstant utilitates. Circum hortos, prædiorumque ædes plantata præ quovis alio sepimento spinarum aculeis furtivum, noxiumve impediunt accessum, nullaque aeris intemperie necantur. Folia pro lino ad fila ducenda, pro tegulis item ad tegenda extemporalia tuguria, spinæ pro acubus serviunt. E foliis compunctis succus, qui saponis loco lotricibus est usui, pinguis elicitur. Eadem, si ad ignem excoquantur, esculenta sunt. Caraquatæ fructus varios cibis adnumerant Indi. Ex ejus foliis cultro rasis liquor dulcis manat affatim, qui igne spissatus in saccharum condensatur. Quid mirum jam novo invento Domini Bouchery in Gallia saccharum e Melissis expressum magnifice promitti? Idem Caraquatæ liquor seminibus malorum aureorum, melopeponum, & aquæ immistus vinescit; soli expositus aliquamdiu acescit. Qua ratione, quibus morbis, vulneribusque medeatur succus e Caraquata profluens, longum sit enarrare. Ad hæc Caraquatæ adnasci solet Polypodium, quod cuivis alteri Europæo præferendum e medicorum sententia. Tot, tantasque utilitates etsi præstet Caraquatæ planta indigenis, fateor tamen, mihi illam per tot annos nunquam usui, sæpissime seu equiti, seu pediti impedimento in itineribus fuisse; Namque ut molossi diducto rictu allatrae solent venientes, sic conferti per viam, & vix penetrabiles Cardui aculeatis, lateque expansis foliis lacerant transeun-

ſeuntes. Paucos ante annos Poſonii, quod Hungariæ metropolis nobiliſſima, Excellentiſſimus Comes Erdödi ſuum mihi hortum ſpectandum exhibuit ipſe, omni plantarum exoticarum genere comptiſſimum. Cum hinc, atque illinc Tunas, carduos, cardones, Caraquatas, aliosque Americæ frutices attonitus circumſpicerem, illorum nomina, uſus, proprietatesque expoſui ſimul, ſimul mirari me, ajebam, tantis ſumptibus ex America advehi, tanto labore coli ejusmodi plantas, quibus eradicandis nec ſecures, neque trecentæ induſtriæ in Paraquaria nobis ſufficiebant.

Arundines variæ

Tam in campis paluſtribus, quam humidioribus in ſylvis, arundinum ingens paſſim frequentia eſt, ac Varietas; Aliæ ſiquidem ſolidæ, concavæ aliæ. Quædam craſſitie femur virile excedunt, nonnullæ vix pollicem æquant; Multæ penna, qua ad ſcribendum utimur, anſerina graciliores, ſed denas facile orgyas longæ vicinis arboribus implicant ſe ſe, & a Quaraniis Taquarembò vocantur. Arundinem quamcunque Quaranii Taquá, Abipones Akatleĩaye, Hiſpani Caña appellant. Arundines tantæ molis paſſim ſuppetunt, ædium in fabrica, in plauſtris, navibusque ut lignum ſuppleant, & ſi opportuno cædantur tempore, duritie id ſuperant etiam, ac perennitate. Fuere, qui ex amplis arundinibus lagenas prægrandes concinnarunt ad vinum in itineribus ſervandum idoneas, & vitreis, quippe fragilibus, meliores. Cum in variis provinciæ ejusdem tractibus arundines variæ proveniant, Indi ex arundine ſagittæ per viam fortuitò inventæ hoſtium Barbarorum, qui illac commearunt, nomen, patriamque ſagaciter con-

jectant. Nemora non raro longiſſime patentia, arundineto continuo horrida pedites tranſivimus, quin & noctem in illo agere cogebamur ſæpe, inſomnes ſemper, & anxii. Arundineta equidem paluſtri fere ſolo cum gaudeant, inſectorum, puta, ricinorum, anguium, culicumque ſeminaria ſunt, & ſtativa, qui advenarum ſanguini, auribusque nunquam parcunt uſque ſonori, & mordaces, præſertim malacia ingruente. Ventus ſi irruat validior, disjecto, ad quem conſidemus, focô, arundines foliis aridis opertæ flammam concipient illico, noſquecremabunt; Nam nec incendii ſopiendi inſtrumenta ſuppetunt, neque evadendi opportunitates. Frequens id periculi genus, & pluribus exitiale. Arundines, quas germani cannas Hiſpanicas, Hiſpani Indicas appellant, & pro baculis habent, Paraquaria nusquam gignit, licet in Borealis Americæ provinciis nec raras, neque caras. Ejusmodi ſcipione arundineo nemini, præterquam militari præfectura inſigni in Paraquaria uti permiſſum.

Canna ſaccharifera.

In calentioribus, quæ ad ſeptentriones vergunt magis, territoriis Canna ſaccharifera lætiſſime provenit, cultorum ſi modo ſolertia haud deſideretur. Auguſto menſe, hyeme ſcilicet iſtic exeunte, cannarum taleæ pedem unum, vel duos circiter longæ ſulcis agri æquali a ſe ſpatio diſtantibus, riteque aratis oblique inſeruntur. Ex talearum ſenſim putreſcentium fundo novum cannarum germen erumpit, quæ in octo pedum altitudinem accreſcunt Denique, & decem circiter menſium intervallo maturæ reſecantur. Quo diutius in agro relinquuntur, eo magis melleus earum ſuccus, ſpiſſiorque evadit, qui variis in America modis, machinisque exprimitur ſubinde. In Paraqua-

raqua-

raquaria Cannæ, foliis antea nudatæ, in frusta sesquipedalia secantur. Hæc duobus durissimo e ligno cylindris grandibus, quos ope rotæ majoris ligneæ boves bini circumagunt, manu intruduntur. Machinam hanc Trapiche vocant Paraquarienses. Arcta cylindrorum compressione expressus succus in subjectum lintrem, vel scaphium defluit. In lebete æneo plus, minusve coquitur pro diversitate usus, cui dulcis liquor destinatur; Nam si pro melle potui, ciboùe servituro adhibendus est, ad focum minus spissatur, utribusque clausus pro arbitrio conservatur. In istorum fundo, postquam mel consumptum usu, multos lapillos candidos, crystallinos, ex melle coagulato ortos, invenimus semper, quos vulgo saccharum Candì purissimum, & naturale vocant; Aliud enim, quod filis implicitum, flavumque in tabernis prostat, artificiale videtur. Si vero expressus e cannis liquor conficiundo saccharo destinetur, diutius excoquendus erit, atque spissiorem in massam redigendus. Hæc in ollas ex argilla fictas, quarum fundus hinc illinc perforatus sit, transfusa quo sæpius, diutiusque soli exponitur, eo magis fæcibus, in subjectum ollæ vasculum defluentibus, purgatur, eoque candidius saccharum, nobiliusque evadit. E fæcibus defluis vel saccharum vilius, vel arte chimica stillatim ad ignem eliquatis aquam vitæ, ut vulgo dicitur, conficiunt Hispani. Eundem in finem cannas cylindris jam contritas necdum tamen succi omnis expertes (Bagasso dicuntur) alii impendunt. Nostris in oppidis has cannarum exuvias equis, mulisque vorandas reliquimus. Hæ pecorum omnium cupediæ quanta cum aviditate, quot inter rixas fuere consumptæ! Illud animadvertendum præterea: ollæ, in quibus liquor melleus soli exponitur, limo recenti madefacto diligenter conteguntur. Quidquid sacchari seu in Pa-

raquaria, ſeu in vicina Braſilia paratur, farinæ triticeæ ſpeciem refert. Id ſolum luſitanis uſui eſt. Id ex portu ulyſſiponenſi qua qua verſus navibus transportatur, & tum calcis, tum taurini ſanguinis beneficio, aliisque, neſcio, quibus induſtriis in lapidem veluti conglaciatur. Tale tot artificiis ſibi ſuſpectis transformatum ſaccharum, quod ipſus vidi, averſantur luſitani, & purum, ſincerumque ſibi præoptant. Sed ſupervacaneum hunc eſſe metum ecquis noſtrum non videt? Cum agrorum feracitati incolarum Paraquarienſium induſtria neutiquam reſpondeat, ſaccharum iſtic elaboratum illi provinciæ raro ſufficit, ut adeo de illo in Europam tranſmittendo cogitet nemo. Exquiſita cannarum cultura e contrario ingentes in Braſiliam opes ex Europa derivat, luſitanici commercii nervus præcipuus, ac divitiarum fons perennis. Arundo ſaccharifera a Quaraniis Taquareỹ, ab Hyſpanis caña dulce vocatur, ab Abiponibus Akatleraye noetè. A ſylveſtri arundine nil differt, niſi quod nodos plures habeat, internodiaque minora. Foliis eleganter viridibus, ampliſſimiſque præſertim in vertice ornatur. Quatuor fere pollices craſſa eſt. Quamvis ſeptem, octove pedes procera ſit, multa ejus portio tamen, quæ ad ejus faſtigium vergit. abjicitur, quippe tam ſucco vacua, quam foliis pleniſſima. Glebam præpinguem, ſolumque, uti cæteræ arundines, riguum amant, nec in collibus, etſi rigetur identidem, multum adoleſcit. Cañæ recens plantatæ terræ plus eſt aggerendum æſtate, ne ſolis æſtu exareſcat; Hyeme minus, ne nimium germinet, & quo pluribus foliis ſuperbierit, eo parciore ſucco turgeſcat. Lolia quoque, quæ humum exſugunt, luxuriantia ſolerter extirpanda. Pruinæ moderatæ cannis adultis proſunt, quod ſuccum melleum conſpiſſant, immoderatæ obſunt, quoniam ſuccum omnem exhauriunt. Formicæ,

can-

cannis adoleſcentibus exitiales, proviribus ſunt arcendæ. Plures alias, quibus cannarum educatio, expreſſio, & in ſaccharum transformatio indiget, induſtrias ſilentio prætereundas brevitatis cauſa putavi. obiter adnotavi præcipua, ut ſacchari, quod conſumere egregie nôrunt Europæi, etiam geneſim penitius intelligant, deſinantque admirari arundineam hanc dulcedinem tam operoſe in America elaboratam, tam exaggerato ſæpe pretio vendi in Europa.

Mel apum.

A melle, quod cannæ præbent, ad mel, quod apes fundunt, tranſeamus. Alvearia, quorum adeo laborioſus eſt per Europam cultus, nulla per omnem videas Paraquariam, quod multiplex apum genus ſeu in concavis arboribus, ſeu in terræ cavernis, ſeu patente in campo mel nobile, ac Copioſum, paſſim deponant, in illis maxime territoriis, quæ Cælo mitiore gaudent, campiſque floridioribus propinquant magis. Pro apum, locorum, temporumque varietate varium mel & nomine, & ſapore reperitur. Quod ſub terra latet, ab Abiponibus Nahérek appellatur. Id acidulum alicubi, alibi dulciſſimum. Ex una ſæpe caverna ingens ejus portio eruitur frequenter, cantharos plures impletura. Quod vere ineunte e fruticibus potiſſimum, vel alto e gramine pendens decerpitur, ab Hiſpanis indigenis lechiguana, ab Abiponibus Naatek, vel Nahaurek dicitur. Materia, qua mellis iſtius alveoli, ſeu cellulæ conſtant, chartæ bibulæ videtur ſimillima, tantique ſæpe eſt voluminis, & ambitus, utroque illud brachio complecti ægre ut queas. Favos, quos in Europa veſpæ quædam condunt, pari prope modo ſtructos aliquando videmus. Mellis lechiguanæ præſtantiam vel ex eo

arguas, quod e primis ſub veris principium floribus gignatur, & ſi menſes aliquot intactum oculos, manusque tranſeuntium fugerit, ſacchari inſtar ſponte ſua induretur, ac illo dulceſcat magis. Nihil prorſus ceræ admixtum habet. Id genus favi e frutice decerpturi laneo caput ſuum amictu providenter obnubunt, ne apicularum, quæ domum, laboremque ſuum acerrime defendunt, ferocium aculeis miſere compungantur. Enimvero melleum hoc nectar ab incautis multo dolore emitur interdum. Quamvis jam ſub terra, jam in campo mel varium proſtet, præcipua tamen apum officina ſylvæ ſunt, ubi in cavis, excelſisque arborum truncis ceram cum melle conficiunt, quod communi nomine Neélgék, vel Aaloeyák ab Abiponibus, ybiraeỹ a Quaraniis dicitur, qui tamen apum, mellisque generibus ſingulis ſingula nomina indidere, ut eorum e lexicis patet. Mellis diſcrimen non ab apicularum duntaxat, ſed a ſuccorum, quibus illæ paſcuntur, diſcrimine pendet, quin & a receptaculis variis, in quibus reperitur, mel variam virtutem obtinet, ac nomenclationem. Hiſpani Jacobopolitani illud maximi faciunt, quod in cardonibus, de quibus paulo ante diſſerui, invenitur. Apud Quaranios, & quosvis æquos æſtimatores primum locum tenet Eỹrobáña mel utique dulciſſimum limpidiſſimumque, quod vitro infuſum ſolo aſpectu ab aqua pura diſcernat nemo. Idem mel ſi in fragrantiſſimo arboris ybirapaye ligno reperiatur, tunc enimvero ob incredibilem, quam ab arbore contraxit, fragrantiam omne tulit punctum, ac mella cætera, ut ſol aſtra minora, antecellit. Arborem ybirapaye alias laudavi. Longum ſit, ſuperfluumque reliqua mellis, apicularumque ejus procreatricum diſcrimina, ac nomina enumerare, quod dudum alii ex operis ſui inſtituto præſtiterunt. Hallucinantur illi

pro-

profecto, qui cum Isidoro Pelusiota libro 1. epistola 131. *Mel sylvestre summe amarum, & gustatui omni infestum, atque inimicum* existimant. Quod si tale fuerit in solitudine Jerusalem inter, & Jericho, ubi melle sylvestri victitans Joannes versabatur, iuxta Menochium libro 2. capite 1. ab Anatot usque Thecue, & Engaddi, id forte illarum apum, forte succi, quo alebantur, naturæ erit tribuendum, quin mel sylvestre quodvis aliud, amaritiei jure possit accusari. Nam etsi melli Americano sylvestri universim propria sit dulcedo, si tamen e ruta, absinthio, artemisia, roremarino sugant apes, amaritiem, nescio, quam melli aspergunt suo. Mensibus in Paraquaria hybernis Junio, Julio, & Augusto mel quodvis sibi minus salutare affirmant Abipones, eoque abstinent religiose. Hispani Jacobopolitani in remotissima etiam nemora ad mel, ceramque conquirendam turmatim proficiscuntur; Hanc ad solem labore improbo dealbatam, Chilensibus, Peruvianisque venalem quæstu vix mediocri transmittunt. Ubi ubi latentia in sylvis alvearia detegere, spoliareque, Abiponibus nullum prope est negotium; Cælo sudo, claro sole in campum equites excurrunt. Apiculas, ut incredibili pollent oculorum acie, qua qua versus volitantes observant, & relicto ad sylvæ margines equo, pedites sequuntur, dum, quam arborem illæ iniverint, videant denique; Hanc simiorum instar pernices conscendunt, foramen, alvearii scilicet portam, ac indicem, securi aperiunt, mel supposito vase coriaceo, ceramque eximunt, ac domum deportant, ubi a confidentibus amicis, prolibus, conjugibusque adventitia illa dulcedo jam ceu ambrosia Lingendo, jam ceu nectar bibendo suavissime consumitur. Quod si communis viros inter compotatio quocunque nomine indicta fuerit, mel allatum frigida miscetur, stipite obvio

exa-



exagitatum tantiſper, nullo præterea fermento accedente, horarum aliquot intervallo ebullit, ſpumat, vineſcit, & vel parce hauſtum vini meraciſſimi inſtar temulentiam accelerat Indis, ad quorum mentem natura imbecillem opprimendam bina, ternave pocilla ſatis eſſe, ſuperque experti ſumus. Ceræ, quam loapal Abipones, yraitĩ Quaranii vocant, vix ullus eſt apud hos Indos uſus; Focus enim in tugurii pavimento uſque vivus ut culinæ interdiu, ſic candelæ vices agit noctu. ſi quam tamen ceram domi in promptu habeant, pro crepundiis, pro ſcrutis quibusvis obvio Hiſpano eam porrigere conſueverunt. Crebrum mellis uſum, cur Abipònes adeo vegeti ſint, & vivaces, cauſam eſſe aliquam, alio loco oſtendam.

Sal.

Melli ſal ſuccedat. Hoc ut beſtiæ pleræque omnes, ſic Barbari incredibiliter appetunt, quamvis raro illius compotes fiant. Licet enim Paraquaria alicubi ſale abundet ſeu naturali, ſeu artificiali, per immenſos tamen terrarum tractus neutrum ſuppetit, niſi forte magnis ſumptibus aliunde allatum. Quaraniorum certe oppida latiſſime diffuſa & calce, & ſale carent; utrumque e remotis Hiſpanorum coloniis jam navibus, jam plauſtris advehendum eſt, pretioque emendum ſæpe intolerabili, ſæpe nullo impetrandum. Cordubenſi in territorio, & alibi lacus diutina cœli ſiccitate exhauſti ſal coagulatum offerunt equidem, ſed eadem ſiccitate durante ad hos lacus perveniri ægerrime poteſt, cum Campi, per quos tranſeundum, aquam negent & vectoribus, & bobus, a quibus ſal plauſtris ad urbes eſt tranſportandum. Annis pluvioſis, lacubus illis redundantibus ſal haud coagulatur.

Quod

Quod cum eveniat frequenter, frequens eſt ſalis penuria, caritasque. Qnibusdam in locis, quæ urbis Aſſumptionis, & Sancti Jacobi iuribus obnoxia, jam nitrum e Campo collectum, jam aquas ſalſas minoribus in ollis excoctas in ſal probum convertunt. Ad conceptionis oppidum ſal in oppidulo Sanctæ Luciæ coctum adeo amarum venerat aliquando, ut ſatius fuerit inſulſas edere carnes, quam ſtomachos noſtros tanta amaritie excruciare. Sal, quod in Indorum oppido lambare, & in Cochinoco Peruvio confini paratur, plurimi fit, quippe lapidi ſimilius, candidius, & medicamentis maxime idoneum. Cives Boni aeris interdum navibus per mare Auſtrale, alias per terram ſal plauſtris advehunt ex lacubus, ubi ſalis nativi, niveique infinita congeries. Hi lacus fretum Magallanicum verſus ſiti cum multorum dierum itinere abſint ab urbe, nunquam ſine multis ſumptibus, raro ſine diſcrimine poſſunt adiri. Ingens ſæpe Hiſpanorum Turma, qui ſal iſtic conquiſituri abierant, per Barbaros Auſtrales miſere contrucidata vitæ, plauſtrorum, beſtiarumque omnium jacturam fecit, vix uno, qui cladem in urbe nunciaret, ſuperſtite. Has difficultates ſi perpenderis, ſal in Paraquaria plerumque rarum, ſæpe nullum eſſe, nihil admodum miraberis porro. In ditionis Jacobopolitanæ oppido Moppa Hiſpanus nobilis, qni ex chaco advenam me hoſpitio comiter excepit, tantum ſalis, quantum binis ovis ſorbilibus ſaliendis ſufficeret, quovis pretio per omnes loci plateas quæſitum non impetravit. Id temporis libra ceræ pro libra ſalis paſſim pendebatur. Quaranii carnem, & quidquid obſoniorum habent, ne mica quidem ſalis conditam edunt plerumque; Enim vero ſingulis patribusfamilias cochlear unicum ſale plenum, hebdomadi integræ ſuf-

fe-

fectturum diebus dominicis tribui ſolebat, libera, liberalique Parochorum beneficentia'. Tantilla ſalis portio ſumptuoſa tamen oppidis ſingulis fuit, quòrum alia mille familias, alia cꝏtingentas, vel ſeptingentas numerarunt. Nam cum arroba (Pondus eſt Hiſpanicum quinque & viginti librarum) ſalis quatuor ſcutis, octo ſcilicet florenis Auſtriacis comparanda fuerit ſæpe, libra viginti circiter cruciferis hujatibus conſtabat. Quamvis argenti loco, cum nullus iſtic monetæ ſit uſus, tabacæ folia, coria bubula, tela goſſipina &c. Venditoribus porrigerentur. Barbari, qui in abſtruſis habitant ſolitudinibus, inſulſo fere cibo veſcuntur, cum nec ſal illis ſuppetat, neque ſalina. Eam ob rem illorum non pauci ſcabie laborare mihi videbantur. Solertiores alii jam fruticem, quem Hiſpani la vidriera, Quaranii Yuquì, Abipones Achibiřaik, vel Atařaik, id eſt, ſal vocant, jam alias plantas cremare ſolent, earumque cineribus ſeu ad cibum condiendum, ſeu ad paranda medicamenta pro ſale uti conſueverunt, maxime Abipones. Hi, quibus & eſus, & potus mellis prope quotidianus eſt, dentes profecto non labefactarent modo ſuos, ſed & brevi amitterent omnes, ni quodam, quod a majoribus accepere ſuis, remedio ſibi conſultum irent identidem. Tabacæ folia ſcilicet mulierculis vetulis mandenda comittunt, quæ illa dentibus contrita ſpumante cum ſaliva ad manus ſuæ palmam exſpuunt, ſale conſperſa digito exagitant, ſubiguntque tamdiu, dum denique maſſæ nigræ reſinoſæ, & theriacæ ſpeciem referant. Hanc maſſam e tabaca, ſale, & vetularum ſaliva conflatam *Noetà* medicinam vocant ſuam, cornu tenui clauſam e veſte pendentem a pueris circumferunt ſemper, particulam ex ea ungui-

bus

bus decerptam ori injicinnt ſuo identidem, ac, ut nos pulveres Nicotianos, amicis obviis propinant. Id genus medicamenti barbari ut nauſeam, ac prope vomitum ciet ſpectanti Europæo, ſic, qui eo utuntur per omnem ætatem, Barbaris incredibiles adfert utilitates; Nam, quid demum rei ſit dentium dolor, plerique ignorant; Plerique dentes ſuos tumulo inferunt omnes, omnique ex parte incolumes. Quotidiani propterea Abiponum ad noſtras ædes fiebant concurſus, tabacæ folia, & ſal poſtulantium, ad medicinam illam dentium concinnandam neceſſaria. Olim tabaçæ, quam nunquam plantaverant, loco radices plantæ cujusdam adhibuere, quam Hiſpani Coro, Abipones Noeta appellant.

Coro planta.

Hæc folium, mordacitatem, ſalivæque ciendæ facultatem tabacæ propriam plurimum imitatur. De Tabacæ cultura, & varietate alias a me actum. Quaranii Tabacam Petŷ, Abipones Npeetèk corrupto non nihil Quaranico vocabulo dicunt; Quin & latini Tabacam Petum hodie vocant, voce ex nomine Petŷ utique derivata. Ab aliis herba Nicotiana appellatur, quod Joannes Nicot luſitanus ante annos centum, & octoginta circiter tabacam ex Braſilia primus in Europam attuliſſe, ſcribitur. Ipſum Tabacæ nomen ab inſula Americana Tabago, unde olim venerat, fluxiſſe, opinor.

Ecquan-

Ecquando ſcribendi finem inveniam, ſi fruticum, plantarumque ad unam omnium vel nomina recenſuero? Rorismarini, Rutæ, Artemiſiæ, virgæ aureæ, Menthæ, abſinthii ſylvas ampliſſimas in quibusdam Quaraniorum oppidis deprehendi. Salvia triplex diverſæ quidem formæ, virtutis tamen ejusdem nobis innotuit. Quæ ſalvia Regia ab Hiſpanis dicitur, rarior eſt ob cultorum paucitatem. Borrago, Plantago, Malva, Origanum, Naſturtium hortenſe, bugloſſum, Verbena, Fumaria, Portulaca, Liquiritia, ſeu Regalitia, Piperis genus triplex ſcilicet, ut Quaranii vocant, gÿ piper vulgare, Cumbarÿ grani exilis, ſed mordaciſſimum, & Aji, quod Turcicum vocamus, etiam Europæ proprium &c. paſſim, haud tamen ubique, proveniunt. Piper qualecunque ab Abiponibus Keeráye dicitur, & ut amara & acida quævis, a plerisque faſtiditur. Zingiber ex plantata ejus radice copioſus naſcitur. Urticas noſtrates, quod mireris, per multa terrarum ſpatia nusquam vidi. Herbas innumeras medicis utiles, uti contrayerva &c. Liberali naturæ Paraquarienſe ſolum in acceptis refert. De frugibus, quæ ad Indorum alimenta maxime pertinent, juvat paucula jam adnotare.

Mayz, triticum Turcicum.

Frumentum vulgo Turcicum, quod Hiſpani màyz, Quaranii Abati, Abipones Nemelk, Europæi quidam kukurùz vocant, præcipua eſt Americanorum añona. Varii coloris grana profert. Quaranii diverſa ejus genera ferunt. Mihi notiora ſunt. Abati hatã e granis duriſſimis componitur. Abati morotî e contrario candidiſſimis, molliſſimisque e gra-

granis. Abati miri menſis unius ſpatio matureſcit, ſed ſpicas profert exiles admodum, pumilasque. Celeberrimum eſt Mayz Biſingallo, cujus grana angulata ſunt, mucronataque. In mortario ligneo contrita farinam reddunt ſaluberrimam juxta, ac ſuaviſſimam; Iſta vel ſola vel melle, aut ſaccharo admiſto ſi cum aqua bibatur, & ſitim ardentiſſimam, & famem celerrime ſedat. Farina hæc militum Jacobopolitanorum, dum fugitivos inſectantur Barbaros, viaticum eſt exquiſitiſſimum, quo longas ſæpe, arduasque excurſiones, quin vel focum pro cibo coquendo excitare neceſſe ſit, paucis diebus feliciter abſolvunt. Mihi quoque in calamitoſis itineribus Cœlo æſtuante eadem farina levamini ſæpe fuit. Ex granis Mayz cujuscunque ſeu integris ſeu in mortario comminutis varias ciborum formas, quin & panem tenuem ardentes inter prunas coctum Indæ conficiunt, qui tamen extra famem imodicam Europæis ſtomachis minime jucundus. A' Quaraniis Mbuyapè, ab aliis Chipà, vel tortilla, ab Abiponibus Etantà panis quiscunque vocatur. Matronæ Hiſpanæ ex farina Mayz, quam cribrô ſolertiſſime purgant, panes candidos, & quamdiu recentes, grati ſaporis parare norunt. Mihi præ quovis pane triticeo fuerunt. Grana Mayz, mortario contrita, & aqua affuſa poſt horas aliquot vineſcentia potionem frequenter præbent Hiſpanæ plebi, Indis quibusdam frequentiſſime, quæ Chicha, vel aloja vocatur. Nunquam te, ſpondeo, lubido inceſſet hunc guſtandi potum, ſi quibus modis apud Indos paretur, intellexeris. Quoties communis ſtatuta eſt compotatio, vetulæ effœtæ, rancidæ eundem evocantur in locum, ubi conſidentes porrecta ſibi Mayz grana dentibus moluut ſuis, & in parata vaſa cum ſaliva exponunt, quam optimum eſſe potus fermentum, condimentumque

Barbari putant, fœminaſque juniores, quod impuris humoribus ſcatere videantur, honorifico Mayz grana dentibus terendi munere excludunt. Potus ex aqua, & execrabili hac maſſa compoſitus eccui demum ſtomacho nauſeam non cieat, ac vomitum? Hic tamen mos ſane barbarus apud plerasque Barbaras Americæ gentes Civitate eſt donatus. Abipones, quibus mellis, & ſiliquæ græcæ copia eſt, tritico Turcico etſi veſcantur avide, illo tamen ad potionem parandam nunquam utuntur. Cæterum multæ ſunt, luculentæque tritici Mayz prærogativæ; Nam in gleba etiam non optima ſatum bene provenit, Granum unum ſæpe millenis plura grana reddit cultori. Illius ſpicæ teneræ adhuc, & lacteſcentes ſeu aſſæ, ſeu cum carnibus coctæ & Americanis, & Europæis plurimum arrident. Id tritici genus quocunque demum modo præparatum ad roborandum inſigniter corpus, ad ſanguinem augendum, ad vitam producendam multum conferre, Indi experiuntur. Neque ad gallinas, aliaſque beſtias ſaginandas præſtantius illo pabulum deteximus uſquam.

Batatæ.

In cibaria Indorum penu locum non infimum habent radices quædam, quas Hiſpanus Batatas, vel Camotes de Malaga, Quaranius yeti, Germanus Poma terreſtria (Erdäpfl) appellat. Supervacaneum ſit rem omnibus perſpectam prolixius deſcribere. Paraquarienſes Germanicis, ſive earum molem, ſive ſaporem ſpectemus, multum præſtare, extra dubium eſt. Iſtæ radices, rapas mallem dicere, jam albi, jam rubri, jam flavi coloris ſunt in Paraquaria. Batatas purpureas præ aliis viliores, Flavas, quas yetì paracà vocant Quaranii, omnium optimas ſemper judicavi.

Man-

Mandubi.

Mandubi Quaraniis, Hiſpanis Manì fructus eſt Americæ invidendus, optandus Europæ. Amygdalam pinguedine, dulcedine, & ſi corticem excipias, etiam figura refert. Sub terra naſcitur e planta pulcherrima duos circiter pedes alta. Caulis illi quatuor laterum, pilis aſperſus, colore viridi, & tantillum rubeſcente. Rami graciles quaternis ſinguli foliolis hinc læto virore, inde albedine quadam tinctis, & lanugine tenerrima veſtiuntur. Ad ramulorum originem floſculi crocei, & in marginibus rubicundi brevi pediculo inſiſtentes tribus foliolis circumdantur. Radices hujus plantæ breves ſunt, anguſtæ, ac tortuoſæ, quibus vaginæ oblongæ lutei coloris, & imbecilli corticis inhærent. Vaginis ſingulis jam ſinguli (Nam diverſæ ſunt Mandubi ſpecies) jam bini nuclei clauduntur, cuticula eleganter purpurea tecti, pulpa condidiſſima, pinguiſſimaque præditi. Nucleos hos ſeu leviter frixos, ſeu aſſos vel Europæi appetunt, celebrantque. Oleum ex nucleis torculari expreſſum pro, imo præ omni olivarum oleo lactucæ, cibis quoque butyri, vel adipis bubuli loco a plurimis adhibetur. Italum novi Bergomatem, qui tabacæ pulveres rite præparatos, hocque Mandubi oleo recenti obiter aſperſos tabacæ Hiſpalenſi ſimillimos reddebat. Præclarum hunc fructum Europæ noſtræ identidem peroptavi, multiplici certe uſui futurum.

Varia leguminum genera.

Præter lentes, fabas, Faſelos, ſeu phaſeolos, aliaque leguminum genera (Quaraniis cumandà, abiponibus Nauvirgila) ex Anglia, Italia, Germa-

nia, Africa in Paraquariam translata incredibilis eſt quoque Peponum, cucurbitarum, cucumerum eſculentorum varietas, Qui variis cocti modis non ventribus modo implendis, ſed & palato interdum oblectando bellè ſerviunt. Hiſpani Zapallos vocant, quorum alii dulciores ex Angola, Africæ provincia, olim adducti; Alii Quarahià, carapepè &c. a Quaraniis dicuntur. Curuquà, cucurbitæ genus, eximiæ magnitudinis. E caudice pendens ſuo per ſepes, arboresque vicinas hederæ inſtar ſerpit. Cocta hæc cucurbita alimentum eſt non inſuave, & medicamentum celebre febri tertianâ laborantium. Domi menſes etſi complures ſervata cubiculum fragrantia ſuaviſſima implet, qua illius quoque ſemina pollent. Melopepones nimiæ propemodum dulcedinis ubique proveniunt, ſed niſi, ut primum maturuere, decerpantur, illico amareſcunt, & cimicibus fætidiſſimis implentur. Pepones, ſeu melones aquatiles, quos Hiſpani ſandias, Abipones Kaamàlakà eſcam Hiſpanorum appellant, copioſi juxta, ac ingentes paſſim viſuntur; In Sancti Jacobi de ſtorea ſolo, quippe arenoſo, maxime & dulciſſimi, & monſtroſæ, quæ fidem ſuperet, magnitudinis proveniunt. quamvis prægrandes alibi quoque naſcantur. Illorum pulpa jam roſea, jam crocea, ſemper glaciei inſtar gelida Fauces ſiti ardentes, cæterosque corporis artus validiſſime recreat citra ullam ſtomachi noxam, maxime ſi aquæ hauſtus illi ſuccedat; vini enim, quod mireris, ſocietatem hi pepones refugiunt. In loco, quem aer permeat, patente ſuſpenſi maxima anni parte incolumes conſervantur. Anni pluvioſi peponibus aquatilibus nondum plene adultis officiunt magnopere; Tantum enim aquæ abſorbent, ut, antequam matureſcant, diſrumpantur, vel maturi jam paucas intra hebdomades computreſcant.

Lactu-

Lactuca.

Lactuca, ſive Endivia, quæ Intybus ſativus a latinis, ab Hiſpanis Eſcarola dicitur; Sive criſpa illa, & Braſſicæ inſtar capitata hybernis menſibus, ſi rite colatur, in promptu eſt; Æſtivis rariſſime, niſi in rivorum litoribus plantetur; In horto enim ob nimium Cœli æſtum in germen illico, & ſemen excreſcit. Rapæ Europææ primo, quo ſeruntur, anno feliciter oriuntur, proxime ſequenti in raphanos nigros mordaciſſimos ſolent degenerare.

Raphanus.

Enimvero tellus Paraquarienſis Raphanis admodum opportuna videtur; Eorum ſemine per ventum diſperſo in ſtupendam ubique accreſcunt molem, & loliorum more agros implent, tritici peſtes

Sinapi.

Sinapi (Hiſpanis Moſtaza) ſalubre ciborum condimentum in hortis cultioribus raro deſideratur.

Naſturtium.

Naſturtium Europæum, cujus radices carni bubulæ adhibent Germani, Paraquariæ univerſæ omnino ignotum, etſi Naſturtium ſeu hortenſe, ſeu aquaticum (Hiſpanis Maſtuerzo, Germanis Bruñkres) in locis riguis ſponte naſcatur.

Crocus.

Crocus (Hiſpanis Azafràn) Europæus tota exulat Paraquaria. Americanus, ſolo nomine, & Figura crocus, non cibis condiendis utilis eſt, ſed rebus duntaxat flavo colore tingendis.

Aſparagi.

Aſparagi in Campis cernuntur, ſed amari, & filô prope graciliores, gigantes utique futuri, ſi ad hortos translati culturam nanciſcerentur.

Cæppæ & Allia.

Cæppæ, & Allia prima apud plures Europæ populos ciborum elementa, culinarum ornamenta, deliciæque menſarum incredibili ſtudio, ac ſumptu certatim coluntur ab Hiſpanis, quin & cruda a jejunis avide manduntur.

Fungi.

Fungi multiplices in campis æque, ac ſylvis proſtant, nemo tamen eſt omnium, qui manus, qui labia iis auſit applicare. Verenjena, Latinis Melongena, Tomates, Germanis Poma paradiſi, aliaque ejusmodi Hiſpanis, quam Teutonicis gentibus notiora guſtus irritamenta in hortis paſſim viſuntur, & ſæpe in menſis. Indi dulcia appetunt, raphanos, ſinapi, naſturtium hortenſe, lactucas aceto perfuſas, & quio-

quidquid acre, acidum, vel amarum cane pejus, & angue averſantur. Abipones, quibus, dum palantes adhuc ultro, citroque comeabant, nec ſerendi cura, neque metendi neceſſitas unquam fuit, volucrum, ferarumque ritu iis alebantur quondam, quæ ſeu prædandi ſtudium ſuppeditaverat, ſeu liberalis Natura in Campis, ſylvis, amnibus, lacubusve gignit, & venantibus gratuito porrigere ſolet. In terrarum ſuperficie ſi nuſquam eſca ſe offerat, ſub terra, ſub aquis radices eſculentas inveniunt, quarum alias Neeyeka; alias Hakamìk, leèkate alias appellant. Eſt & fabarum minutiſſimarum genus, quas Nauvirgila dicunt, in ſylvis plerisque obvium. Elixæ hæ fabæ etſi ad palatum demulcendum nihil, ad vacuos tamen Indorum ventres implendos aliquantum faciunt.

Triticum.

Gleba Paraquarienſis, præſertim in agro Boni aeris, Montevideo, Sanctique Jacobi Tucumanorum, tritici eſt feraciſſima. Illud mirum igitur, ſed exploratiſſimum, maximam Hiſpanorum indigenarum partem triticeum panem vix delibare, quod ſerendi, molendique tritici refugiunt dificultatem. Enimvero Molam, quæ aquarum impulſu moveatur, nullam uſquam videas. Lapis molaris per equos, vel mulos circumagitur; Alicubi a vento. Molas hujusmodi pneumaticas binas duntaxat in urbe Boni aeris vidi. Triticum Europæum a Paraquarienſi differt, quod huic curtiſſimi ſint culmi, ſpicæ vero grandiores, granisque majoribus gravidæ. Meſſores Quaranii ſpicas cultro vulgari ſolas reſecant, cul-

mis in agro remanentibus, qui ſtantes ſubinde cremantur; Cineres enim præ quovis fimo arvum fœcundant. In ſingulis Quaraniorum oppidis tantum tritici ſeritur, quantum uni anno ſufficere putatur. Facta meſſe proſpera, quidquid tritici ſeu in ſaccis, ſeu in horreo reliquum fecit annus ſuperior, Indis gratuito tribuitur, qui pro nativa ſegnitie illud coctum edere, quam molere, aç pinſere malunt. Quotidie iisdem in oppidis panis e tritico ſimilagineus recens binorum, qui oppidum procurant, Sacerdotum menſæ apponitur. Panis ex eadem maſſa inſignis portio, cum carnibus noſtra in culina elixis ad ægrotantium ſingulorum ædes, recepto dudum more, mittitur ipſo meridie. Numeroſioribus in oppidis, quorum multa quatuor, quinque, bina ſeptem capitum millibus definiuntur, ingens panum candidiſſimorum numerus ægris impenditur quotidie. Oppidi quoque magiſtratibus, quoties ſtatis per annum diebus ſolenne illis epulum datur, ejusmodi panes e flore farinæ primarii obtingunt. Non ægris modo, & oppidi primoribus Indis, ſed & plebejis aliis, ut occaſio ferebat, panem identidem ſumus largiti, ut adeo certiſſimum ſit, triticum ab iisdem potiſſimum abſumi, qui illud ſeverunt, meſſueruntque. Quod quidem æquiſſimum mihi ſemper videbatur. Grana tritici e ſpicis excutiuntur non hominum tribula armatorum manibus, ſed pedibus equorum, quorum centum, vel ducenti per aream, ubi ſpicæ humi confertæ jacent, ſepibus clauſam circumaguntur, magno temporis, maximo operarum compendio.

Ave-

Avena.

Avena ne de nomine quidem nota eſt Paraquariis. Quid, quod & in Hiſpania loliorum more duntaxat alicubi oriatur, &, ut ab ipſis Hiſpanis acceperam, nusquam feratur; Equorum enim pabulum iſtic non avena, ſed hordeum eſſe ſolet.

Vinum.

Extra Tucumaniæ urbes Cordubam, Riojam, & vallem catamarcam vindemia propemodum nulla. Vinum quod his in locis confieri ſolet, ne Sacerdotibus quidem ad aram operantibus eſt ſatis, ut adeo ex chilenſibus Mendoza, Sancti Ludovici, & Sancti Joannis cis alpes ſitis urbeculis im̃ani labore, im̃odico ſumptu ſit advehendum. Hiſpani Paraquarienſes ut a vino, ſic a vinearum cultura abhorruerunt nunquam. Solum, Cœlumque Paraquariæ vineis ſane propitium eſt, &, ſiquod aliud, vitibus maxime opportunum; Vinum gignit generoſum juxta, ac ſaluberrimum, ſed pro tanta Provinciæ amplitudine permodicum, quod neutiquam incolarum ſocordiæ, formicarum potius voraciſſimarum infinitati tribuendum, a quibus, nulla cultorum induſtria proficiente, vites corroduntur. Si qui tamen in lucem prodeant racemi, columbarum ſylveſtrium, Veſparumque, quæ noctu turmatim advolant, edacitate abſumuntur. Verum de hoc argumento jam alias diſſeruimus.



Petrificatio lignorum, & Cornuum.

De fluviis, lacubusque Paraquariæ, præter ea, quæ ſcripſi, nil admodum memoratu dignum mihi ſuccurrit. Jam alias memini, in Parana flumine vaſtiſſimos quandoque ſtipites in lapides converti, qui, ſi in Europam transveherentur, ingenti ſane pretio, præſertim in Gallia, artificum clariſſimorum patria, venumirent, Principum conclavia, Cimeliaque ornaturi Boum quoque Cornua in lapides marmoris inſtar verſicolores ſimul, ſimul ſilicis more, ut primum chalybi illidebantur, flammivomos mutata complura ipſus in ſylva urucutÿÿ deprehendi, & ſocio meo Germano exhibenda, ad Sancti Joachimi oppidum deportavi.

Thermæ.

Per illos, quos peragravi, Paraquariæ tractus aquas minerales, vel ægris ſalubres nusquam detexi. Pater Joſephus Sanchez labrador tamen, cujus alias honorifica facta eſt mentio, in ſuis per Chiquitorum oppida itineribus Thermas ſalutares duobus in locis eſſe, comperit, quas illius prope verbis latine deſcribo. A' Sancti Jacobi oppido haud procul abeſt thermarum ſcaturigo, ſylvis undique cincta. Ampla eſt, ac ternos circiter pedes profunda; Aquis ex imo ebullientibus, lebetis ad focum efferveſcentis more, clangorem, neſcio, quem edit. Pedem ſi illi immergas, colorem ſenties vehementiorem, qui tamen paulo poſt fit tolerabilior. Aquis piſciculi innatant, ſed neutiquam moleſti. Odor ſulphuris faſtidii pluſculum adfert. Lapides, e quibus

calx

calx parari solet, fontis ripas ambiunt. Aqua scatens, quo magis a fonte recedit, eo plus refrigescens rivum denique efficit, qui ad oppidum a Sanctissimo Corde JEsu nuncupatum decurrens trium inde leucarum spatio in vastissimis palmetis dispersus desinit. Multis diu, graviterque ægrotantibus hæ thermæ saluti fuerunt. In conspectu oppidi Sancti Joannis ad rupium margines fons alter exiguus, aquis calidis ebulliens, nascitur, qui propinqua in valle lacunam componit, ex cujus aquis inde redundantibus amnis oritur. In prima scatebra æstuat quidem illa aqua, sed tantillum progressa refrigeratur sensim, potaturque a Chiquitis. Verum ut ingrati saporis est, sic salubritatis haud maximæ. Enimvero huic aquæ plerique tribuunt minorem illo in oppido matrum Indarum fœcunditatem. Idem Sancti Jacobi oppidi habitatores queruntur. Ex quo id unum colligo, has thermarum undas lavantibus se se ægris, minime tamen eas bibentibus expedire. Hæc, quæ de Chiquitorum rebus memoravi, & non nulla alia Josephi Sanchez diligentissimi naturæ exploratoris observationibus, relationibusqne debeo, cujus quotidiana consuetudine tum in Paraquaria, tum in plurium mensium navigationibus sum usus. Utinam ad manus mihi essent ferarum, volucrum, piscium, plantarum imagines solerti ejusdem calamo expressæ, dignissimæ profecto, quæ ad Historiæ meæ ornatum Vindobonensi scalpro excuderentur. De metallis, rectius dixero, de metallorum omnium inopia alias egimus. Cætera, quæ ad Paraquariam pertinent, commentariis meis, ut occasio ferebat, breviter inspersi. De feris, plantis, arboribus strictim duntaxat, carptimque, & illorum more, qui iter præcipitant, obiter disserui, sed maxima, qua potui, fide. Enucleatius nosse talia si cupis, offici-

nas

nas Herbarias, Botanologos inſpice, qui ex inſtituto hoc argumentum amplis voluminibus ſunt complexi. Si quid iſtis contrarium apud me deprehenderis, cave, præcipiti judicio ſeu erroris, ſeu ignorantiæ vel me, vel illos arguas; Noveris equidem, doctiſſimos hos inter ſcriptores de rerum, maxime Americanarum, nomine, forma, proprietatibusque trecentas fervere diſcordias, idem affirmante altero, altero mordicus negante. Ambo ſæpius idem reipſa ſentiunt, verbis duntaxat diſcrepant, alius alium perperam intelligit, cum hic de alliis loquuitur, ille de cæpis reſpondet. Linguarum jam diverſitas, jam ignorantia altercationum unica ſæpe fuit origo, ut adeo perarduum ſit, utri litigantium fidem adhibeas, ſtatuere. Ego quidem, dum ad res Paraquarienſes ſcribendas animum adjeci, oculis meis, quam alienis deſcriptionibus plus credendum ſemper putavi, illorum minime, qui de Americanis provinciis diſſerunt, quas vel nunquam, vel peregrinantium more obiter inſpexerunt. Neque tamen ulli, in mea ut juret verba, arroganter ſuaſerim. Pertinaciter affirmo nihil. Novi probe, bonum quandoque dormitare Homerum, clari cætera nominis hiſtoricos opinione falli ſua, memoria labi quibusdam in rebus, ac hallucinari ecquis noſtrum ignorat? Nec plura. Ad Abipones jam, hiſtoriæ meæ princeps argumentum, properemus, ne in operis veſtibulo hæſiſſe nimium videamur.



Menda ſic corrige.

Pag.	Lin.	Pro		Lege
7	22	Recrudeſcenre	—	Recrudeſcente
17	24	Jeſuiticum	—	Jeſuiticum
20	31	Sacromontum	—	Sacramentum
25	19	cohibit	—	cohibiti
26	27	cachinis	—	cachinnis
28	10	Rericendum	—	Reticendum
47	22	Prumæ	—	Pruinæ
61	21	Poſt verbum : *Milliaria*	—	deeſt punctum
—	—	collocat	—	collocati
66	31	Mondaỹ, & Acaraỹ	—	Monday̆, & Acaray̆
72	14	Turmatin	—	Turmatim.
—	26	Tupa	—	Tupâ
73	4	ſibs	—	ſibi
74	19	1	—	2
—	25	oſcuium	—	oſculum
78	20	Poſſunr	—	Poſſunt
83	13	Benevolumo	—	Benevolum.
85	11	Fiilia	—	Filia
87	27	obſcoeintates	—	obſcœnitates,
—	32	Dedocere illique	—	Dedocere , illique
89	6	Fuir	—	Fuit
97	24	*ſervatori*	—	fruſtra duplicatur.
—	31	Mondaỹ	—	Monday̆
—	—	Miri	—	Miri
99	33	cirumligata	—	circumligata
101	29	*E* ſuperfluum eſt		
—	32	Pœtis	—	Poetis
104	9	Placidámque	—	Placidúmque
—	35	Incoiumen	—	Incolumem

)(

Pag.	Lin.	Pro		Lege
105	2	ſerorque	—	ſororque
—	14	Interrogationibus-que	—	Interrogationibus, Præparationibusque neceſſariis
106	1	Mihic	—	Mihi
107	12	Tumuland	—	Tumulandis
111	—	Imandiocæ	—	Mandiocæ
—	25	Fomicarum	—	Formicarum
116	21	Idendidem	—	Identidem
142	23	Poſt verbum *Ru-pibus*	—	deeſt: *Quæ*
144	7	violationē	—	violationem
146	31	lagenul	—	lagenula
147	10	Incolumen	—	Incolumem
173	30	Navigationes	—	Navigatione
174	7	genitus	—	gemitus
178	26	Saranam	—	Paranam
192	21	cepi	—	cæpi
221	28	Buevem	—	Brevem
230	22	Inetalla	—	Metalla
2,5	7	Ingenus	—	Ingenuus
247	3	Aſſigere	—	Affigere
249	16	oppoſitis	—	appoſitis
251	19	Pedes	—	Pedis
257	24	Bajs	—	Bajis
260	19	obſerbabatur	—	obſervabatur
264	10	Nio	—	Ňio
267	7	Frigidore	—	Frigidiore
274	9	Tuńc impotes.	—	Tunc ſui impotes
278	1	Pauco sjugulant	—	Paucos jugulant
283	5	Evaderet	—	longior evaderet
295	—	cariaceo	—	coriaceo
298	31	cachinis	—	cachinnis
301	5	Deglitiendis	—	Deglutiendis

Pag.	Lin.	Pro		Lege
315	14	Aſcultantes	—	Auſcultantes
316	4	Perico	—	Perrico
331	13	cerrus	—	certus
335	27	Hund	—	Haud
338	24	omnes	—	amnes
—	31	Europæi	—	Europæis
347	18	orborem	—	arborem
350	25	Diverſæ	—	Diverſa
356	1	Milirariter	—	Militariter
—	8	Imonangára	—	Imoñangára
378	29	cinero	—	cinereo
380	15	fluvitantia	—	Fluitantia
387	6	obſtrudatur	—	obtrudatur
393	35	Lnnæ	—	Lunæ
394	6	duntaxar	—	duntaxat
399	15	Quægre	—	Quæque
403	21	obeſioret	—	obeſiores
422	30	Aunona	—	Annona
424	18	Ex hoc	—	Ex hac
431	31	Terra	—	Terras
434	21	Ignum	—	lignum
—	—	Soco	—	Foco
—	22	Abrili	—	Fabrili
436	19	Peranbulantibus	—	Perambulantibus
437	2	recipiendum	—	recipiendam
439	2	Mannbriis	—	Manubriis
444	30	Gazaphylocio	—	Gazophylacio
445	9	Miri	—	Miri
450	17	caragnatà	—	caraquatà
452	32	Allatrae	—	Allatrare
465	7	Ardentiſſimam	—	Ardentiſſimam
—	33	Moluut	—	Molunt

Pag.	Lin.	Pro		Lege
467	17	condidiſſima	—	candidiſſima
474	25	colorem	—	calorem

Si quæ alia minoris momenti menda deprehenderis, tute vel corriges, vel excuſabis.

Tabula Geographica, quam promiſi, totius Paraquariæ à me dudum, necdum à chalcographo elaborata ſecundæ parti meæ hiſtoriæ præfigetur.

